BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
8 A
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52
F
82

52.2.E.

MALLEVS
HÆRETICORVM,

DE VARIIS FALSORVM DOGMATVM NOTIS, ATQVE

cenſuris, LIBRI DVO. In quibus vniuerſa penè hęreſes & cognoſcendi & fugiendi ratio continetur.

SIVE

METHODVS

CONTRA SECTAS, AD

ARGVENDOS ET CONVINCENDOS Hæreticos, hoc tempore omninò neceſſaria. Ex paucorum quidem, ſed probatiſſimorum Patrum præſcriptionibus in vnum velut CORPVS *congeſta*

PER

D. GEORGIVM EDERVM.

AVGVSTINVS.

HAERETICORVM improbatio facit eminere, quid Eccleſia Catholica ſentiat; & quid habeat ſana doctrina. Lib. Confeſs. 7. cap. 19.

INGOLSTADII

Apud DAVIDEM SARTORIVM,

Anno M. D LXXX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*M*ATTHÆI *VII.*

ATTENDITE à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos.

*E*T *XXIIII.*

VIDETE ne quis vos ſeducat; multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum CHRISTVS, & multos ſeducent &c. Si ergo dixerint vobis; Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus eſt, nolite credere.

*L*VCÆ *XI.*

VAE vobis legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis; & eos, qui introibant, prohibuiſtis.

SANCTISSIMO D. N. GREGORIO XIII. S. ROMANÆ ET CATHOLICÆ ECCLESIÆ VNIVERSALI

Epiſcopo,& Pontifici Opt. Maximo, ſalutem & fœlicitatem immortalem precatur.

CVM PERmulta ſint, Beatiſs. Pater, eaque præclara,& illuſtria B^{tis} T^{æ} in Remp. Chriſtianam merita, quibus facilè omnes in amorem, admirationemque nominis ſui pertrahere ſolet: tùm illud omninò eſt ſingulare, atque diuinum, quo ſibi

abinitio ſtatim Germaniæ inprimis iuuandæ ſtudium delegit: vt fidei rebus vndequaq́ue fluctuantibus, illuc ſe verteret primùm; vbi præ cæteris grauior imminêret tēpeſtas. Qua in re quid aliud quæſo B^tas^ T^a^ ſignificare voluit, quàm quod Chriſtus olim de ſeipſo teſtatus eſt; dū ſe ideò potiſſimùm veniſſe affirmat, vt eos, q aliorum incuria perierant, ſua induſtria requireret, ac repertos ſaluaret? Inter cætera verò, quę B^tas^ T^a^ pro Germania ſine intermiſſione, & facit, & cogitat, immortali memoria, laudeq́; dignū cenſeri debet, ampliſſimum

mum illud collegium Germanorum, quod ab anteceſſore ſuo paulò antè in ipſa vrbe Romana inſtitutum, cœptumq́; fuerat. In cuius curam atque tutelam B^tas^ T^a^ hactenus ſemper tanto incubuit ardore, vt nullis, neque laboribus, neq; ſumptibus parcendũ duceret, donec id nõ modò confirmaret; ſed & de nouo erigeret, augeret, ornaret, atque, vt porrò etiam eſſet perpetuum, efficeret. Atqui hoc vnum, etſi ſatis amplum eſſet amoris illius diuini teſtimonium, quo B^tas^ T^a^ inclytam hanc Germaniæ nationẽ ex intimo pectore com-

plectitur; non ceſſat tamen in diuerſis ſacri Ro.Imperij locis indies plura eiuſmodi plantare ſeminaria; ex quibus pręclara ſubinde prodeant ingenia; quorum opera & ſtudio auitę religionis dignitas & integritas nunc penè collapſa, paulatim fœliciter iterum reſtaurari queat. Nam, vt cætera taceam illud certè Collegium, quod Btas Ta ſuis ſumptibus hîc Viēnæ inſtitutum, ac Patrum Societatis Ieſu curæ commendatũ voluit, breui tempore complures noſtræ Auſtriæ dedit viros literis, & pietate ſic inſtructos; vt in hac nobiliſſima ꝓ-

uincia egregium, eumq́ue minimè pœnitendũ faciant fructum; Adeò vt qui in hac ipſa etiam celeberrima metropoli Vienna præcipuis nunc præſunt officiis, omnes ferè B^tatis^ T^æ^ ſint alumni. Facit profectò in eo B^tas^ T^a^ rem, & ſe, ſuoq́ue officio, & ipſorum Germanorum pietate omninò dignam. Nihil enim eſt, quod curam hanc paſtoralem ſiue Pontificiam dignitatem ęquè deceat, quàm vt religionem quiſque poſteris eâdem reſtituat fide, conſtantia, & integritate; qua eam ipſe à maioribus traditã accepit. Talis autem erit ipſa

poſteritas, qualis nunc apud nos eſt iuuentus; quæ veluti ſeminarium eſt Reip. Chriſtianæ. Ad cuius incrementum pertinet inprimis, vt qui aliis aliquãdò ſunt pręfuturi, priùs ipſi optimis imbuantur diſciplinis, ne ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadant; & ſimul vnà pereant. Senſerũt hoc poſt Conciliũ Lateranenſe ante B^{tatem} T^{am} etiã alij Pontifices Maximi plures; magis tamen id cordi habere cœperunt Iulius III. & qui eum deinde ſunt ſecuti: Quorum deſiderio vt ſatisfaceret Oecumenicum Concilium Tridentinum,

nū,maximo totius orbis Chriſtiani cõmodo, pièadmodùm ſtatuit, atque decreuit: vt ſingulæ Cathedrales Metropolitanæ, atque his maiores Eccleſiæ, (quælibet pro ſuarum facultatum modo, & diœceſeos amplitudine) certum puerorum ipſius ciuitatis & diœceſis, vel eius prouinciæ, (ſi ibi non reperiantur) numerum in collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, vel alio in loco conuenienti ab Epiſcopo eligēdo alere, ac religiosè educare, & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. Tua verò B^tas^.hęc omnia, quæ de hac re alij piè

cogitarũt, numeris omnibus perfecit, & abſolutiſſimam ſeminarij Chriſtiani formam toti mundo propoſuit. Cuius rationem quæcunq; Reſp. ſequi velit, nunquam caritura ſit viris doctrina, & moribus conſpicuis, qui in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Chriſti, rectè ſemper nouerint verſari. Secuti ſunt hoc exemplum planè diuinum, non multò pòſt Principes aliquot Germaniæ illuſtriſſimi, Electores præſertim Moguntinus atq; Treuirẽſis, & inclytus Bauariæ Dux Albertus, nuper, eheu, intempeſtiua nobis morte ſurreptꝰ.

Quo-

Quorum induſtria & pietate
iamdudū magnifica ad eum
vſum collegia ſunt extructa,
quæ non exiguā veteris diſci-
plinę reſtaurandę ſpem nobis
polliceri vidētur. Maximum
quoque ad eam rem animum
habere videtur Auguſtiſſimus
noſter Imꝑator Rudolphus II.
qui in eo nunc totus eſt, vt in
ſuis prouinciis hęreditariis ſi-
milia extent iuuentutis Chri-
ſtianę ſeminaria; & certa quę-
dam doctrinæ, ac pietatis do-
micilia, ex quibus ad omnis
generis reip. officia viri, vbi ſit
opus, ꝓducantur vtiles & ido-
nei. Atq; vtinam id pari quoq;

in religionem Catholicam animo ac in proximorum ſalutem zelo & cæteri Principes ac inprimis quidem Eccleſiaſtici, paulò tùm penitiùs, tùm conſtantiùs, non dico meditarentur tantùm, ſed ipſo etiam opere præſtare conarentur. Vtinam, inquam, tantum expendere, ac tantillũ ſuo ſplendori, ne dicã, luxui, detrahere, & ſimili conatu ſubditorum ſuorum ſaluti cõſulere velint. Profectò multò ęquabiliùs ſeſe res religionis noſtræ haberent; nec tanta hactenus Eccleſia Catholica laboraret piorum paſtorum, doctorumque homi-

hominum penuria, quantam hoc tempore experiri cogitur; quinpotiùs ſperãdum omninò foret eã facilè priſtinæ fœcunditati reſtitui poſſe. Quod quidem ſi ab vlla vnquam natione rectè ſperari, expectarique potuit, de Germania certè vel inprimis nemo dubitauerit. Eſt enim populus hic animo admodum generoſo, ac veri rectiq; amantiſſimo; adeò vt intrepidè auſim affirmare, pleroſque illorum, qui nouas ſequuntur religiones, ſimplicitate magis, quàm ſtudio, aut malitia errare. Cuius rei argumẽtum eſt nec leue illud quidem,

dem, quòd qui hactenus in antiqua fide, & religione perſtiterunt, mori potiùs malint, quàm vt ab ea vel latum vnguem temerè diſcedãt. Cæteri verò, q aliorũ culpa aut dolo deluſi, ſeductiq; à recto trami te aberrant; commiſeratione potiùs, quã odio dignos iudicauerim, ſi reſipiſcere velint. Duabus enim potiſſimùm rebus factũ eſſe puto, vt vulgus hominum in Germania ante annos ferè quadraginta, ad nouas nouorum hominum ſectas abduceretur; Prælatorum videlicet nimis ſupina negligentia, & admodùm fraudu-

lenta

lenta Hæreticorum perfidia. Dum enim dormirēt illi, quibus cuſtodia domus Dei erat commiſſa, venit inimicus ille homo Sathanas, vt Chriſtus ipſe teſtatur, & zizania ſuperſeminauit, excitauitq; Hæreticos, qui falſa ſparſerunt dogmata, quibus pios Chriſti fidelium animos, in diuerſas ſectas diſtraherent. Hæreticorū verò perfidia factum eſt, vt qui ſemel à recto veritatis itinere deerrâſſent, mox in noua etiā dogmata iurare cogerentur, ne facilè vnquam retrocedere integrum foret. Quod vt tantò faciliùs obtinerēt, duplici

ad

ad eam rem vſi ſunt fraude. Principiò namq; vt religionẽ noſtram, toti mundo exoſam redderent, non putidè minùs quàm ſplendidè mẽtiti ſunt, Catholicos Chriſtianos in religionis cauſa pluris facere hominis vnius, Papæ nimirùm, vel alicuius Epiſcopi rari, vt vocant, authoritatem, quàm vel omnem Scripturæ ſacræ fidem, vel vniuerſam doctrinę Chriſtianæ veritatem: noſque penè omnes, qui ſedis Apoſtolicę veſtigia ſequimur, nõ tam Chriſtũ colere in cœlis, quàm mortuorum hominũ corpora, & cineres in terra, pro Diis habe-

habere; atq; ſic infinitos idololatriæ cultus cōmittere clamitârunt. Deinde ſuis è contrà nouis adinuētionibus hos adhibuerunt colores, vt ſe potiſſimùm dicerent Euangelicos; ac ſub falſo libertatis Euāgelicæ nomine, ſalutem, vitamque beatam ex æquo promitterent omnibus, qui illorum ſequerentur fidem, atq; religionem. Quibus blanditiis dum aliqui nimis creduli ceſſerunt, in fraudem turpiſſimam pellecti, Eccleſiam Romanam, hac falſa ab Hæreticis præoccupati perſuaſione, (quòd nimirum idolis in-

ſeruiret) priùs odiſſe, quàm noſſe cœperũt. Verùm enimuerò cũ nulla hæreſis diu ſubſiſtere valeat, nihil dubito ex his plurimos ea naturæ bonitate eſſe præditos, vt ſi Hæreticorum fraudes intelligant, eâdem promptitudine, propenſioneq; ad Eccleſiam Catholicam ſint redituri, qua eam deſeruerãt, prout indies redeunt aliqui, & ſequentur (vti ſpes affulget maxima) poſthac plures: præſertim ſi quis ad eam rẽ magiſtros adhibeat idoneos, de quorum fide & integritate iure nemo poſſit dubitare: Quales mihi

prę cęteris grauiſſimi ac omni exceptione maiores videntur eſſe, Tertullianus de præſcriptionibus Hæreticorum; Cyprianus de ſimplicitate prælatorum, ſeu de vnitate Eccleſiæ; Hilarius ad Conſtantium Auguſtum iam vita defunctum &c. Et de recta in Deum fide; Auguſtin⁹ de vnitate Eccleſiæ; & Vincentius Lyrinenſis de antiqua fide ac religione aduersùs profanas hæresûm nouitates retinenda. In quibus cùm in vniuerſum ferè cōtineantur omnia, quę ad hęreſûm cognitionem atque confutationem perti-
 nent,

nent, operæ mihi precium facturus eſſe videbar non exiguum, neque vulgare, ſi hos libellos, verborum quidem numero breues; ſed rerum pondere præ cæteris graues atque vtiles, alicui Typographo Catholico committerē, qui eos cum adiuncta aliqua præfatione ad populum Chriſtianum ſimul in lucem ederet: vt eſſet quidam quaſi Malleus Hæreticorum. Porrò ne ieiunè ac nudè nimiùm hæc ipſa proponi viderentur, placuit ſingula primũ in ſingulos locos communes partiri; quibꝰ ſumma rerum cõtinentur capita.

pita. Deinde verò hæc ipſa capita, methodica quadam ratione in ordinem redigere, & ex his omnibus vnum facere veluti corpus, quod in duos diſtributũ eſt libros: Vnum de vera hæreſes cognoſcendi ratione; alterum de neceſſaria earum fuga, & refutatione. His deniq; aliorum ſubinde Patrum concordantes adſcripſi ſententias, in priore præſertim libro: nã in poſteriore ad alios authores rariùs digreſſus ſum. Quibus ſi adhuc vnum, atq; diuinum illud Luciferi Epiſcopi Calaritani antiquiſſimi authoris opuſcu-

lum, de non conueniendo cũ-
Hæreticis addere licuiſſet, p̄-
tectum videri hoc opus pote-
rat. Verùm ne compẽdij mo-
dum excederẽ, intra hos me
paucos tantùm commenta-
riolos continêre debui. Vt au-
tem hunc Malleum Tuæ po-
tiſſimùm Bti adſcriberem, ad
id me nõ alia re magis impul-
ſum eſſe fateor, quàm vt ei, cui
aliàs non ſolùm actiones, ſed
etiam cogitationes meas, ſi
quas pro Chriſti Eccleſia vti-
les habeam, omnes conſtare
velim, occaſione hac qualicũ-
que oblata ſimul etiam deſi-
derij mei rationem & Eccleſię
Ca-

Catholicæ iuuandæ voluntatem, vel ſemel duntaxat teſtatam facerē. Deinde quòd putarem hanc operam prę cæteris Germaniæ (pro cuius ſalute & incolumitate B^{tās} T. nihil non ſufferre ſolet) nō minùs gratam fore, quàm neceſſariam. Videbam enim à pleriſque deſiderari, vt libri mei de inquirenda veræ ac falſæ religionis ratione germanicè ſcripti, tandem etiam in lingua latina prodirēt; Quorum deſiderio cùm ita ſubitò ſatiſfieri non poſſet, hunc interim Malleum eiuſdem penè argumenti pręmittendū eſſe duxi,

ex quo eundem ferè fructum conſequi liceat, quem ex ipſa inquiſitione ſperare potuiſſent. Prætereà cũ intelligerem, ab aliquibus id mihi vitio verti, quod in Hæreticos grauiùs quędã dicta viderentur, quàm Chriſtianæ conueniat modeſtiæ; illis ego hæc grauiſſima ſanctorum Patrum exempla opponere volui, vt intelligant nihil vnquam conniuendum eſſe iis, qui veritatem Dei malitiosè impugnare conantur: Sed his improbis illorum conatibus, vt Diaboli machinationibus, ſumma ſemper, vi atq; contentione reſiſtendum eſſe.

eſſe. Ex quibus manifeſtò apparet, nihil tã graue, aut acerbũ in Hæreticos hoc tempore dici poſſe, quod illis non acerbiùs multò à ſanctis Patribus dictum ſit priùs. Deniq; cùm ſit æquiſſimum, vt ad hanc B[tis] T[æ] diuinã Catholici ſeminarij plantationem ex toto mundo conferant aliquid, quicunque Remp. Chriſtianam ſaluam & incolumem eſſe cupiunt; Ego quoque ex mea qualicunq; officina, Germanæ illi iuuentuti, quæ in hiſce Eccleſiæ Romanæ collegiis militabit, hunc Malleum, ſub fœliciſſimis B[tis] T[æ] auſpiciis dedi-

care volui, quo Hæreticorum omnium fraudes atq; machinas facilè omnes & vincere, & retūdere queant. Etſi verò hoc munus, ſi me pater beatiſs. reſpicias, B^tate^ Tua planè ſit indignum, quòd in eo laboris parùm, ingenij autem ferè nihil ſit poſitum; Tamē ſi ipſos ſanctiſſimos patres, ex quorum diuinis & pręclaris monumētis, ad verbum eſt collectum, benignè intueri velis, non erit fortè ab Apoſtolica ſede alienum, eius aliquam curam aſſumere. Id quod aliis etiā tantò magis gratum fore confido; quòd non meum, ſed diuino-

uinorum hominum hoc ſit opus. Quarè nihil ego hîc moror eos, qui hoc meum ſtudiũ calumniari & carpere ob hanc maximè rem ſolẽt, quòd cùm homo ſim politicus, & ad forum magis, quàm Eccleſiam vocatus, me tamẽ Theologicis rebus audeam immiſcêre; id quod minimè decêre dictitant. Verùm etſi profeſſione Theologus non ſim, quia tamen ſacras literas ab ineunte ferè ætate cum legum cognitione ſemper coniunxi, meipſum negare nõ poſſum, ac nec debeo quidẽ. Superſunt enim in hac ampliſſima ſacra

rum rerũ meſſe adhuc multa, quæ etiã à mediocriter doctis vtiliter in Eccleſia tractari, ac vulgo cum ingẽti fructu proponi queant. In hac ego mediocritate me hactenus continui ſemper, vt ne alicubi grauiora mihi imponerẽ, quàm perferre poſſem; dum id vnũ egi, vt ex his, quæ ſparſim ac diffusè hinc inde ſunt tradita, ea potiſſimũ colligerem, quorum vſus in Eccleſia omninò eſſet neceſſarius; vt ſunt ſacrorum Bibliorum Oeconomia, Compendium Catechiſmi Tridentini, ac ipſa Inquiſitio Euangelica, & alia id generis

neris opuſcula ad doctrinæ methodum magis, quàm ad rixarum, contentionumq́ue ſtudiū pertinentia. Si officio ſuo diligentiùs paulò fungerentur illi, quibus ex profeſſo cōuenit hæc publica ſcribendi prouincia, poſſet fortaſſis Eccleſia, & mea, & aliorū opéra in hac parte faciliùs carêre. Verùm quandò illi, vel ignorantia impediti, vel inertia & ocio diſſoluti, os ſuum aperire nolunt, tandem vel muti & infantes eloq, vel lapides ipſi, quod res eſt, teſtari; ac veritàti teſtimoniū perhibere coguntur. Bonos ego omnes ita de his

his ſcriptis iudicaturos ſpero, vt non à quo, ſed quid dictum ſit expendãt: Cùm quandoq́; & holitor oportuna ſit locut⁹. Quarè ſiniſtris hiſce calũniis omnibus poſtpoſitis, ad tuam nunc Beatiſs. pater maximam pietatem confugio, eidemq́; & meipſum totum, & ſcripta mea omnia ſic trado, atq; commendo, vt iudicio ſtent & cadant tuo. Viennæ Auſtriæ Calend. Februarij Anno M. D. LXXX.

B^ri T^a

ad nutum promptiſſ.

GEORG. EDERVS
Doctor.

PRÆFATIO
Quæ ſit loco argumenti
IN LIBRVM PRIMVM.
AD PIVM, AC VNIVS VERITATIS STVDIOSVM, veræq; pacis amantem Lectorem.

DE
NOVARVM RELIGIONVM CONFVSIONE; ET INCERTITVDINE; deque extrema miſeria illorum, qui eas ſectantur.

SI QVIS *omnia calamitatum genera, quibus hac tempeſtate miſerè affligitur Reſpub. Eccleſiaſtica, in vnũ conferat aceruũ, neſcio ſanè, an Chriſtiana pietate indignius aliquid cuiuis in mẽtem venire poſſit, quàm quòd in vno vnius præpotentis* DEI *populo, non vna colatur fides; nec religio retineatur vna; ſed plures ferè inueniantur ſectæ, quàm ſint non dico tantùm regna, aut prouinciæ, verùm etiam ciuita-*

ciuitates aut domicilia; quibus hominũ mentes & cogitationes, in tot, ac tantas, tamq́ varias & diuerſas trahuntur partes, vt, quid ſequendum cuiq́, quidq́ fugiẽdum ſit, vix pauci rectè intelligant.

ID *verò non natura aut ratione, ſed verſutiſsimi potiùs Diaboli dolis & machinationibus fieri, probè admodum ſenſit antiquiſsimus author Cyprianus. Nam vt communis ille noſter aduerſarius vidit idôla derelicta, & per credentium multitudinem ſedes ſuas, templaq́ deſerta, nouam excogitauit fraudem; vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo falleret incautos, hæreſes inuenit, & Schiſmata; quibus ſubuerteret fidem; veritatem corrumperet; ſcinderet vnitatem. In qua ſententia etiam D. Auguſtinum fuiſſe, hæc illius teſtantur verba: Diabolus, inquit, cùm idololatria Chriſtianos fallere non poſſet, lites inter eos immiſit, ſectas multiplicauit; errores ſeminauit; hæreſes inſtituit.*

Cyprian. de vnitat. Eccleſiæ.

Auguſt. in Tractat. de vtilitate ieiunij.

PORRO *ad eam rem accuratiùs perficiendam mille hic artifex, (vt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores tradunt) viros excitauit*

Euſeb. lib. hiſt. Eccleſ. 4. cap. 6.

ſedu-

ſeductores, & impoſtores, ac veluti quoſdam perfidiæ miniſtros, qui ſub nomine Chriſtiano doctrinæ Chriſtianæ reſiſterent; vt fideles à ſe captos, in profundũ perditionis præcipitarent; ac fidei ignaros, per ea, quæ ipſi facere auſint, ab ea doctrinæ via, quæ ad ſalutem ducit, auerterent. August. de Ciuitat. Dei lib. 18. ca. 5. Nicephor. Eccleſ. Hiſt. lib. 4. c. 2.

NAM *etſi vna omninò vera, & ſancta* CHRISTI *ſit Eccleſia, cuius ipſe veluti corporis ſui & caput & Saluator eſt, ac ob id in partes diuidi nec debeat, nec poſſit, adeò vt extra hanc vnitatem nemo ſanctus, nemo beatus, nemo verè Chriſtianus dici mereatur: tamen vbi homines quidam capitis malè feriati, quibus iugum illud* CHRISTI, *(*DEVM *verè diligentibus alioqui ſuaue) nimis viſum eſt eſſe durum, Sathanæ inſtinctu ab hac vnitate temerè diſcedere decreuiſſent, & mox ſuam quiſque de variis fidei Chriſtianæ capitibus propriã ſequeretur opinionem, ibi tùm partium ſtudia, in diſputationem, contentionemq; abire cœperunt.* Eccleſia vna per Hæreticos diuiſa. Epheſ. 5.

OMNIS *autem diſceſſionis eiuſmodi ratio, qua nouarum religionum aſſertores, à*

veritatis tramite aberrare ſolent, his tribus
Prima diſceſsio ab Eccleſia Catholica. *ferè cõtinetur modis. Primus enim ad hæreſim gradus eſt, ab Eccleſiæ Catholicæ vnitate, ac tot gentium populorumq́ conſenſione*
Secunda diſceſsio ad ſectas. *recedere. Secundus, ſectas facere perditionis. Ad primam defectionem pertinet*
2.Timot.4. *illud D. Pauli vaticinium. Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus. Et à veritate quidem auditũ auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

2.Petr.2. *A*LTERA *defectio in D. Petri Apoſtolorum Principis Epiſtola totidem penè prædicitur verbis. Fuerunt verò, inquit, & Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis; & eum, qui emit eos, Dominum negant; Superinducentes ſibi celerem perditionem; & multi ſequentur eorum luxurias; per quos via veritatis blaſphemabitur; & in auaritia fictis verbis de vobis negociabuntur, quibus iudiciũ iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat &c.*

DE

DE vtriſque D. Ioannes in ſua Canonica hanc tulit cenſuram. Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; Si enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. 1. Ioan. 2.

POSTREMA *verò ſeu tertia, magis impia, & periculis plena defectio eſt illa, quæ ſemel ab auita pietate, & fide antiqua egreſsi à ſe mutuò tandem diſcedunt, & inter ſe ipſi de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ Articulis ex diametro pugnare, ſeq; inuicem hæreſeos accuſare, atque adeò vt Hæreticos damnare non verentur. Dum enim pro ſe quiſque ſedulò, non niſi apud ſuam partem veram Eccleſiam eſſe contendit, fit ſanè, vt breui tempore, tot natæ ſint religiones, quot ſunt Eccleſiæ; tot Eccleſiæ, quot ſectæ; tot ſectæ, quot hominum ſenſus; tot deniq; ſenſus, quot penè capita. Id quod ego à* DEO *Opt. Maxim. ideò potiſſimùm diuinitùs permiſſum eſſe arbitror, vt nouatores iſti tandem proprio confundantur iudicio; cùm ipſius* CHRISTI *teſtimonio diu ſubſiſtere non poſsit regnum in ſe diuiſum. Atque hanc quidem cõfuſionem pluſquam Babylonicam,*

Tertia defectio qua Heretici à ſe inuicem diſsident.

Tit. 3.

Luc. 12.

meritò iam olim D. etiam Hilarius acerbè deplorauit.

Hilarius ad Conſtant. Auguſtum.

PERICVLOSVM, inquit, nobis admodum atque miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores; & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt; dum ita fides deſcribuntur, vt volumus; aut ita, vt volumus, intelliguntur. Et cùm ſecundùm vnum DEVM, *& vnum Dominum, & vnum Baptiſma, etiam fides vna ſit, excidimus ab ea fide, quæ ſola eſt; & dum plures ſunt, ad id cœperunt eſſe, ne vlla ſit. Conſcij enim nobis inuicem ſumus, poſt Niceni conuentus Synodum nihil aliud, quàm fidem ſcribi. Dum in verbis pugna eſt, dum de nouitatibus quæſtio eſt, dũ de ambiguis occaſio eſt, dum de Authoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe incœpit: propè iam nemo* CHRISTI *eſt. Incerto enim doctrinarum vento vagamur, & aut, dũ docemus, perturbamus; aut, dum docemur, erramus.*

IAM

IAM verò ſi quis animum ad hæc noſtra tempora conferre, atque in his illorum hominum factiones intueri velit, qui ſe hodiè ab Eccleſia Catholica ſeparauerũt, tot omninò inueniet errores, quot apud eos vel noui Doctores, vel profani, clamoſiq́; ſunt concionatores; quorum alij damnatas olim hæreſes velut ab inferis reuocare; alij verò nouas ſubinde comminiſci audent. Illi quidem, vt orthodoxæ fidei doctrinam toti mundo ſuſpectam reddere; hi verò, vt Eccleſiam DEI perturbare; omnes denique, vt ſedi Apoſtolicæ quàm plurimùm incommodare queant. Cuius odio, tam abſurdas hactenus, tàm impias, tamq́; nefandas excogitarunt opiniones, vt alicubi cum Iudæis, in pleriſque cum Turcis; ac in omnibus ferè cum apertis, cum antiquis, tum nouis Eccleſiæ Catholicæ hoſtibus conſpirare videantur.

Nouorum hominum factiones.

Odio Papatus cum hoſtibus Eccleſiæ conſpirãt nouatores.

NAM primùm, ad veterum Hæreticorum errores quod attinet, quis non videt, quæſo, nouatores noſtros Cacoeuangelicos in præcipuis ferè doctrinæ Chriſtianæ capitibus, quæ quidem extra CHRISTI perſonam

circa Eccleſiæ corpus verſantur, cum iſtorum impiis dogmatibus per omnia ferè conuenire?

Hereſes iam olim damnatæ ab inferis reuocantur.

CVM *Pelagianis docent, infantibus parentum Chriſtianorum, abſque fidei Sacramento, vitam contingere æternam. Cum Manichæis, aquam Baptiſmi nihil ad ſalutem facere: Liberum arbitrium nihil valere:* DEVM*que mali authorem eſſe. Cum Donatiſtis, propter vitia Cleri, & Eccleſiæ, ſiue vera ſiue falſa, à Clero & Eccleſia ſeparari licere: In ſolis verè bonis, & ſanctis Eccleſiam conſiſtere, eamque toto orbe periiſſe, ac in paucis remanſiſſe: Catholicam non ex totius orbis communione, ſed ex omnium mandatorum, & Sacramentorum obſeruatione vocari. Cum Vigilantio, reliquias Sanctorum contemnere. Cum Iouiniano, virginitatis meritum, & voti obligationem damnare. Cum Aërio, Orationes pro defunctis, & ſtata ieiunia negare. Cum Amonæis, & eodem Aërio, legibus Eccleſiæ non teneri. Cum Nouatianis, ſoluendi peccata plenam, & veram poteſtatem ab Eccleſia*

ſia tollere. Cum Iconomachis, & Manichæis, Sanctorum imagines ferri non debere. Cum Iuliano Apoſtata, cultum martyrum Idololatriam cenſere. Cum Pepuzianis, & Marcione, Ordinem in Eccleſia confundere. Taceo hîc Berengarium, Albigenſes, VValdenſes, VVicleffitas, & Huſsitas, cum Abailhardo, Almarico, aliiſque iam olim damnatis Hæreticis, quorum illi dogmata falſa nunc ferè omnia, veluti Cerberum ab inferis reuocaſſe videntur.

NOVORVM *porrò errorum tot ferè apud eas extant agmina, quot noui hodiè ſunt falsò dicti Euangelici. Sunt enim Lutherani, ſunt Carolſtadiani, ſunt Anabaptiſtarũ monſtra varia, ſunt Iconomachi, ſunt Antinomi, ſunt Oſiandrini, ſunt Suuenckfeldiani, ſunt Dauidici, ſunt Mennonitæ, ſunt Illyricani, ſunt Adiaphoriſtæ, ſunt Maioriſtæ, ſunt Stancariani, ſunt Sacramẽtarij, Zuuingliani, Caluiniſtæ, & Hugonotæ, ſunt Seruettiani, ſunt Trinitarij, ſunt Apoſtolici, ſunt Libertini, ſunt Sanguinarij,* Nouæ horũ temporum ſectæ. Lindanus in tab. hęreſ. 3.

 ſunt

ſunt denique id generis monſtroſi Nouatores penè ſexcenti, quorum ſinguli ferè priuatas ſectantur opiniones. Quas pro ſe quiſque mordicùs tuetur, ac tanta fouet pertinacia, vt vix duo, aut tres, in vno religionis controuerſæ articulo ex toto conuenire; ſed in pleriſque etiam à ſeipſis diſcrepare; in præcipuis verò ab aliis omnibus diſſentire videantur; vti ex his paucis conſtat exemplis.

Sectæ inter ſe pugnantes. Lindanus in tab. hæreſ. 2.

PECCATVM *originale in paruulis eſſe affirmant Lutherani; negant verò Zuuingliani, Caluiniſtæ, & Seruettiani. Remitti Baptiſmo peccatum, vt non imputetur, ait Lutherus; negant Bucerus & Caluinus, docentes, nullum eſſe Baptiſmi aquæ effectum. Liberum arbitrium in homine nullum eſſe, aiunt Lutherus in Capt. Babylonica; & cum Illyrico Philippus Melanchthon in locis anno* XXII. *negat idem Philippus, in locis anno* LII. *dicens, hunc eſſe horribilem Manichæorum furorem. In Euchariſtia panem conuerti in corpus* CHRISTI, *ſolis manentibus ſpeciebus, aſſerunt Lutherus in lib. contra Zuuinglia: & Confeſſio Auguſtana Germanica*

nica anno XXX. *Carolo* V. *exhibita; negant iidem Lutherus, Melanchthon & Confeſſio Auguſtana Latina anno* XL. *mutata. Opera ad ſalutem eſſe neceſſaria aiunt Lutherus, Melanchthon, & Georgius Maior; negant cum Luthero in Comment. ad Galat. Illyricus & Gallus. Sanctos eſſe inuocandos affirmat Lutherus de præparatione ad mortem; negant Lutherus, Melanchthon, Caluinus & alij omnes. Orationem pro mortuis rectè fieri, ait Lutherus in Capitibus fidei, anno* XLIIII. *negant Lutherani, Caluinus, Melanchthon &c. Poſt hanc vitam eſſe purgatoriũ aſſerit Lutherus variis in locis; negant Lutherani, Melanchthon, Caluinus, & Zuuingliani. Vt interim omittam alia eius farinæ plurima, quæ nunc non eſt narrandi locus.*

Lvbet hîc pauca tantùm capita percurrere, quæ illi veluti Principia nouarum religionum ſtatuere ſolent, ex quibus cætera per ſe quiſq; facilè deprehendere, atque diſcernere poſſit. Quorum illud omnium eſt primum, nihil in rebus fidei tenendũ, aut credendum Nouato rũ Principia falſa. Primum ſectarum principium.

eſſe quod non expreſſum in ſacris literis habeat teſtimonium, aut mandatum. Qua ſanè audacia freti, traditiones Eccleſiaſticas, veluti hominum figmenta, reiicere; Concilia Oecumenica ferè omnia erroris accuſare; Patrum Decreta contemnere; Eccleſiam authoritate ſua ſpoltare; & ſe his omnib. quàm longiſſimè præferre non erubeſcunt. Ac licet Scripturæ quidem vbiq; ferè primas tribuere videantur, eo tamē nomine, illas tantùm intelligunt ſacrorum Bibliorum libros, quos ipſi in Canonem recipiunt; quos verò ab eo ſeparant ac reiiciunt, protinus ab omnibus improbari & contemni volunt. Denique in omnibus fidei, & religionis cauſis, atq; controuerſiis, ſe ipſos iudices conſtituunt; ſuam verò doctrinam & dogmata, quantumuis abſurda, à nemine prorſus, ac ne ab Angelis quidem, iudicari debere contendunt.

Errores ex hoc principio primo.

Quid Scripturę nomine intelligant.

In cauſis fidei ſeipſos conſtituunt iudices.

ALTERVM *illis eſt principium; quòd homini Chriſtiano ad reconciliandum ſibi* DEVM, *nulla re alia ſit opus, quàm vt credat ſibi peccata remiſſa, ſeq; ob id vnum, quòd hoc ita perſuaſum habeat, propter Chriſtum iuſti-*

Secundum principium falſum.

iuſtificatum eſſe. Quam perſuaſionem eam dicunt eſſe fidem, quæ hominem iuſtificet ſola. Cùm tamen præſumptio potiùs, quàm fides dici mereatur; quòd nihil in ſe habeat eorum, quæ ad veram pertinēt fidei rationem; ſed de ſe ipſa ſtatuit aliquid in quo facilè homines falli poſſunt, & falluntur ſæpiſſimè. Ac vt maximè ſub fidei contineatur appellatione, non tamen ea fides dici poſſet, quæ ſufficiat ſola, cùm ſola, aut nulla ſit, niſi mortua, aut certè minimè proſit. Fides ſpecialis quæ? Fides ſola.

EX hoc principio, in eo ſenſu, quo nouatores accipiunt, falſò maximi & grauiſſimi profecti ſunt errores, Hinc enim ſtatuitur, nullum crimen eſſe peccatum, niſi incredulitatem; hinc abundat iniquitas; hinc refrigeſcit charitas; hinc tātò audaciùs diuina profanantur Sacramenta, quaſi nihil omninò ad iuſtificationem noſtram conferant; hinc Pœnitentia ſuis ſpoliatur viribus; hinc ridetur Contritio; reiicitur Confeſſio, & omnis Eccleſiaſtica tollitur Satisfactio. Hinc publicum Eccleſiæ Sacrificium vi & efficacia ſua ſpoliatur; hinc ſacræ Communionis effectus imminuitur, & contemnitur. Errores ex principio 2.

HVIC

Tertiũ principium falſum.

HVIC ferè ſimile, & apud eos æquè tritum eſt ac vulgare, quo fingere ſolent; Opus quantumuis bonum, licet optimè factum, eſſe peccatum; ac ob id hominem, etiam iuſtum, in quouis opere bono peccare: vnde etiam hæc falſa et impia ſtruuntur dogmata;

Errores ex principio 3.

Quòd bona Chriſtianorum opera ad ſalutem conſequendam nequaquam ſint neceſſaria, ac multò minùs meritoria, quin etiam pernicioſa.

Errores annexi.

QVIBVS porrò hæc etiam adiiciuntur magis abſurda: Quòd homo fidei Sacramento imbutus, ad hæc præſtanda nullum omninò liberum habeat arbitrium. Quòd omnia ex abſoluta, & ineuitabili proueniant neceſſitate. Quòd DEVS ipſe ſcelerum ſit author; adeò vt Dauidis adulterium, & ſcelerata proditio Iudæ, æquè diuinum ſit opus, atque conuerſio D. Pauli. Quòd DEVS præceperit impoſſibilia. Quòd Eccleſiæ præcepta neminem obligent, quòd dies feſti, quòd ieiunia præſcripta, quòd vota monaſtica propria voluntate quiuis impunè quidem, & ſine peccato violare ac deſerere poſſit. Quòd nihil

hil præcipiat Euangelium, nec ideò CHRISTVS *in hanc venerit lucem, vt legem aliquam ſtatueret. Quòd deniq; nec ipſa etiam Decalogi præcepta ad hominem Chriſtianum quidquam pertinêre videantur; vt qui ab omni legis obſeruatione omninò liber ſit, ac ſolutus.*

Quartum principium falſum.

AD hæc, illud quoq; valdè impium eſt, & à vero alienum, quo nouarum religionum fabricatores illi, authoritate propria, decernunt; nullos eſſe in nouo Teſtamento Sacerdotes publicos, ſed omnes homines ex æquo naſci presbyteros: vt hoc fundamento vniuerſum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordinem ſemel funditùs euertant. Nam hinc etiam non pauca ſequuntur abſurdiſſima figmẽta. Nullos videlicet in Eccleſia diſtinctos eſſe ordines. Nullam inter Sacerdotes & Epiſcopos conſtituendam eſſe differentiam. Nullos Sacerdotes inungi debêre, ſed quibus illi manus impoſuerint, mox idoneos eſſe verbi DEI *miniſtros. Sacramentorum tractationem omnibus eſſe communem; à qua etiam nec pueri, nec fœminæ ſint arcendæ. Omnes abſoluendi*

Errores ex principio 4.

ſoluendi facultatem habere, etiam ſutores, lanios, cerdones, circulatores, carnifices, & quoſuis alios circumforaneos homines.

Errores annexi.

QVIN *addunt prætereà; Nullum in Dei Ciuitate ferendum eſſe Magiſtratum, qui in liberum hominem Chriſtianũ ius aliquod exercere poſsit. Pontificem Maximum verè & propriè eſſe Antichriſtum; Epiſcopis, aut aliis Eccleſiaſticis iudicibus nullam coërcendi poteſtatem eſſe conceſſam; Imperatorem & Catholicos Principes, ipſius Antrichiſti eſſe miniſtros; Chriſtianos Catholicos omnes eſse Idololatras; Apoſtatas, Schiſmaticos, & Hæreticos; imò Turcis etiam vel Iudæis deteriores; Hæreticos verò nouos à nemine iudicandos, aut puniendos, nedum condemnandos eſſe; quos quidẽ & ipſis quoq; cum Apoſtolis conferre; cæteris verò Patribus etiam ſanctiſsimis ac doctiſsimis multis modis præferre non dubitant. Deniq; Athei non pauci religionem omnem cuiuis liberam eſſe permittunt, quò tandem genio quiſq; ſuo liberiùs indulgere, ac Veneri & Baccho ſecuriùs inſeruire queat.*

ETSI

ETSI autem hæc omnia adeò impia ſint & abſurda, vt nulla nec authoritate nec ratione tueri, aut probari poſſint; non deſunt tamen, qui ea, pro Euangelica veritate mordicùs tenere, atq; defendere conantur; tanta quidem temeritate, vt quamcunque fingat ſibi quiſq; ſectam, veram tamen religionem & dici & haberi velit; tanta verò incōſtantia, vt fides ſuas in ſingulas ferè mutent horas. Vnde rectè admodum inclytum illum Principem GEORGIVM SAXONIÆ DVCEM *ſincerè Catholicum aliquandò dixiſſe ferunt; Quid noui illi Doctores Euangelici, hoc anno crederent ſe quidem ſcire, quid verò ſequēti anno eſſent credituri, id certò ſciri non poſſe.*

Iſtos errores hodiè à nouatorib. maxima pertinacia defendi.

DICTVM GEORGII SAXONIÆ DVCIS.

VERVMENIMVERO ſi quis hîc certum aliquem requirat modū, quid potiſſimùm homini Chriſtiano tenendum, ſequendumq; ſit, vt in tanta religionum nouarum confuſione tutus eſſe poſſit, ne tā variis, tamq; peſtiferis Hæreticorū laqueis capiatur, huic ego duobꝰ verbis rectè reſponderi puto. Illam videlicet eſſe optimā veræ religionis retinēdæ rationē

Falſa religio & cognoſcēda & fugienda eſt.

vt

vt doctrinam falſam primò quidem cogno-ſcere; cognitam porrò vitâre, & quàm poſſimus longiſſimè fugere, atque abominari ſtudeamus.

Argumentũ & partitio Mallei Hæreticorum.

QVIBVS de rebus cùm à ſanctis Eccleſiæ Doctoribus hinc inde multa præclarè dicta, ſcriptáque ſint, eorum pleráque hiſce duobus complexus ſum libris; quorum primus præcipuas ferè notas, quibus hæreſes rectè quidem cognoſci, ac diiudicari poſſint; alter verò certas quaſdam continet regulas, et modos, quibus commodè declinari & vitari queant.

Liber { I. / II.

ET quidem ad cognitionem primùm quòd attinet, abundè nobis ſatisfacere poterant illa, de quibus huc vſque dictum fuit; quòd nimirùm nouarum religionum Authores à prima illa Eccleſia vera, quæ hactenus ſemper in vna fide perſtitit, ſine iuſta, & legitima cauſa deſciuerint; quòd Catholicæ fidei regulæ contraria doceant; quòd inter ſe ipſi varias, & abſurdas in ſectas ſint diſſecti; quòd ſe inuicem mordeant, ac proprio iugulent gladio. Si tamen hæc alicui pauciora videantur, quàm quæ ad perfectam hæreſûm noti-

notitiam ſufficere poſsint, is latiſsimum hîc iudicandi, diſcernendíque habet campum, quo Hæreticos & Pſeudoprophetas à veris Eccleſiæ Doctoribus affatim internoſcere poſsit.

NAM *primùm, ſi quis aut nouam aut iam olim damnatam doctrinam adferre audet, facilè ex hoc ipſo Hæreticus eſſe conuincitur, quòd eius dogmata vel noua ſint, vel anteà Eccleſiæ iudicio damnata. Id quod principiò ſtatim ex vi nominis, atque ſignificatione colligere licebit.* Nota prima falſæ doctrinæ ex nouitate. Ex vi nominis. Infr. li. 1. cap. 6.

NAM *qui Nouatores ſunt eiuſmodi, aut in totum à Chriſtiana religione diſcedunt; aut ab ipſius Eccleſiæ ſeparantur vnitate, renuentes ſubeſſe ſummo Pontifici, & cum Eccleſiæ membris communicare; aut dogmata falſa, & orthodoxæ fidei contraria cum quadam pertinacia defendunt. Primo modo Apoſtatæ; ſecundo Schiſmatici; tertio Hæretici dicuntur. Pertinacia enim cum errore coniuncta abſolutum facit Hæreticum.* Apoſtatæ. Schiſmatici. Hæretici. Ex differentia infr. c. 7.

Ambroſ. de fide ortho. contra Arrian. c. 3.

A qua labe (D. Ambroſio teſte) ne illi quidem ſunt immunes, qui nomen quidem Hæreticorum defugiunt; ſed perfidiam aſſerunt, & impietatem exequuntur. Sic vt neque illi tantùm Hæretici ſint vocandi, qui ſe prima ſtatim propoſitione produnt ipſi; ſed etiam hi, qui perfidiæ virus, in occulto tegere conantur: cùm etiam Cyprianus plùs metuendos & cauendos Hæreticos eſſe dicat, per pacis imaginem blandientes, quàm qui apertè ſunt inimici.

Hæretici { Manifeſti. Occulti.

Cyprian. de vnitat. Eccleſiæ in principio.

Hæreſum cognitio ex cauſis. Infrà cap. 9.

DEINDE *non parum hanc cognitionem iuuabit, ſi quis ad ipſas recurrat cauſas, quæ Hæreticos ad hoc, vt falſa dogmata confingant, potiſſimùm impellere videantur; quales nimirum communi omniũ calculo inter præcipuas ferè numerari ſolent: Amor ſui, Inanis gloria, Auaritia, concupiſcentia carnis, Ambitio, & ſuperbia, Diſcordia, Ignorantia Scripturarum, lectio librorum prohibitorum, & alia cuiuſuis generis peccata.*

Hæretici cognoſcuntur etiã ex diſcipulis & moribus.

PRÆTEREA *Tertullianus Hæreticos ſuis & diſcipulis & moribus conuinci poſſe demon-*

demonſtrat; cùm adhuc, ait, in ſeculo ſuperſint, qui meminerint eorum, etiam proprij diſcentes & ſucceſſores ipſorum, ne poſteriores negare poſſint. Quorum id quaſi proprium eſſe ait Cyprianus: Dominicæ pacis vinculum rumpere; charitatem fraternam violare; adulterare veritatem; vnitatem ſcindere; ad hæreſes atque ſchiſmata proſilire, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis inuidetur, dum quis aut queritur, non ſe potiùs ordinatũ, aut dedignatur alterum ferre præpoſitũ. Hinc recalcitrat, hinc rebellat, de zelo ſuperbus, de æmulatione peruerſus, animoſitate, & liuore, non hominis ſed honoris inimicus.

Cyprian. in Sermo. de zelo & liuore.

IN moribus Hæreticorum ſancti Patres hæc ferè præ cæteris obſeruârunt notatu maximè digna. Quòd ſimiæ ſint, quòd ſibi placeãt; quòd videantur ſibi ſapere, cùm ſint ſtulti; quòd eorum doctrina in multiloquio verſetur; quòd ex donis naturæ faciãt idola; quòd inter ſe diſcrepent; contra Eccleſiã conueniant; quod nimis ament ſuas opiniones; quòd ſeparẽt ab Eccleſia Doctores; quod ſe potiſſimùm

De Hæreticorũ morib. quoad vitã. Infrà d. li. 1. ca. 10.

 Chri-

Chriſtianos putent; quòd ſibi verum Sacramentorum vſum vendicent; quòd non credant, etſi vincantur: quòd neque Scripturas curent, neque traditiones; quòd ſemper in peius extollantur; quòd non DEI, *ſed ſuum opus peragant; quòd mutis amici, loquentibus ſint aduerſarij; quòd eorum Eccleſiæ fidei ſint expertes; quòd tandem increduli fiant, & blaſphemi.*

De Hæreticorum morib. quoad doctrinam infrà c. 11.

AT verò ſi quis putet horum aliqua latiùs fortaſſis patere, quàm vt ſolis Hæreticis propriè conueniant, cùm etiam, qui Catholici videri volunt, non per omnia vitiis careant; adhuc alij ſunt illorum mores ad doctrinam pertinentes, quibus ſe hæreticus animus illuſtriùs prodere ſolet. In primis enim Scripturas obtendunt, atque has, vbique ferè, ſine ſenſu loquuntur, & crepant ſemper. Pro veris vmbram falſitatis requirunt; aut ſi quandò vera dicunt, ad oſtentationem faciunt; Sic omnes vſurpant Scripturas, quas tamen non intelligunt: Solum textum admittunt, eius autem verba plerunque adulterant, & Scripturis multifariè

tifariè abutuntur: Nam in his corrumpendis, peruertendisq́ admodum temerarij ſunt & audaces; ſimplicia torquent, & alienas admiſcent voces: Confeßiones ſcribunt, & erroribus ſuis fucum obducunt: Nunc aſpera, nunc leuia proponunt: Denique Hæretici non ſe Scripturæ authoritati, ſed ſibi Scripturas ſubiiciunt.

Sed & alia Hæreticorum ſtudia ſunt & conatus, qui tam mores, quàm doctrinam reſpiciunt. Nam & bonæ interdum ſunt vitæ, & de bonis præſcribunt, vt ex his aſſerant mala, atque adeò ex veritate mendacium ſtruant. Sed interim ſub veritatis vmbra decipiunt, & inſipientes circumueniunt, ſpecie diſsimulata: honeſta loquendi ratione circumagunt incautos; atque in ſe varij ſunt, & verſipelles; corruptores ſunt Euangelij, dum verba legis adulterant; & Scripturas mutilant; ambidextri ſunt, & duplices corde; ac aliud plerunque ore, aliud verò in conſcientia loquuntur; à mulieribus diſcunt, quæ viros doceant: Chriſtianos CHRISTI *nomine ſeducunt; alio-*

Hæreticorũ mores tã ad vitam, quàm ad doctrinã pertinentes. Infr. c. 12.

rum crimina colligunt, vt ſua tegant: Authoritatem Eccleſiæ minuere ſolent, vt ſuam extollant: Eccleſiam propter falſam doctrinam affligi clamitant, cui ſe condolere fingunt: Scripta Patrum adulterant, aut eorum nomine ſuos edunt fœtus, vt eò plures ad impietatem pertrahant: In ſumma, apud Hæreticos omnia veritati ſunt contraria.

De propriis Hæreticorũ atque hæreſum ſignis & notis, Inf. ca, 13.

PORRO *ſi adhuc ne iſta quidem ſufficere videantur, quæ tamen nulla ratione, honeſtè ſaltem, excuſari poſſunt, quin ſit neceſſum hæc in ſolos cadere Hæreticos; non deſunt tamen adhuc certiores demonſtrationes, & ſigna, ſiue notæ propriiſſimæ, quæ ita Hæreticorum, & mores, & doctrinam produnt, vt ſe tegere, aut ſubducere nulla ratione humana queant. Inter quas facilè primum locum obtinet, ſtudium nouitatis.*

EX *quo deinde etiam conſequuntur hæc veluti annexa: In dubium videlicet vocare, quæ iam olim ab Eccleſia rectè conſtituta,*

tuta, ac definita ſunt: diuerſa item docere; atque ita vnitatem ſcindere, CHRISTVMQVE *ipſum in varias diuidere partes: In impietate proficere, nec obedire, ſed reſiſtere iis, qui præſunt in Eccleſia* DEI: *Oppugnare Petram Eccleſiæ; itémque à fide & Eccleſia deficere, ac tandem etiam contra Eccleſiam inſurgere: rebus Eccleſiaſticis ſe abſque immiſſione, & legitima vocatione immiſcere: Nouum cœtum propria authoritate, ac ſine ſuperiorum mandato, aut iuſſu colligere: non à* CHRISTO, *ſed ab aliis nominari; non ſolùm incrementa non habere; ſed etiam in deteriora ruere, citò euaneſcere, ac ſe ipſum conſumere; ex quibus tandem probatur ſumma doctrinæ inconſtantia, qua Hæretici, velint, nolint, ſe vt ſorices proprio iudicio prodere coguntur.*

CÆTERVM *Chriſtiane lector, non hæc vel à me nunc primùm dicta, vel à proletariis quibuſdam nuper excogitata; ſed longo rerum vſu obſeruata, & ſanctiſſimorum Patrum teſtimoniis iam olim prodita*

ſunt & experientia comprobata. Quorum diuinas hac de re ſententias, nos hîc eo ordine, quo iam enumeratæ ſunt, in hunc primum librum contulimus: vt ſit Malleus hic quaſi quoddam prudentum & Apoſtolicorum virorum, ſiue conſilium, ſiue Senatuſconſultum; in quo Nouatores noſtri iam olim ex legis diuinæ præſcripto iudicati ſunt, atque condemnati. Cuius quidem iudicij authoritatem tanti fecit veneranda illa antiquitas, vt Imperatores Chriſtiani & Principes Catholici eos, in quibus hos mores, eas fraudes, atque hæc tam manifeſta, & quaſi certa falſæ doctrinæ indicia, ſignaq; deprehendiſſent, protinus damno, exilio, & aliquandò morte punirent.

Mallei Hæreticorum περιοχὴ ſeu ſumma: & finis ac propoſitũ eiuſdem.

Veterũ Principum animaduerſio in hæreſes.

NAM etſi Principum iſtorum aliqui, Aulicorum quorundam ſuaſu, & humanæ prudentiæ inſtinctu, populo ſuo liberam aliquãdò permiſerint religionẽ, pœnituit tamen illos eiuſmodi licentiæ ferè ſemper. Adeò vt non tantùm huiuſmodi conceſſiones publicis plerunque edictis reuocauerint, ſed tantò etiam ſeueriùs poſteà in eos, qui religione

Religionum libertas malè conceſſa. Infrà de licẽtia ſectarum cap. 15.

gione abuterētur, animaduerterint, quantò ſe grauiùs illa conniuentia erraſſe, peccaſſéque agnoſcerent.

NEQVE *etiam ipſi* DEO *grata fuit vnquam maleſuada iſta ſapientia humana, quæ ſacra profanis miſceri ſolent; ſed recta iubet incedendum eſſe via, vt Magiſtratus Chriſtiani in rebus diuinis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram temerè deflectant. Ab hac enim via qui vel minimùm diſcedunt, eos cum Hæreticis communicare neceſſe eſt; quos nullam cum* CHRISTO, *aut eius Eccleſia vera, partem habituros, (quantumuis alioqui laudabiliter viuant) conſtãter affirmat D. Auguſtinus.* Religionum libertas Deo ingrata. Eſai. 30.

FIRMISSIME *tene, inquit, & nullatenus dubites, non ſolùm omnes paganos, ſed etiam omnes Iudæos, Hæreticos, atque Schiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros; qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius. Firmiſſimè, inquam, tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreti-* Auguſt. de fide ad Petrũ in to. 3. c. 38. Infr. de iuſto ac ſeuero Dei Iudic. ca. 17. Cap. 39.

cum ſiue Schiſmaticum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantaſcunque eleemoſynas fecerit, etſi pro CHRISTI *nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari. Omni enim homini, qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neque Baptiſmus; neque eleemoſyna, quamlibet copioſa; neque mors pro nomine* CHRISTI *ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem; quamdiu in eo Hæretica vel Schiſmatica* 2. Petr. 2. Iud. in epiſt. vnica. *prauitas perſeuerat, quæ ducit ad mortem.*

Quàm miſera ſit conditio eorum qui nouarũ religionum incertitudinem ſectantur.

ATQVE *hinc ſanè facilè intelligere licet, quàm miſera, quamque deploranda ſit conditio eorum; qui ſe, ſuamque ſalutem omnem, his leuiſſimis ſectis, mille modis diſſectis, potiùs, quàm vni Eccleſiæ Catholicæ committere voluerunt: in quibus nulla mentis quies, nulla conſcientiæ tranquillitas, nulla fidei certitudo, nulla vitæ beatæ ſpes vera inueniri, nec ſalus vlla vnquam adquiri poteſt. Nam quæ, per* DEVM *quæſo immortalem, ibi poteſt eſſe certitudo, aut ſecuritas, vbi ſub falſo Euangelij nomine*

tot iam damnatæ aluntur hæreſes, quot in his nouis dogmatibus, non tantùm verba, ſed quot omninò ſunt ſyllabæ? Adeò vt mirandum ſit vehementer, adhuc eſſe aliquos ſalutis ſuæ vſque adeò negligentes, ac ſtupidos, qui hæc intelligere, aut nolint, aut non poſſint.

NAM *vt Nouatores iſti maximè perſuadeant alicui, vt de mutanda religione cogitare incipiat, nunquam tamen certam ei demonſtrabunt ſedem, vbi tutò quieſcere valeat. A qua ſibi Eccleſia exeundum ſit videbit; ſed quò ſe recipere debeat; incertior erit. Aderit mox infinitus ferè Nouatorum numerus, quorum pro ſe quiſque ſedulò eum ad ſe, ſuámque ſectam pertrahere ſumma contentione conabitur. Vnde fit ſanè, vt quocunque ſe vertat, ſtatim vociferaturi ſint alij; ſatius multò fuiſſe, in Romano, (vt vocant) papatu perſiſtere, quàm ſe huius vel illius Erronis ſectæ committere.*

QVID *hîc quæſo faciet ille miſer, qui vnum*

Sũma & deſperatio & nouarũ religionum incertitudo ac inconſtãtia.

vnum pedem in Catholica Eccleſia, alterum verò in iſta Nouatorum habet colluuie? quid inquam, niſi horum duorum alterutrum? Aut enim mox ſe, omni conſilio poſthabito, in eam præcipitabit ſectam, quæ ſibi offertur proxima; aut, ſi priùs deliberare incipiat, in tanta quidem nouarum religionum varietate, & confuſione anteà de ſalute ſua deſperare cogatur, quàm ad portum aliquem certum poſſit pertingere: cùm extra Eccleſiæ vnitatem nulli ſpes aliqua ſalutis ſuæ ſit relicta, nec vllum aliud refugium ſatis ſit tutum.

Nouatores noſtri duobus modis grauiſsimè peccarunt.

HINC *ego vtriſque condoleo vehementer, illis quidem nouarum ſectarum Magiſtris, quòd adeò excæcati ſint, vt non intelligant, quàm turpiter primùm ipſi ab hac ſanctiſſima Eccleſiæ vnitate deſciuerint; deinde verò ſecum etiam alios in atrociſſimos pertraxerint errores, & huc vſque infinitas ferè ſeduxerint animas; pro quibus ſanè quid* DEO *in extremo iudicio reſpondeant, non ſint habituri: cùm errores ſuos tam videant eſſe manifeſtos, tamq́; iuſtè damna-*

Neutrũ honeſtè quidẽ, aut defendi, aut excuſari poſſe.

damnatos, vt eos bona conſcientia ampliùs, aut profiteri, aut honeſtè ſaltem tueri non poſſint.

SED ENIM *magis nunc me miſeret illorum, qui vel ignorantia, vel ſimplicitate, vel etiam nimia quiduis credendi facilitate ſeducti ſunt. Quos ego per* CHRISTI *viſcera oro, & obſecro, vt cogitent inprimis diligenter; vnde exciderint, quò redacti ſint; quàm miſerè decepti ſint; & quàm nulla illis omninò ſperanda ſit ſalus, niſi quamprimùm ad eam redeant Eccleſiæ vnitatem, à qua temerè digreſſi ſunt, & priora faciant opera.*

Quibus in hoc religionis diſsidio maximè ſit condolendum.

Apocal. 2.

MEMINERINT, *quæſo, præclaræ ac diuinæ illius D. Hilarij ſententiæ, qua piè admodùm monet; vt cognitis Sacramentis perfectæ in* DEVM *fidei, impia humanæ ſtultitiæ inſtituta deſerant, & ſe* DEO *reddant, Hæreticis repudiatis: atque à cibo mortis, quo in laqueum aues ſolent illici, in volatum ſeſe liberæ ſecuritatis erigant; ſequantúrque* CHRISTVM, *Ducem; Prophetas,*

Hilar. lib. 6. de Trinit. in principio.

unciosn;

nuncios; Apoſtolos, prauios; fidem, conſummatam; & ſalutem, in Patris, & Filij confeſſione perfectam.

Cyprian. de vnitat. Eccleſiæ circ. finẽ.

NVNQVAM *verò excidat pium illud, & ſaluberrimum conſilium, quod ea de re Diuus olim præſcripſit Cyprianus: Opto equidem, (inquit) dilectiſsimi fratres, & conſulo pariter & ſuadeo, vt, ſi fieri poteſt, nemo de fratribus pereat, & conſentientis populi corpus vnum gremio ſuo gaudens mater includat. Si tamen quoſdam Schiſmatum Duces, & diſſenſionis authores, in cæca & obſtinata dementia permanentes, non potuerit ad ſalutis viam conſilium ſalubre reuocare; cæteri tamen vel ſimplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis aſtutiæ calliditate decepti, à fallaciæ vos laqueis ſoluite; vagantes greſſus ab erroribus liberate; iter rectum viæ cœleſtis agnoſcite.*

I D *quod ego tùm planè futurum arbitror, ſi cognoſcere velint, quibus artibus, & dolis à nouarum religionum inuentoribus circumuenti fuerint atque ſeducti. Cognoſcent*

ſcent autem hæc & intelligent abundè, ſi has pias & grauiſſimas ſanctorum Patrum cenſuras, quas in hunc primum Mallei noſtri librum bona fide contulimus, diligenter perlegere, ac, vt dignum eſt, memoria tenere velint. Precor autem, vt vel nunc tandem ſummo ſuo cum periculo ſapiant, & nobiſcum vnà ſanentur omnes. Quod concedat is, qui non niſi vna vult coli fide, pietate item vna, & religione vna. Vale lector optime, atque his ad tuam vtilitatem, ſalutemq́; fruere.

CHRYSOSTOMVS hom. 25. in Matth.

VERITATIS non ſolùm ille eſt proditor, qui mendacium dicit, ſed etiam, qui veritatem nō liberè pronunciat.

INNO-

INNOCENTIVS.

ERROR enim, cui non reſiſtitur, approbatur; & VERITAS, CVM NON DEFENDITVR, OPPRIMITVR. Negligere quippe, cùm poſſis perturbare peruerſos, nihil aliud eſt quàm fouere. Diſt. 83. ca. Error.

CAPITVM LIBRI PRIMI.

CAPVT I.

QVIS in ſcribendis aduerſùs Hæreticos libris adhibendus ſit modus. 1

I. Tacendi tempus eſſe, vbi nullus ex ſermone ſperandus eſt fructus. 3

II. Tempus loquendi, quandò nec tacendo aliquid proficitur, vel ad loquendum grauis & ineuitabilis vrget neceſsitas. 5

III. Singulare modeſtię exemplum D. Hilarij in perferendis Hæreticorum perſecutionibus. 7

IIII. Quàm Hæreticis graſſantibus periculo ſit plenum de rebus fidei ſilentiũ. 9

CAPVT II.

Quàm ingens ac deteſtabile ſit hæreſeos crimen. 11

I. Variæ hæreſum & Hæreticorum appellationes, figurę & Prophetię, quibus huius ſceleris atrocitas oſtenditur. 11

II. Qui, Dei traditione contempta, alienam doctrinam appetunt, peius crimen

admittere, quàm qui in peccata labuntur. 17
III. Hæreſes omnes, ſiue Apoſtolis coëtaneas, ſiue poſteriores, adulteras eſſe, & damnatitias. 19
IIII. Chriſti tunicam ſcindunt, qui Eccleſiam eius in ſectas diuidunt. 21
V. Arma contra Eccleſiam portat, qui ſe à Cleri aut plebis Chriſtianæ ſocietate ſecernit. 22
VI. Hæreſis eſt peccatum in Spiritum ſanctum, quod neque in hoc ſeculo, neque in futuro expiari poteſt. 22
VII. Hæreticos non eſſe Chriſtianos. 24
VIII. Hæreticos Antichriſtos eſſe. 25
IX. Hæreſes à ſanctis Patribus appellari furias; & Hæreticos furioſos aut inſanos. 27
X. Hæreſes non mirandas, ſed potiùs cognoſcendas eſſe, & execrandas ac vitandas. 29
XI. Quæ rès præcipuè ad hæreſum inueſtigationem pertinere videantur. 31

CAPVT III.

De hæreſum & Hæreticorum ſignificatione. 32

I. Quæ

I. Quæ vera, aut falſa Religio; & quæ eius ſint partes. 32
II. Vnde hæreſes dicantur. 34
III. Quæ res in hæreſi concurrant. 36
IIII. Qui ſint Hæretici nuncupandi. 37

CAPVT IIII.

De variis hæreſum, & Hæreticorũ differentiis; quibus non tantùm à Catholicis; ſed etiam à ſe inuicem ipſi diſsident. 42
I. Catholicos ſimplicitate, dilectione, mãſuetudine, & lenitate ab Hæreticis, ſicut oues à lupis diſiungi; ac ob id eos cũ illis in vna Eccleſia ſimul eſſe non poſſe. 42
II. Hæreticorum plures quidem formas; ſed omnium perfidiam eſſe vnam. 44
III. Hæreticos in ſectas ſolere diſſectos eſſe. 44
IIII. Hæreticorum alios eſſe manifeſtos, alios fucatos. 45
V. Plùs metuẽdos, & cauendos eſſe Hęreticos, per pacis imaginem blandientes; quàm qui apertè ſunt inimici; ac ob id tãtò fortiùs contra eos pugnandum eſſe. 47
VI. Quid inter Hæreticos, Schiſmaticos, & malos Chriſtianos interſit. 49
VII. Ab Ethnico quid differat hęretic⁹. 50

CAPVT V.

De origine hæreſum. 51
I. Hæreſum originẽ doctrinas eſſe hominum,& dæmoniorum. 51
II. In ſumma,Diabolum eſſe hæreſum authorem. 55
III. Quo conſilio hæreſes à Diabolo ſint excogitatæ, & in quanta pericula coniiciant incautos. 56
IIII. Quibus machinationibus Diabolus Eccleſiã Dei oppugnare conatus ſit. 57
V. In quem finem Diabolus mouerit ſectas. 58
VI. Quàm Diabolus in excitandis hæreſibus vehemens ſit,& inquietus. 59

CAPVT VI.

De hæreſum cauſis. 60
I. Antiqua fides quomodò ab Hęreticis ſit mutata,& quæ hæreſum cauſæ. 60
II. Vnde hæreſes naſcantur. 61
III. Philoſophica hęreſum cauſa ex pugna rationis cum voluntate. 62
IIII. Hęreſum cauſa Theologica à diuinę Scripturæ materia petita. 64
V. De internis hæreſum cauſis. 64
VI. De externis hæreſum cauſis. 71

VII. Quis hæreſum ſit ſcopus. 72
VIII. Hæreſes quid proſint Eccleſiæ. 72
IX. Hæreſes non niſi propter aliquod bonum in Eccleſia permitti. 73
X. Quibus gradibus ad hęreſim procedatur. 74

CAPVT VII.

De improbis Hæreticorum moribus. 76
I. Quæ in genere de his dicta, & ſcripta ſint ab Apoſtolis. 76
II. Teſtimonia Patrum de Hęreticorũ moribus in genere, & primùm quomodò Hęretici ex ſuis,& diſcipulis,& moribus reuincantur. 78
III. Quàm incommodi ſint Hæreticorũ mores,& conuerſatio. 78
IIII. Ex iis verò, quæ ſancti Patres de prauis Hæreticorum actionibus ſeorſim, & in ſpecie præſcripſerunt, hæc prę cæteris obſeruanda eſſe; 83
1. Hæretici ſimiæ ſunt. 83
2. Sibi placent,alios contemnunt. 84
3. Illa ſcire appetunt, ex quibus ſingulariter eruditi videantur. 84
4. Videntur ſibi ſapere,cùm ſint ſtulti. 85
5. Eorum doctrina in multiloquio verſatur. 85

6. Ex donis naturæ faciunt idola. 85
7. Inter ſe diſcrepant; contra Eccleſiam conueniunt. 86
8. Nimis amant ſuas opiniones. 87
9. Separant ab Eccleſia Doctores. 87
10. Se potiſsimùm Chriſtianos putant. 87
11. Sibi verum Sacramẽtorum vſum vendicant. 88
12. Non cedunt, etſi vincantur. 88
13. Neque Scripturas curant, neque traditiones. 88
14. Semper in peius extolluntur. 89
15. Non Dei, ſed ſuum opus peragunt. 90
16. Graſſantur in populum Chriſtianũ. 90
17. Mutis amici; loquentib. aduerſarij. 90
18. Eorum Eccleſiæ fidei expertes. 91
19. Tandẽ increduli fiunt & blaſphemi. 91

CAPVT VIII.

De peruerſa Hæreticorum doctrina. 92
I. Scripturas obtendunt. 92
II. Scripturas ſine ſenſu loquuntur. 93
III. Pro veris vmbram falſitatis requirunt. 94
IIII. Aut, ſi quandò vera dicunt, ad oſtentationem faciunt. 94
V. Omnes Scripturas vſurpant. 95

VI. Nec

VI. Nec tamen intelligunt Scripturas. 96
VII. Solum textum admittunt. 96
VIII. Verba legis adulterant. 97
IX. Sacris Scripturis variè abutuntur. 97
X. In Scripturis peruertendis temerarij ſunt, & audaces. 98
XI. Verba Scripturæ corrumpunt. 98
XII. Simplicia torquent. 99
XIII. Confeſsiones ſcribunt. 99
XIIII. Alienas voces vſurpant. 99
XV. Erroribus ſuis fucum obducunt. 100
XVI. Non ſe authoritati Scripturarũ; ſed ſibi ipſis Scripturas ſubiiciunt. 100
XVII. Nunc aſpera nunc leuia proponunt. 101
XVIII. Bona malis admiſcent. 102

CAPVT IX.

De Hæreticorum impia, & fraudulēta perfidia. 103
I. Bonæ interdum ſunt vitæ, vt tantò faciliùs decipiant. 103
II. Veterum ſcripta inuolutiùs edita reuocãt, & ſibi pro defenſione hęreſum fraudulenter vſurpant; ne primi, neque ſoli ſic ſenſiſſe videantur. 104
III. De bonis ꝑſcribunt, vt afferãt mala. 105

IIII. Aliud dicunt,aliud ſentiunt. 106
V. Ex veritate mendacium ſtruunt. 106
VI. Sub vmbra veritatis decipiunt. 107
VII. Honeſta loquendi ratione circumueniunt incautos. 107
VIII. Inſipientes circumueniunt ſpecie diſsimulata. 107
IX. Varij, & verſipelles ſunt. 108
X. Inſidias ſtruunt, & per lucem ad tenebras ducunt. 109
XI. Verba legis ad ſenſum humanum immutant. 109
XII. Corruptores ſunt Euangelij, & Scripturas mutilant. 110
XIII. Duplices corde ſunt. 110
XIIII. Ambidextri ſunt. 111
XV. Aliud ore, aliud in conſcientia loquuntur. 112
XVI. A mulieribus diſcunt,quę viros doceant. 112
XVII. Chriſtianos Chriſti nomine ſeducunt. 113
XVIII. Aliorum crimina colligunt,vt ſua tegant. 114
XIX. Authoritatem Eccleſiæ diminuere ſolent. 115
XX. Eccleſiam propter falſam doctrinam

affligi

affligi clamitant. 115
XXI. Fingunt ſe Eccleſiæ condolêre. 116
XXII. Scripta Patrum adulterant, aut eorum nomine ſuos edunt fœtus. 116
XXIII. In ſumma, apud Hæreticos veritati omnia ſunt contraria. 117

CAPVT X.

De ſignis, & notis, ex quibus Hæretici cognoſci, & diſcerni queant. 118
I. Quibus Hęretici notis à veris diſtinguãtur Prophetis. 118
II. Quæ hęreſum ſigna magis ſint notabilia. 120
1. Studium nouitatis. 121
2. In dubium reuocare, quæ iam olim ab Eccleſia rectè conſtituta, ac definita ſunt. 122
3. Diuerſa docêre. 123
4. Vnitatem ſcindere. 124
5. Chriſtum diuidere. 125
6. In impietate proficere. 125
7. Non obedire, ſed reſiſtere iis, qui præſunt in Eccleſia Dei. 125
8. Oppugnare Præſidem Eccleſiæ. 127
9. A fide & Eccleſia deficere. 127
10. Contra Eccleſiam inſurgere. 128

11. Rebus Eccleſiaſticis ſe abſq; miſsione & legitima vocatione immiſcere. 129
12. Nouum cœtum, propria authoritate, & abſq; ſuperiorum iuſſu, colligere. 129
13. Nõ à Chriſto ſed ab aliis nominari. 129
14. In deteriora ruere. 130
15. Incrementa non habere. 130
16. Se ipſos conſumere. 131
17. Citò euaneſcere. 131
18. Inconſtantia doctrinæ. 132

CAPVT XI.

De falſo Hæreticorum prætextu, quo ſe Chriſti Apoſtolis non ſolùm comparare; ſed etiam præferre conantur. 134
I. Hæretici debent oſtendere, ex qua authoritate prodierint. 134
II. Hæretici peruersè æmulantur Apoſtolos. 135
III. Error eorum, qui dicebant, Apoſtolos non omnia ſciſſe. 135
IIII. Non probari ignorantiam Apoſtolorum ex eo, quòd Petrus, & qui cum eo erant, reprehenſi ſint à Paulo. 137
V. Alius error eorum, qui concedebant, Apoſtolos quidem omnia nouiſſe, ſed non omnia omnibus reuelaſſe. 138

VI.

VI. Etiamſi aliqui Eccleſias ab Apoſtolo correptas dicunt, non tamen ſequitur, eas omnes in fidei,aut morum doctrina neceſſaria erraſſe. 140
VII. Hæretici fruſtrà gloriantur contra Eccleſiam de paucitate ſuorum,cũ apud eos vera concordia eſſe non poſsit. 141
VIII. Qua ratione Hæreticorum fraudes facilè quis deprehẽdere, & cognoſcere poſsit. 144
IX. Hæretici, etſi transfigurent ſe in Angelos lucis, ſunt tamen Pſeudoapoſtoli, & diſcipuli Diaboli. 145
X. Quibus promiſsionib. Hæretici incautos decipere conſueuerint. 147

CAPVT XII.

De licentia ſectarum,ſiue de liberę religionis abuſu. 148
I. Quibus rationibus aliqui Catholici Principes Sectis libertatem permiſerint. 148
II. Quibus modis Principes iſti fuerint decepti. 150
III. Quid ad edicta liberæ religionis conſecutum ſit; ac etiamnum conſequatur. 152

IIII. Quàm hæc neutralitas & licentia diuinis Scripturis ſit inimica. 154
V. Non debere Magiſtratus liberam relinquere plebi religionem. 157
VI. Vt Imperatores Catholicos conceſſæ libertatis pœnituerit, & Hæreticos ſtatim ſuſtulerint. 158

CAPVT XIII.

De officio,& authoritate publici Magiſtratus in puniendis,& compeſcendis hereſibus. 166
I. Regibus, & Imperatoribus Eccleſiam datam in tutelam contra Hæreticorum inſultus. 166
II. Gladium portant Impp. etiam contra Hæreticos. 166
III. Etſi ad fidem nullus cogendus inuitus, perfidia tamen ſeuerè punienda eſt. 167
IIII. Quæ ad tollendas hæreſes Principes Catholici prohibuerint. 168
V. Quibus generibus pœnarum Hæreticos expugnauerint. 171
VI. Vtile fuiſſe Hæreticis,per Imperatorũ leges ab erroribus abſtrahi, atq; ad Eccleſiam Catholicam pœnarum terroribus reuocari. 174

CAPVT XIIII.

De mala morte,ac infœlici interitu Tyrannorum,& Hæreticorum, qui Eccleſiam Dei perſecuti ſunt. 176
I. De infelici interitu Tyrannorum. 176
II. De infelici interitu Hæreticorum. 186

CAPVT XV.

De iuſto, ac ſeuero Dei aduersùs hæreſes iudicio,& grauiſsimâ Hæreticorum damnatione. 191
1. Ex veteri teſtamento. 191
2. Ex nouo teſtamento. 192
3. Ex ſanctis Patribus. 195
I. Quam de ſua fide rationem Hæretici in extremo iudicio ſint reddituri. 195
II. Quàm grauiter olim à Deo diuinarum ordinationũ violatores puniti ſint. 196
III. Stare & viuere non poſſe de Eccleſia recedentem. 198
IIII. Extra Eccleſiam & fraternam charitatem nemini nec profeſsionem nominis,nec martyrium prodeſſe. 199
V. Mortem Hæreticis inflictam non eſſe martyrium. 200
VI. Hæreſes veluti ſarmenta inutilia ab Eccleſiis reſcindi. 201

VII.

VII. Diſcordes in Religione ad regnum Dei peruenire non poſſunt. 201
VIII. Hęreticos, niſi ad Eccleſiam Catholicam redeant, ſaluos eſſe non poſſe. 203

EPILOGVS.

I. Noſtri temporis hæreſes ab antiquis reuocatas eſſe. 204
II. Eadem nunc dogmata eſſe in Eccleſia, quæ à tempore Apoſtolorũ ſemper fuerunt obſeruata. 206
III. Vnde, qui nunc regnat, Sathaniſmus ſuam ſumpſerit originem. 209
IIII. Quàm ſeuera huius peruerſitatis ratio à Nouatoribus iſtis ſit exigenda. 210

DE HÆRESVM COGNITIONE atq; notitia.

LIBER PRIMVS.

EX VERIS PRINCIPIIS ET PROPRIIS CAVSARVM notis atq; differentiis.

ROM. XVI.

ROGO autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam didiciſtis faciunt; & declinate ab illis. Huiuſmodi enim CHRISTO Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ventri; & per dulces ſermones, & benedictiones, ſeducunt corda innocentium.

VINCENTIVS LYRINENSIS adueſus profanas hæreſum nouitates.

NIHIL nouandum, niſi quod traditum eſt, (hoc eſt) nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, qua fide à Patribus ſuſcepta forent, eâdem fide filiis conſignarentur; nóſque religionem, non quâ vellemus ducere; ſed potiùs, quâ illa duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ, & grauitatis, NON SVA POSTERIS TRADERE, ſed à maioribus accepta ſeruare.

QVIS IN SCRIBENDIS ADVERSVS HÆRETICOS LIBRIS ADHIBENDVS ſit modus.

CAPVT I.

ETSI hoc tempore, quo hæreſeos malum ad ſummum increbuiſſe videtur, contra hæreticorũ errores aliquid ſcribere admodum ſit difficile; non ob id tamen ad eorum calumnias & impoſturas perpetuò tacendum eſſe, rectè olim præſcripſit. *Diuus Hilarius Epiſcopus Pictauienſis, dum librum ſuum de Trinitate ſeptimum hac auſpicatus eſt præfatione:*

SEPTIMVS hic nobis, *inquit*, aduerſùm nouæ hæreſeos veſanam temeritatem liber ſcribitur; cæteris quidem anterioribus numero poſterior, ſed ad perfectum fidei ſacramentũ intelli-gendum, aut primus, aut maximus; in quo non ignoramus quàm difficile aut ar-

duum iter doctrinæ Euangelicæ ſcādamus. A quo quamuis conſcientiæ infirmitatis noſtræ trepidatiōe reuocemur, tamen fidei æſtu incitati & hæreticorū

FVROR hæreticor. Ignorantiæ periculum.

FVRORE commoti, & periculo ignorantium perturbati, qui loqui non audemus, ſilere non poſſumus: vtriuſque diſcriminis metui ſubditi, ne deſtitutæ veritatis rea in nobis ſit aut taciturnitas, aut prædicatio.

Subtilitas hæreticor.

INCREDIBILIBVS etenim ſe corrupti ingenij artibus hęretica ſubtilitas
1. circumegit; primū vt fingeret religio-
2. nem, deinde vt omnium ſimplicium aurium ſecuritatē verbis falleret, tum
3. prętereà, vt ſe prudentiæ ſeculi coaptaret. Nam proteſtata Deum vnum mentita pietatem eſt; profeſſa rurſus Dei filium audientes fefellit in nomine. Dicēs etiam, non fuiſſe antequam naſceretur, mundi ſapientiæ ſatisfecit.

BASILIVS Magnus in epiſt. ad Euſtachium Epiſcopum Sebaſtiæ. Tempus eſſe tacendi, & tempus loquendi, ſermo eſt

Eccleſ. 3.

Eccleſiaſtæ. Et nunc igitur, quoniam abunde

abunde ſat ſilentij hactenus præceſſit, oportunum deinceps erit, vt ad patefactionem eorum quæ ignorantur, os noſtrum aperiamus.

I. *Tacendi tempus eſſe, vbi nullus ex ſermone ſperandus eſt fructus.*

D. HILARIVS *lib. 6. de Trinitate in principio.* Non ſum neſcius, *inquit,* difficillimo me aſperrimoq; tempore ſcribere hæc, aduerſùs veſanam impiorum hęreſim, Dei filium creaturam eſſe affirmantē, aggreſſum fuiſſe, multis iam per omnes ferme Romani imperij 1.
prouincias Eccleſiis morbo peſtiferæ huius prædicationis infectis & velut ad piæ fidei huius malè vſurpatam perſua- 2.
ſionem longo doctrinæ vſu & emendatione veræ religionis imbutis, non 3.
ignorãs, difficilem eſſe ad emendationis profectum voluntatem, quam in erroris ſui ſtudio per plurimorum aſſenſum authoritas publicæ iam ſententiæ contineret.

Quando cõtra hæretic. ſcribere ſit difficile.

GRAVIS enim & periculoſus eſt ERROR IN PLVRIMIS, & multorũ lapſus, etſi ſe intelligat, tamen exurgendi pudore authoritatẽ ſibi præſumit, ex numero hoc habens impudentię, vt quod errat prudẽtiã velit exiſtimari; & quod cum multis errat, intelligentiam afferat eſſe veritatis, dum minus erroris eſſe exiſtimatur in multis.

Error multorũ periculoſus.

Ac mihi quidem præter ſtudij mei atque officij neceſſitatem, qua hoc Eccleſiæ Epiſcopus prædicationis Euangelicæ debeo miniſterium; tamen eò propenſior cura ad ſcribendum fuit, quò magis plures periculo infidelis intelligentiæ detinebantur, vberius gaudium conſectans ex ſalute multorum, ſi cognitis Sacramẽtis perfectæ in Deum fidei, impia humanæ ſtultitiæ inſtituta deſererent, & ſe Deo redderent, hæreticis repudiatis; atq; à cibo mortis, quo in laqueum aues ſolẽt illici, in volatum ſe liberæ ſecuritatis erigerent; ſequerenturq; Chriſtum ducem, Prophetas nũcios, Apoſtolos præuios, fidem conſumma-

Infidelis intelligẽtia.

ſummatam, & ſalutem in Patris & Filij confeſſione perfectam.

II. *Tēpus loquendi, quando nec tacēdo aliquid proficitur, vel ad loquendum grauis & ineuitabilis vrget neceſſitas.*

D. HILARIVS *contra Conſtantium Auguſtū iam vita defunctum, in principio.* Tempus, *ait*, eſt loquendi, quia iam præteriit tempus tacendi. CHRISTVS expectetur, quia obtinuit Antichriſtus. Clament paſtores, quia mercenarij fugerunt. Ponamus animas pro ouibus, quia fures introierunt, & Leo ſæuiens circumit. Ad martyrium per has voces exeamus, quia Angelus Sathanæ transfigurauit ſe in Angelum lucis. Intremus per ianuam; quia nemo vadit ad Patrem niſi per Filium. Manifeſtentur in pace ſua Pſeudoprophetæ, quia in hæreſi & ſchiſmate manifeſtabuntur probati. Suſtineatur tribulatio, qualis non fuit à conſtitutione mundi;

Tempus tacendi præteriit.

 ſed

ſed intelligãtur breuiandi dies propter electos DEI.

2. Ti. 4. IMPLETA prophetia eſt, dicens: Erit tempus, quando ſanam doctrinam non ſuſtinebũt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros ſcalpentes aures, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Sed expectetur promiſſio proteſtãtis; Beati eſtis cùm maledicent, & perſequentur, & dicent omne malum aduerſùm vos propter iuſtitiam. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlo. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui erant ante vos.

Matth. 5.

Exhortatio ad Cõſtantiam.

STEMVS ante iudices & poteſtates pro Chriſti nomine; quia BEATVS EST QVI AD FINEM VSQVE PERSEVERAVERIT. Non timeamus eum, qui poteſt corpus occidere; ſed timeamus eum, qui poteſt corpus, & animam occidere in gehenna. Nec ſoliciti ,, de nobis ſimus, quia capilli capitis no- ,, ſtri numerati ſunt; & per Spiritum ſan- ,, ctum ſequamur veritatem, ne per Spiritum

ritum erroris credamus mendacio. Et ,,
commoriamur Chriſto, vt Chriſto cõ-
regnemus. Vlteriùs enim tacere diffi-
dentię ſignum eſt, non modeſtiæ ratio; ,,
quia non minus periculi eſt ſemper ta- ,,
cuiſſe, quàm nunquam.

III. *Singulare modeſtiæ exemplũ D. Hilarij in perferendis hæreticorum perſecutionib.*

Ibidem. Ego fratres, *inquit*, vt mihi omnes, qui me vel audiunt, vel familiaritate cognitum habẽt, teſtes ſunt, grauiſſimum fidei periculum longè antea prouidẽs, poſt ſanctorum virorũm exilia Paulini, Euſebij, Luciferi, Dionyſij, quinto ab hinc anno à Saturnini & Vrſatij, & Valentis communione, me cũm Gallicanis Epiſcopis ſeparaui, indulta cęteris conſortibus eorum reſipiſcendi facultate: vt nec pacis abeſſet voluntas &c.

Atqve exinde toto hoc tempore in exilio detentus, neque decedendum mihi eſſe de Chriſti cõfeſſione decreui,

neq; honeſtam aliquam ac probabilem ineundæ vnitatis rationem ſtatui reſpuendam.

DENIQVE nihil exinde in tempora maledictum, nihil in eam, quę tum ſe Chriſti Eccleſiam mentiebatur, nunc autem Chriſti eſt Synagoga, famoſum ac dignum ipſorum impietate ſcripſi, aut locutus ſum; nec interim criminis loco duxi, quenquam aut cum his colloqui, aut ſuſpenſa licet communionis ſocietate, orationis domum adire, aut paci optanda ſperare, dum erroris indulgentiā ab Antichriſto ad Chriſtum recurrentium per patientiam præpararemus.

SI QVIS igitur prudens iam rationem ſilentij mei percepit, profectò me vſq; nunc recentis iniuriæ acerbitatem moderatum nunc demū fideli in Chriſto libertate teſtante, non aliquo vitio humanæ perturbationis ad hæc ſcribēda arguet incitatum. Neque enim immaturè loquor, qui diu tacui; neq; iniuriam queror, qui diſſimulaui recentem;

&

& ne quid ex mea cauſa loqui exiſtima- „
rer, tantum adhibui ad ſilentiũ tempus. „

IIII. *Quàm, hæreticis graſſantibus, periculo ſit plenum, de rebus fidei ſilentium.*

IDEM Hilarius ibidem: Nunc mihi non alia ad dicendũ cauſa quàm Chriſtus eſt; cui & hoc debui, quod vſque nunc tacui, & ex reliquo intelligo, me debere, ne taceã. ATQVE vtinam illud potius, omnipotens Deus, & vniuerſorum creator, ſed vnius Domini noſtri IESV CHRISTI Pater, ætati meæ & tempori præſtitiſſes, vt hoc Confeſſionis meæ in te atq; in vnigenitum tuum miniſterium Neronianis, Decianiue temporibus expleſſem. Nec ego per miſericordiam Domini & Dei filij tui IESV CHRISTI calens eculeum metuiſſem, qui deſectum Eſaiam ſciſſem; nec ignes timuiſſem, inter quos Hebræos pueros cantaſſe meminiſſem: nec crucem & fragmẽta crurum meorum vitaſſem, poſtquam in paradiſum

In Chriſti cauſa nec ſẽper tacendũ neq; ſemper loquendum eſſe.

Pœnitet Hilarium tam diu tacuiſſe.

Cur perſecutiones nõ ſint timẽdæ.

" tranſlatum latronem recordarer; nec
" profundum maris, & Pontici æſtus abſorbētem rheumam trepidaſſem, cùm per Ionam & Paulum docuiſſes, fidelibus eſſe in mari vitam.

Fœlix certamen aduerſ. hoſtes Chriſti.

" ADVERSVS enim abſolutos hoſtes
" tuos fœlix mihi illud certamen fuiſſet,
" quia nec dubium relinqueretur, quin perſecutores eſſent, qui ad negandum te pœnis, ferro, igni compellerent, neque ad teſtificandum plus tibi nos, quàm mortes noſtras liceret impendere. Pugnaremus enim in palam & cum fiducia contra negantes, contra torquentes, contra iugulantes; & nos populi tui tanquam duces ſuos, ad confeſſionis religionem intelligentia perſecutionis publicæ comitarentur.

Perſecutiones aduerſ. Eccleſiam Conſtantij Auguſti blādientes.

AT NVNC pugnamus contra perſecutorem fallentē, contra hoſtem blandientem, contra Conſtantium Antichriſtum, qui non dorſa cædit, ſed ventrem palpat; non proſcribit ad vitam, ſed ditat in mortem; non trudit carcere ad libertatem, ſed intra palatium

hono-

honorat ad ſeruitutem: non latera vexat, ſed cor occupat; non caput gladio deſecat, ſed animam auro occidit: non ignes publicè minatur, ſed gehennam priuatim accendit: non contendit, ne vincatur, ſed adulatur, vt dominetur. Chriſtum confitetur, vt neget; vnitatem procurat, ne pax ſit; hæreſes comprimit, ne Chriſtiani ſint; Sacerdotes honorat, ne Epiſcopi ſint; Eccleſiæ tecta ſtruit, vt fidem deſtruat. Te in verbis, te in ore circumfert, & omnia omnino agit, ne tu vt Deus, ita Pater eſſe credaris.

CESSET itaque maledictorum opinio, & mendacij ſuſpicio; VERITATIS ENIM MINISTROS DECET VERA PROFERRE. Si falſa dicimus infamis ſit ſermo maledicus; ſi verò vniuerſa hæc manifeſta eſſe oſtendimus, non ſumus extra Apoſtolicam libertatem & modeſtiam, poſt longum hæc ſilentium arguentes.

Apoſtolica libertas eſt, vera pferre.

QVAM

QVAM INGENS AC DETESTABILE SIT HÆRESEOS CRIMEN.

CAPVT II.

I. *Variæ hæreſum & hæreticorũ appellationes, figuræ & Prophetiæ, quibus huius ſceleris atrocitas oſtenditur.*

MATTHÆI 7. Attendite à falſis Prophetis, qui veniũt ad vos in veſtimentis ouiũ, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoſcetis eos.

Hęretici Lupi rapaces.

ITEM 13. Simile factum eſt regnum cœlorũ homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo; cùm autem dormirẽt homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit.

Inimici.
Hæreſes zizania.

ITEM 16. Intuemini & cauete à fermento Phariſæorum, & Saducæorum, de

Fermentũ Phariſæorũ.

de quo D. Paulus dixit; neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit. 1. Cor. 5.

Item 24. Videte, ne quis vos ſeducat, multi enim veniēt in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent. Surgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi; ecce prædixi vobis.

Clemens *in conſtitutionibus Apoſtolorum lib. 6. cap. 13.* Poſt verò multos dies viſitauimus fratres, & confirmauimus eos, verbo veritatis obteſtantes, vt „ ab eis fugerent, qui nomine Chriſti, & „ Moyſis Chriſtum, & Moyſen oppu- „ gnarent, & pelle ouis lupum tegerent; Hi enim ſunt Pſeudochriſti, Pſeudoapoſtoli, & Pſeudoprophetæ, ſeductores & corruptores, partes vulpium, & vinearum, quæ vites depreſſas, & in terram ſparſas habent, deuaſtatores, quorum opera & ſtudio multorum charitas refrigeſcet.

Hæretici dicũtur Pſeudochriſti. Pſeudoapo. Pſeudopro. Seductores. Corruptores. Partes vulpium. Deuaſtatores.

QVI verò ad extremum ſuſtinuerit, non deflectens à via recta, hic ſaluus erit. De his præmuniendi cauſa, ſic nos
Matth. 7. Dominus admonebat: Veniẽt, inquit, ad vos homines, in indumentis ouium, intus verò ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos; cauete ab eis: Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & decipient multos.

AMBROSIVS *in 118. Pſal. Sermo. 6. Tom.* 4. Lupi ſunt hæretici omnes, docere neſciunt, vllulare conſueuerunt.

IDEM *lib. 7. in Lucam cap. 10.* Nonne lupis hæretici comparandi ſunt, qui inſidiantur ouibus Chriſti, fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quàm diurno; SEMPER ENIM PERFIDIS NOX EST, qui lucem Chriſti ſuę interpretationis nebulis obducere, & quantum in ipſis eſt, fuſcare conantur.

Vulpes. IDEM *lib. 7. cap. nono. Tom. 5.* Vulpes plenum eſt fraudis animal, foueam parans, & in fouea ſemper latere deſiderans. Ita ſunt hæretici, qui domũ parare ſibi norunt, ſed circumſcriptionibus

ſuis

ſuis alios decipere conantur. Iacob do- ,,
mum habitat, hæreticus in fouea eſt, vt ,,
fraudulenta vulpes, gallinę illi Euange- ,,
licæ dolum ſemper intendens.

AVGVSTINVS *de tempore Serm. 86.* Cyniphes arti Philoſophiæ, vel hæreticorum calliditati comparat, quam minutis & ſubtilibus verborum ſtimulis aures terebrant; & tanta calliditate circumueniunt, vt deceptus quiſque nec videat, nec intelligat vnde decipiatur. Cyniphes.

CHRYSOSTOMVS *homilia de Spiritu ſancto.* Hæretici caupones fuerunt, adulteratæ veritatis: confuderunt omnia, ſubuerterunt ſe ipſos, excide- Caupones adulteratæ veritatis.
runt à veritate, obtenebratum eſt inſi- ,,
piens cor eorum, dicẽtes ſe eſſe ſapien- ,,
tes, infatuati ſunt.

IDEM *homilia 45. in Matth.* Hæreticos appellat ſerpentes; nẽpe quia pru- ,, Serpẽtes.
dentes ſunt in malo, & ſtulti in bono; & ,,
ſicut ſerpentes varij ſunt in erroribus ſuis, & multiplices in malignitate, qui depoſuerunt imaginem Dei, quę eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis; & ſuſcipientes

pientes imaginem ſerpentis, quæ eſt in malitia & ſchemate veritatis; facti ſunt ſerpentes, filij ſerpentis illius, ad quem Dominus in perſona Eccleſiæ & Diaboli dicit; Ecce pono inimicitias inter te, & mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen illius. Super ventrem tuum, & pectus tuum repes; & terram manducabis omnibus diebus tuis.

Hæretici nō Chriſtiani.

PROPTER quam ſententiā Domini, INTER HÆRETICOS ET CHRISTIANOS PAX NON POTEST ESSE. Si ergo filios Eccleſię non perſequuntur hæretici, neque aduerſantur, & ipſi filij ſunt Eccleſiæ; Si autem perſecuntur, ſemen ſunt ſerpentis illius, cuius ſemē inimicitias exercet aduerſus ſemen Eccleſię.

NAM & iſti, qui ſunt germina ſerpētis, ſimiliter ſicut & illi, ſuper ventrem ſuum & ſuper pectus repunt, & ſemper manducant terram.

Hæretici ſuper vētrem repunt.

SVPER ventrem quidem & pectus repunt, quoniam quidquid faciunt, propter ventrem ſuum faciunt, & propter vanam gloriam pectoris ſui.

TERRAM

Terram autem manducant, quoniam neminẽ lucrantur, aut capiunt in perfidia ſua, niſi illos, qui in terra ſunt, id eſt, carnales homines. Spiritvales avtem homines vnctio non consvmit. Manducare enim eſt lucrari, vel adquirere, ſiue ad vitam, ſiue ad mortem. Terrã manducant.

Non solvm autem ſerpentes ſunt, ſed etiam viperæ, quarum natura eſt, vt rumpentes viſcera matrum naſcantur: ſic & authores hæreſum rumpentes fidem matris Eccleſiæ, proceſſerunt ad principatum. Viperæ.

II. *Qui, Dei traditione contempta, alienã doctrinam appetunt, peius crimen admittũt, quã qui in peccata labuntur.*

Cyprianvs *de vnitate Eccleſiæ.* Quos (*hæreticos ſcilicet*) imitantur atque ſectantur, qui, Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt; & magiſteria humanæ inſtitutionis inducũt; quos increpat Dominus & obiurgat in

Euangelio ſuo dicens: Reiicitis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis: peius hoc crimẽ eſt, quàm quod admiſiſſe lapſi videntur; qui tamen in pœnitentia criminis conſtituti, Deum plenis ſatisfactionibus deprecantur.

Collatio pulchra in hæreticũ & peccatorem.

,, HIC ECCLESIA quæritur & roga- ,, tur; illic Eccleſiæ repugnatur. Hic po- ,, teſt neceſſitas fuiſſe: illic voluntas tene- ,, tur in ſcelere. Hic qui lapſus eſt, ſibi ,, tantùm nocuit; illic qui hæreſim vel ,, ſchiſma facere conatus eſt, multos ſecũ ,, trahendo decepit. Hic animæ vnius eſt ,, damnum; illic periculum plurimorum. ,, Certè peccaſſe ſe, hic & intelligit, & la- ,, mẽtatur, & plãgit; ille tumẽs in peccato ,, ſuo, & in ipſis ſibi delictis placẽs, à matre ,, filios ſegregat, oues à paſtore ſollicitat, ,, Dei ſacramenta diſturbat. Et cũ lapſus ,, ſemel peccauerit, ille quotidie peccat.

* Aliàs poſt modum.

POSTREMO lapſus, martyrium* primitionem cõſecutus poteſt regni promiſſa percipere; ille ſi extra Eccleſiam fuerit occiſus, ad Eccleſiæ non poteſt præmia peruenire.

III. *Hæ-*

III. *Hæreſes omnes ſiue Apoſtolis coætaneæ ſiue poſteriores, adulteræ ſunt, & damnatitiæ.*

Tertullianvs *de præſcriptionibus hæreticorum.* Eligant igitur ſibi tempora vniuerſæ hæreſes, quæ quando fuerint, dum non interſit; quæ quando, dum de veritate non ſint; vtiq; quę ſub Apoſtolis non fuerunt, fuiſſe non poſſunt. Si enim fuiſſent, nominarentur & ipſæ, vt & ipſæ coërcendæ. Quæ verò ſub Apoſtolis fuerunt, in ſua nominatione damnantur. Dilemma.

Sive ergo eædem nunc ſunt aliquanto expolitiores, quæ ſub Apoſtolis rudes, habent ſuam exinde damnationem: ſiue aliæ quidem illæ fuerunt, aliæ autem poſtea ſubortę ſunt, & quaſdam ex illis opiniones vſurpauerunt, habendo cum eis conſortium prędicationis, habeant neceſſe eſt etiam conſortium damnationis; præcedente illo fine ſupradicto poſteritatis, quo etſi nihil de dānatitiis participarent, de ætate

Hæreſes damnatitiæ. ſola præiudicarētur, tanto magis adulteræ, quanto nec Apoſtolis nominatæ.

Quomodo hereſes ſemper & prouocatę & reuictæ ſint. VNDE firmiùs conſtat, has eſſe, quæ adhuc tunc nunciabantur futuræ. His definitionibus prouocatę à nobis & reuictæ hæreſes omnes, ſiue quæ poſterę, ſiue quę coætaneę Apoſtolorum, dummodo diuerſę; ſiue generaliter ſiue ſpecialiter notatæ ab eis, dummodo prædamnatæ, audeant reſpondere & ipſæ aliquas eiuſmodi præſcriptiōes aduerſùs noſtram diſciplinā. Si enim negant veritatem eius, debent probare, illam quoq; hæreſim eſſe eadem forma reuictam, qua ipſæ reuincuntur; & oſtēdere ſimul, vbinā quęrenda ſit veritas, quam apud illas non eſſe iam conſtat.

Hac prouocatione etiā hodie noſtri temporis heretici reuincuntur.

POSTERIOR noſtra res non eſt, imò omnibus prior eſt; hoc erit teſtimoniū veritatis vbiq; occupātis principatum. Quod ab Apoſtolis nō damnatur, imò defenditur, hoc erit indicium proprietatis. Quam enim damnāt, quaſi extraneam; quamq; nō damnauerunt, ſuam oſtendunt, ideoq; defendunt.

Veritas vbique principatum obtinet.

Victoria Catholicorū.

IIII.

IIII. *Chriſti tunicam ſcindunt, qui Eccleſiã eius in ſectas diuidunt.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Hanc vnitatem qui non tenet, Dei legem non tenet; non tenet Patris & Filij fidem, vitam non tenet & ſalutem. Hoc vnitatis ſacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur, quando in Euangelio tunica Domini Ieſu Chriſti non diuiditur omninò nec ſcinditur; ſed ſortientibus de veſte Chriſti, quis ipſam potiùs indueret, integra veſtis accipitur, incorrupta atque indiuidua tunica poſſidetur &c. Vnitatis Sacramẽtum.

POSSIDERE non poteſt indumentum Chriſti, qui ſcindit, & diuidit Eccleſiam Chriſti &c. Tunica enim indiuidua, copulata, connexa oſtendit populi noſtri (qui Chriſtum induimus) concordiam cohærentem; Sacramento & ſigno veſtis, declarauit Eccleſiæ vnitatem. Indumẽtũ Chriſti poſſidere.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

V. *Arma contra Eccleſiam portat, qui ſe à Cleri, aut plebis Chriſtianæ ſocietate ſecernit.*

CYPRIANVS *ibidem:* An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, q aduerſus Sacerdotes Chriſti facit? q ſe à Cleri eius, & plebis ſocietate ſecernit? Arma ille cõtra Eccleſiã portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat: hoſtis altaris aduerſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſeruus, filius impius, frater inimicus, cõ temptis Epiſcopis & Dei Sacerdotibus derelictis, conſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia profanare, nec dignatur ſcire: quoniã qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduerſione punitur.

VI. *Hæreſis eſt peccatũ in Spiritũ ſanctũ, quod neq; in hoc ſæculo, neq; in futuro expiari poteſt.*

CLE-

CLEMENS *de Conſtitutionibus Apoſtolicis lib.6.cap.18.* Impios hæreticos non pœnitentes diſcludite, & ſemouete à fidelibus, & eis Eccleſiam Dei interdicite; vt omnibus modis ab eis declinẽt, nec vlla cum eis ſit ſermonis, aut precationis communitas. Hi enim ſunt aduerſarij, & inſidiatores Eccleſiæ, qui corrumpunt gregem, & fœdant hæreditatem, ſapientiæ ſimulatores, & toti improbi. De quibus aiebat Salomon; Qui ſunt impij, ſimulant ſe pios eſſe; eſt enim, inquit, via, quæ quibuſdam videtur recta, extrema verò eius ſpectant ad profundum inferni.

Hæretici im pœnitẽtes vt infideles ab Eccleſia excludẽdi ſũt.

Prouer. 14.

HI SVNT, de quibus Dñs acerbè, & rigidè ꝓnunciauit eſſe Pſeudochriſtos, & falſos Magiſtros, qui in ſpiritum gratiæ blaſphemi fuerunt, & donum eius poſt gratiam, contumelioſè aſpernati ſunt: quibus neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro remittetur. Qui magis impij ſũt quàm Iudæi, & magis ſine Deo, quàm Gentiles, qui ſummum Deum vniuerſi Prȩſidem blaſphemiis inſectantur, &

Hæretici blaſphemi.

Magis impij quàm Iudæi, & magis ſine Deo quã Gentiles.

In doctrinā Spirit. S. deſpuunt.

filium eius conculcāt, ac in doctrinam Spiritus ſancti deſpuunt; qui ſermones Dei negant, aut approbare ſe ſimulant, in contumeliam Dei, & ad decipiendū eos, qui ipſos adeunt; quiq; Scripturis ſanctis contumeliam inferunt, & quid nam ſit iuſtitia ignorant; qui Eccleſiam
,, deuaſtant, vt paruæ vulpes vineā: quas
,, vt deuitetis, hortamur, ne animis ve-
,, ſtris laqueos iniiciatis.

VII. *Hæreticos non eſſe Chriſtianos.*

D. IGNATIVS *S. Ioannis Apoſtoli diſcipulus in epiſtol. ad Trallian.* Sunt quidam vaniloqui, & mentis ſeductores; non Chriſtiani, ſed Chriſtum mercantes; ſeductione circumferentes nomen Chriſti, & cauponantes verbum Euangelij; & venenum erroris commiſcentes dulci blandimento, ſicut puro melli virus admiſcentes. Vt qui biberit illius potus ſenſuales illecebras, dulcedine captus inobſeruanter morti addicatur.

Vt veneno corpus: ita hæreſi anima occiditur.

MONET autem quidam antiquorum, VT NEMO BONVS DICATVR, »
QVI MALVM BONO ADMISCVERIT. »
Nominant enim Chriſtũ, non vt Chri- »
ſtum prædicent; ſed vt Chriſtum ſper- »
nant. Et legem proferunt, nõ vt legem »
ſtatuant, ſed vt legi contraria adnun- »
cient.

TERTVLLIANVS de præſcriptionibus hæreticorũ. Si enim hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt; non à Chtiſto habendo, quod de ſua electione ſectati, hæreticorum nomine admittunt.

VIII. *Hæreticos Antichriſtos eſſe.*

PRIMÆ Ioannis 4. Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint; Quoniam multi Pſeudoprophetæ exierũt in mundum. In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei; omnis ſpiritus, qui cõfitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt; & omnis ſpiritus, qui ſoluit IESVM, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, de quo

audiſtis, quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt.

HILARIVS *ad Conſtantium Auguſtum.* Fidem diuinorum dictorum qui repudiat, Antichriſtus eſt; & qui ſimulat, Anathema eſt.

Fidem ſimulans anathema.

AVGVSTINVS *in tractat. 3. in Epiſtolam Ioan.* Omnes certè, qui exeunt de Eccleſia, & ab vnitate Eccleſię p̄cidun-tur, Antichriſti ſunt; nemo dubitat: ipſe enim deſignauit; Ex nobis exierũt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permãſiſſent vtiq; nobiſcum. Quicunq; ergo nõ manent nobiſcum, ſed exeunt ex nobis, manifeſtum eſt, quòd Antichriſti ſunt.

Antichriſti qui?

CHRYSOSTOMVS *in expoſitione Pſal. 9. ſuper verſ.* Exurge Domine, non confortetur: *Tõ. 1.* Audite, *inquit*, fratres dilectiſſimi, multi in ſęculo iſto caduco
1. & fœneo habitant Antichriſti; Anti-
2. chriſti enim dicuntur ficti Chriſtiani;
3. Antichriſti dicuntur hæretici, pagani.
Ecce iſti omnes Antichriſtiani dicuntur, quia in vno nomine Chriſti, non eis

Anti chriſti.

placet

placet ſimplicitas Catholicæ Eccleſiæ, ,,
qui aut ſub laude vituperant, aut inimi- ,,
citiam apertè exercent.

Ambrosivs lib.10. in Lucam ca.21. Et etiam tertius Antichriſtus, aut Arrius, aut Sabellius, imò omnes ſunt Antichriſti, qui praua nos interpretatione ſeducunt. Et ideo qui legit, intelligat: Qui intelligit, non ſeducitur, vt credat falſa pro veris. Tertius Antichriſtus.

IX. *Hæreſes à ſanctis Patribus appellari furias, & hæreticos furioſos aut inſanos.*

D. Hilarivs lib.7. de Trinitate. Nunc enim hæreticorum furor, iam Dominũ in cœlis ſedẽtem, quia exemplo Iudæorum in crucem agere non poſſunt, pari tamen infidelitate hoc eum quod eſt, denegant; & cùm non poſſint negare, quæ dicta ſunt, tamen dictis non obedientes, odiũ impietatis ,, exercent, verborum lapides iniiciunt, ,, & ſi poſſent, de throno eum ſuo in crucem traherent. Furor hæret. Hæretici Chriſti crucifixoribus ſimiles.

D. HIERONYMVS *in Ozeam cap. 7.*

Hæreſes panes Antichriſti.

Hęreticorum corda Diaboli igne ſucçenſa', vt in eis panes coquantur Anti-
„ chriſti, nemo ambigit, qui idcirco pri-
„ mùm quieſcunt in Eccleſia, & loquun-
„ tur in oculto, & omnia pacifica repro-
„ mittunt, vt cancer paulatim ſerpat in
„ populos; & fermentum doctrinæ eorũ,
„ cùm intumuerit in cordibus decepto-
„ rum, tunc in apertam prorumpat inſaniam.

Hæretici vt ſerpãt in populos.

AVGVSTINVS *de vnitate Eccleſiæ.* Date hanc (*Eccleſiam*) aut furore depoſito accipite, non à me, ſed ab illo ipſo, in quo benedicuntur omnes gentes.

*V*INCENTIVS *Lyrinenſis.* Tempore Donati, à quo Donatiſtę, cùm ſeſe multa pars Africæ in erroris ſui furias præcipitaret, cumque immemor nominis, religionis, profeſſionis, vnius hominis ſacrilegam temeritatem Eccleſię Chriſti præponeret. *Et paulò pòſt.*

Hæretici in erroris furias præcipitantur.

NAMQVE cùm profana ipſa Arrianorum nouitas, velut quædam Bellona aut Furia, capto priùs omnium

Hęreſis Bellona aut furia.

Impe-

Imperatore, cunĉta deinde Palatij culmina legibus nouis ſubiugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit, vniuerſa miſcêre.

Chrysostomvs *ſuper Geneſ. hom. 2.* Vnde ſi Manichæus, vel Marcion, vel Valentinus, vel Gentilis non credat ſcripturæ, tu poſthac ipſum auerſeris veluti furibundum & mente captum. Nam qui omnium opifici non credit, „ & veritatem mendacij arguit, qua vn- „ quam dignandus eſt venia? Habet ille „ fucatum colorē, & manſuetorum per- „ ſonas induit, tegitque ſub ouilla pelle „ lupum.

Heretici furibundi & mēte capti.

Venia nō eſt dignus q veritatē mendacij arguit.

Sed tv ne decipiaris, imò hac ipſa „ de cauſa illū magis exoſum habe, quòd „ manſuetudinem quidem erga te con- „ ſeruum ſimulat; contra Dominum au- „ tem vniuerſorum, bellum gerit; & con- „ tra ipſius ſalutem currit inſenſatus. „

Quare heretici etiā manſueti erga nos ſint vitādi.

X. *Hæreſes non mirandas, ſed potiùs vitandas eſſe.*

Ter-

TERTVLLIANVS *de præſcript. hæret.* Quin potiùs memores ſimus tam dominicarum pronunciationum, quàm Apoſtolicarum literarum, quæ nobis & futuras hæreſes prænunciarunt, & fugiendas præfinierunt; vt ſicuti eſſe illas non expaueſcimus, ita & poſſe id, propter quod fugiendæ ſunt, non miremur.

Pelles ouiū.

Lupi rapaces.

Hæreſum peruerſitas quid differat ab Antichriſti perſecutionib.

INSTRVIT Dominus multos eſſe venturos ſub pellibus ouium rapaces lupos. Quę nam iſtæ ſunt pelles ouium, niſi nominis Chriſtiani extrinſecùs ſuperficies? Qui lupi rapaces, niſi ſenſus & ſpiritus ſubdoli, ad infeſtandum gregem Chriſti intrinſecùs deliteſcentes? Qui Pſeudoprophetę ſunt, niſi falſi prędicatores? Qui Pſeudoapoſtoli, niſi adulteri euangelizatores? Qui Antichriſti interni & ſemper, niſi Chriſti rebelles? Hoc erunt hæreſes non minus doctrinarum peruerſitate Eccleſiam laceſſentes, quam tunc Antichriſtus perſecutionum atrocitate perſequetur: niſi quòd

ſi quòd perſecutio & martyres facit, hęreſis apoſtatas tantùm.

XI. *Quæ res præcipuè ad hæreſum inueſtigationem pertinere videantur.*

AD hæreſum cognitionem, atque notitiam illi potiſſimùm loci adhibendi nobis, & perquirendi ſunt, quibus aliàs omni rei dubiæ fidem facere ſolemus. Vt videlicet diligenter inquiramus, quæ huius nominis vis ſit atque ratio; quæ differentia; quæ origo; quæ cauſæ; quæ notæ; qui mores; & quibus ſe dolis ac fraudibus tegere conentur, ne facilè à quouis deprehendi aut cognoſci queant. Quale item Magiſtratus in hæreſibus arcendis ſit officium; & quibus pœnis hæretici corrigendi ſint, atque puniendi, ne iudicio diuino præuenti damnentur.

CAPITA libri huius primi quę?

Ordo dicendorum.

DE

DE HÆRESVM ET HÆRETICORVM SIGNIFICATIONE.

CAPVT III.

CLAVDIVS *de Sainctes in Methodo contra Sectas ca.4.* Seu Theodoſius, ſeu liberi eius Archadius & Honorius, publicũ crimen hæreſim pronunciant: Quia quod in religione diuina cõmittitur, in omniũ fertur iniuriã. Ita Iuſtinianus infamia & pœna læſæ Maieſtatis percellit hæreticos, quia longè grauius ſit æternam quàm temporalem offendere maieſtatem.

L. 30. tit. 1. lib. 16. Cod. Theodoſ.

Li. 10. C. de hæret.

I. *Quæ vera aut falſa Religio, & quæ eius ſint partes.*

VT ERGO Maiores noſtri ſummum bonum in religione vera conſiſtere voluerunt; ita nos falſam religionem rectè ſummum malum dicere poſſumus.

RELI-

RELIGIO vera eſt ſeruitus, quæ vero fit Deo, vel exteriùs, & vno verbo LATRIA: vel interiùs, & THEOSEBIA ſiue EVSEBIA dicitur. S. Bonauent. diſt. 9. Art. 2. q. 1. lib. 3.

FALSA autem religio eſt cultus quidem diuinus, ſed ille, qui vel idolis fit, & IDOLOLATRIA dicitur, vel ei exhibetur, cui non debetur, aut non eo modo, quo deberet fieri, & communiter appellatur SVPERSTITIO. S. Thom. ſecun. ſecundæ q. 94 Art. 1. Idem q. 82. Art. 1. eod.

AC EIVS quidem religionis falſæ hæ ſunt veluti partes: Apoſtaſia, Schiſma & Hæreſis.

APOSTASIA, *ſecundùm Gerſonem, eſt receſſus à vera religione.* Et murmur contra diuinam prouidentiam, & blaſphemia, Deo indigna aſcribens. Part. 2. in Reg. moral.

SCHISMA *ſecundùm Thomam,* eſt ſeparatio propria ſponte & intentione ab vnitate Eccleſię, renuens ſubeſſe Papę, & communicare membris Eccleſię. Et ſchiſma, *vt notat Gabriel Biel:* propriè acceptum, eſt illicita diuiſio per inobedientiam ab vnitate Eccleſiæ facta: & hoc aliquando cum hæreſi, vt in Gręcis ij 2. q. 39. Diſt. 14 q. 2. Art. 3. lib. 4.

ſe ab Eccleſia ſeparantibus cum cæteris erroribus, de proceſſione Spiritus ſancti, & aliis. Aliquando eſt ſine hæreſi, ſicut ſunt, qui credunt Romanam Eccleſiam, nec aliam volũt inſtituere; ſed eam credunt eſſe apud ſe, vt contingit, quando plures contendunt de Papatu.

Lib. 1. Dialogi part. 1. c. 6. & Tho. 4. ſēt. diſt. 14. q 2. Art. 2.

HÆRESIS, *vt ſcribit Occam*, eſt dogma falſũ fidei orthodoxę contrariũ; id eſt, error contrarius Catholicę veritati. Et ratione pertinacię, hęreſis (ſecũdùm Thom.) eſt ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, ſcilicet impugnatio veritatis.

II. *Unde hæreſes dicantur.*

Hæreſis ab electione dicta.

TERTVLLIANVS *de præſcriptionibus hæreticorum*. Hæreſes dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis ſiue ad inſtituendas, ſiue ad ſuſcipiendas eas vtitur. Ideo & ſibi damnatum dixit (Apoſtolus) hæreticum, quia & in quo damnatur, ſibi elegit.

NOBIS VERO nihil ex noſtro arbitrio indulgêre licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit.

Apo-

Apoſtolos Domini habemus Authores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; ſed ,, acceptam à Chriſto diſciplinam fideli- ,, ter nationib. adſignarunt. Itaq; etiamſi ,, Angelus de cœlis aliter euangelizaret, anathema diceretur à nobis.

Apoſtoli acceptam à Chriſto doctrinã nationib. adſignarunt.

HIERONYMVS in epiſtola ad Galatas. Hæreſis eſt dictio Græca, diciturque ab electione; quoniam vnuſquiſque eligit diſciplinã, quam putat eſſe meliorem. Atque hinc fit, vt Chriſtianorum fides nunquam hæreſis verè dici poſſit; hæc enim non ex hominis arbitrio pendet; neq; ingenio humano inuenta eſt: ſed Deo inſpirante & reuelante eſt hominibus manifeſtata.

Et habetur 24. q. 3. cap. Hæreſis.

Alph. à Caſ. de iuſt hæret. punit. lib. 1. c. 1.

1. Cor. 2. Ephef. 2.

SECTA QVIDEM dicta eſt ab infidelibus; ſed fideles Catholici, niſi fortè parum eruditi, nunquam paſſi ſunt, vt Chriſtiana Religio hæreſis diceretur, aut Secta.

Act. 12.

BRVNVS de hæret. lib. 1. cap. 1. Rectè ergo hæreſis dogma dicitur falſum, cõtra fidem orthodoxam: ab eo qui fidem

profitetur, pertinaciter, vel aſſertum, vel in dubium vocatum. Nam dubius in fide (inquit Stephanus Papa, quem Alphonſus refert) infidelis eſt. Quo

Ioan. 10. modo Thomam dubitantem Chriſtus incredulum appellat.

III. *Quæ res in hæreſi concurrant.*

IDEM Brunus ibidem. Duo autem in hæreſi concurrunt; vnum, quod eſt in

Initium hæreſis error. intellectu, error, & eſt hæreſis initium; Alterum in voluntate, quod eſt perti-

Cõplementum pertinacia. nacia; & eſt hæreſis complementum, vt Thomas docet. Nam propoſitio erronea genus eſt, quod ſub ſe continet hæreſim tanquam ſuam ſpeciem; quia omnis hæreſis eſt propoſitio erronea: nõ tamen vice verſa; omnis propoſitio erronea eſt hæreſis dicenda. Pertinacia verò differentiæ locum obtinet: neque enim error hæreſis dici poteſt, niſi pertinaciam habeat coniunctam. Vnde

Aug. lib. 1. de Trinitat. D. Auguſtinus, errare, inquit, potero, ſed hæreticus eſſe non potero.

IIII.

IIII. *Qui ſint hæretici nuncupandi.*

Avgvstinvs *de vtilitate credendi cap. 1. Tom. 6.* Si mihi, Honorate, vnum atque idem videretur eſſe, hęreticus, & credens hæreticis homo, tam lingua, quàm ſtilo in hac cauſa conquieſcendũ mihi eſſe arbitrarer. Nunc verò cùm inter duo plurimum interſit; quandoquidem hæreticus eſt (vt mea fert opinio) qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusq́ue ſui gratia, falſas ac nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur; ille autem, qui huiuſmodi hominibus credit, homo eſt, imaginatione quadam veritatis ac pietatis illuſus.

24. q. 3. cap. Hæreticus.

Hæreticus.

Credens hęreticis.

Idem de Ciuitate Dei lib. 18. c. 52. Tom. 5. Qui ergo in Eccleſia Chriſti morbidũ aliquid, prauumq́; ſapiunt, ſi correpti, vt ſanum rectumq́ue ſapiant, reſiſtunt contumaciter; ſuaq́; peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt; ſed defenſare perſiſtunt; hæretici fiunt, &

foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis etiam; ſic quippe veris il-

Deus & malis vtitur bene.

,, lis Catholicis membris Chriſti, malo
,, ſuo proſunt, dum Deus vtitur & malis
;, benè, & diligentibus eum omnia coo-
,, peratur in bonum.

Rom. 8.

ALPHONSVS de Caſtro de iuſta hæret. punit. lib. 1. cap. 7. Hæreticus in genere dici poteſt, quiſquis quomodolibet in hæreſim lapſus eſt; aut qui apertam & vehementem de hæreſi ſuſpicionem dedit. Et iuxta hanc vocis latiſſimam ſignificationem, fautores hæreticorũ, & illorũ receptores, Schiſmatici & Simoniaci hæretici appellãtur: quoniam qui tales ſunt, non modicam præbent hæreſeos ſuſpicionem.

Hæretici in genere. Fautores & Receptores hæreticor. Schiſmatici itẽ & Simoniaci.

IN PROPRIA verò ſignificatione, tria inprimis requirũtur ad hoc, vt quis meritò debeat hæreticus dici.

1. Ante omnia opus eſt, vt fidem Catholicam ſemel in baptiſmo ſuſceperit. Nam de illis, qui foris ſunt, vt Pagani, Iudæi, Saraceni, Mahumetici &c. non iudicat Eccleſia dicente Paulo: Quid

Quid mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare? 1.Cor.5.

II. Alterum eſt, error in fide. Non eſt enim hæreſis in opere; ſed in errore intellectus, hoc aut illud iudicantis; vt qui furatur, niſi hoc ſibi licêre putet, nullo pacto ſit hæreſeos reus.

III. Tertium & vltimum, quod abſolutum & conſummatum facit hęreticum, eſt pertinacia; quam ſi ſubtraxeris, etiamſi errorem fidei contrarium quis teneat, aut doceat, non eſt recenſendus hæreticus. *Vnde* AVGVSTINVS *in Epiſtola ad Glorium & Eleuſium, ſic ait.* Ordine 162. & habentur hęc verba in c. dixit Apoſtolus. 24. q.3.

QVI SENTENTIAM quamuis falſam, atque peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quã non audacia ſuæ præſumptionis pepererint; ſed à ſeductis, atq; in errorem lapſis parẽtibus acceperunt; quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint, nequaquã ſunt inter hæreticos reputandi.

QVID autem ſit pertinacia, & quot modis præſumatur aliquis contra fidem errare, vt de Ioan. de Turrecremata part. 2. lib. 4. cap. 16.

CLAVDIVS *de Sainctes in Methodo aduersùs Sectas ca. 3.* Vt omnis aſſueta, quoties oriuntur Sectæ, tolleretur occaſio litigandi ac rixandi temerè, quis ſit hęreticus definierunt Principes, à maioribus ſuis edocti, quos notarent hæreſi in rep. & Ciuitate Chriſtiana. Eô recidunt, vt ſtatuant inter hæreticos communiter; (Ciuitas Chriſtiana.)

I. Qui diſcrepant à Romano Pontifice, & Epiſcopis, qui amicitiam & pacem cum Romano ſanctè colunt.

II. Qui Concilia ab orbe Chriſtiano recepta repudiant, aut legitimi Concilij decreto non parent, & acquieſcunt.

III. Qui deſciſcunt à communi conſenſu, & vſu Chriſtianorum.

IIII. Qui laborantes ſuſpicione, eam à ſe admoniti, non curant remouere.

SECVN-

SECVNDO *Concilio Generali Conſtantinopoli habito, ea fere deſcriptio comprobata eſt.* Hæreticos nominamus cùm eos, qui olim ab Eccleſia proſcripti ſunt; tũ hos quoque qui poſtea à nobis anathematizati ſunt. Deinde eos, qui ſanæ fidei confeſſionem ſimulant, ſe ab Epiſcopis iuſtis ſeparant, & contrarias congregationes faciunt. Hæretici qui?

AMBROSIVS *in Epiſtola ad Titum cap. 3. Tom. 5.* Hæretici hi ſunt, qui per verba legis legem impugnãt; proprium enim ſenſum verbis aſtruunt legis, vt prauitatem mentis ſuæ legis authoritate commendent. Sciens enim impietas ,, authoritatem legis multum valere, fal- ,, laciam ſub nomine eius componit; vt ,, quod res mala per ſemetipſam acce- ,, ptabilis eſſe non poteſt, bono ,, nominis commen- ,, detur.

DE VARIIS HÆRESVM ET HÆRETICORVM DIFFERENTIIS; QVIBVS NON TANTUM à Catholicis, ſed etiam à ſe inuicem ipſi diſſident.

CAPVT IIII.

CATHOLICOS ſimplicitate, dilectione, mãſuetudine, & lenitate ab hæreticis: ſicut oues à lupis diſiungi; ac ob id eos cum illis in vna Eccleſia ſimul eſſe non poſſe.

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.*

Cur Spirit9 ſanctus venerit in Columba.

Idcirco & in columba venit Spiritus ſanctus? ſimplex animal & lætũ eſt, non felle amarum, non morſibus ſæuum, non vnguium laceratione violentum; hoſpitia humana diligere; vnius domus conſortium noſſe; cùm generant, ſimul filios edere; cum commeant; volatibus inuicem cohærere, communi conuerſatione vitam ſuam degere; oris oſculo concordiam pacis agnoſcere, legem circa omnia vnanimitatis implere.

Hæc

Hæc eſt in Eccleſiá noſcenda ſimplicitas, hæc charitas obtinenda; vt columbas dilectio fraternitatis imitetur; vt manſuetudo & lenitas agnis & ouibus coæquætur.

Simplicitas quæ in Eccleſia noſcẽda.

QVID FACIT in pectore Chriſtiano luporum feritas?& canum rabies?& venenum lethale ſerpentum; & cruenta ſęuitia beſtiarum? Gratulandum eſt, cùm tales de Eccleſia ſeparantur, ne columbas, ne oues Chriſti ſæua ſua & venenata cõtagione deprędentur. Cohęrere & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine; caligo cum lumine; pluuia cum ſerenitate; pugna cum pace; cum fœcũditate ſterilitas; cum fonte ſiccitas, cum tranquillitate tẽpeſtas.

Sæuitia beſtiarum ab Eccleſia eiicienda.

Hęreſis ſęua contagio.

NEMO exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur. Hos execratur, & percutit Apoſtolus Ioannes, dicens; Ex nobis exierunt, ſed non

Boni de Eccleſia diſcedere nõ poſſunt.

non fuerunt ex nobis; ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Hinc hæreſes & factæ ſunt, & frequenter fiunt, dum peruerſa mens non habet pacē; dum perfidia diſcordans non tenet vnitatem.

II. *Hæreticorum plures quidem formas, ſed omnium perfidiā eſſe vnam.*

AMBROSIVS *de fide li.1.c.4. Tom.2.* Plura hęreticorū nomina, ſed vna perfidia, impietate non diſſonans, communione diſcordans; non diſſimili fraude, ſed coitione diſcreta. Eunomij perſonam defugiunt Arriani; ſed eius perfidiam aſſerūnt, impietatem exequūtur. Itaque nunc ſeſe in plures diuiſêre formas. Et ideo quoniam communiter aduersùs Eccleſiam Dei, quibus inter ſe ipſos nō conuenit, conſpirarunt, communi nomine hæreticos nominandos.

Plures heretricorū formæ.

III. *Hæreticos in Sectas ſolere diſſectos eſſe.*

AVGV-

Avgvstinvs *de verbis Domini Sermo.11. Tom.10.* Apud Idolorum cultores ſpiritus Iunonis & ſpiritus Herculis diuiſi ſunt aduersùm ſe; & ambo pertinent ad regnum Diaboli. Paganus & Iudęus, hoſtes Chriſti, diuiſi ſunt aduerſum ſe; & ambo pertinent ad regnũ Diaboli. Arrianus & Photinianus ambo hęretici, & aduerſùm ſe ambo diuiſi. Donatiſta & Maximianiſta ambo hæretici, & aduersùm ſe ambo diuiſi.

Omnia vitia, erroresq́; mortalium inter ſe contrarij, diuiſi ſunt aduersùm ſe; & omnes pertinent ad regnum Diaboli; ideo non ſtabit regnum eius: iuſtus autem & impius, fidelis & incredulus, Catholicus & hæreticus, diuiſi quidem ſunt aduersùm ſe, ſed non ambo pertinent ad regnum Chriſti.

IIII. *Hæreticorum alios eſſe manifeſtos, alios fucatos.*

Irenævs *lib.3.cap.15.* Hæreticos alia quidem in abſcondito; alia verò in manifesto docere, ac fucato ſermone errores

Hæretici ſimulãt ſe Catholicos vt ſimpliciores capiant.

„ errores ſuos tegere, adeoq; ſimplicio-
„ res capere, cùm illis perſuadeant ſe ea-
„ dem cum Catholicis dicere,& eandem habere doctrinam, & ideo immeritò hæreticos vocari.

AMBROSIVS libro de fide Orthodoxa contra Arrianos cap.1. Tom.2. Multas & graues hæreſes nouimus à pluribus ebullire,& veneni vice ad intimum pectus canceris ſui virus infundere. Sed vinci illi vel facilè poſſunt, vel facilè vitari, quorum prima propoſitione omne conſilium pectoris proditur. At verò hi, quibus multa nobiſcum paria ſunt, facilè poſſunt innoxias mentes,& ſoli Deo deditas fraudulenta ſocietate percutere, dum malorum ſuorum virus,per bona noſtra defendunt.

Heretici malorum ſuorũ virus per bona noſtra defendunt.

NIHIL enim periculoſius iſtis hæreticis eſſe poteſt, quàm qui cum integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo ac ſi veneni gutta, meram ac ſimplicem fidem dominicæ,& exinde Apoſtolicæ traditionis inficiant. Vnde vehemẽter nobis cauendum eſt, ne ſe vel ſenſibus, vel

Heretici vnico interdũ verbo fidem inficiunt.

vel auribus noſtris huiuſmodi aliquid latenter inſinuet; QVIA NIHIL TAM ,, COGIT IN MORTEM, QVAM SVB ,, OBTENTV FIDEI, FIDEM VIOLARE. ,,

V. *Plus metuendos & cauendos hæreticos per pacis imaginem blandientes; quàm qui apertè ſunt inimici; ac ob id tãto fortiùs contra eos pugnandũ eſſe.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ, in principio.* Cùm moneat Dominus & dicat; vos eſtis ſal terræ, cumque nos eſſe iubeat ad innocentiam ſimplices, & tamen cùm ſimplicitate prudentes; quid aliud, fratres dilectiſſimi, quàm prouidêre nos conuenit, & ſollicito corde vigilantes ſubdoli hoſtis INSIDIAS INTELLIGERE PARITER, ET CAVERE; ne qui Chriſtum ſapientiam Dei Patris induimur: minus ſapere in tuenda ſalute videamur? Neque enim perſecutio ,, ſola metuenda eſt, & quę ſubruendis ac ,, deiiciendis Dei ſeruis aperta impugna- ,, tione

Matth. 5.

Matth. 10.

,, tionegraſſantur. Facilior cautio eſt, vbi ,, manifeſtior formido eſt. Et ad certamẽ ,, animus antè præſtruitur, quando ſe ad- ,, uerſarius profitetur.

Hæretici vnde dicãtur ſerpentes. PLVS METVENDVS eſt & cauen- ,, dus inimicus, cùm latenter obrepit, cũ ,, per pacis imaginem fallens occultis ac- ,, ceſſibus ſerpit, vnde & nomen ſerpentis accepit. Ea eſt eius ſemper aſtutia, ea eſt circumueniendi hominis cæca & latebroſa fallacia. Sic ab initio ſtatim mundi fefellit: & verbis mendacibus Incauta credulitas. blandiens, rudes animas incauta credulitate decepit.

Matth. 4. SIC DOMINVM ipſum tentare conatus, quaſi obreperet rurſus & falleret, latenter acceſſit; intellectus tamen eſt, & retuſus; ET IDEO PROSTRATVS, QVIA AGNITVS ATQVE DETECTVS. Vnde nobis exemplum datum eſt, veteris hominis viã fugere; veſtigiis Chriſti vincentis inſiſtere; ne denuo incauti in mortis laqueum reuoluamur: ſed ad periculum prouidi accepta immortalitate potiamur.

VI. *Quid*

VI. *Quid inter hæreticos ſchiſmaticos, et malos Catholicos interſit.*

Avgvstinvs *quæſtionum ex Matthæo quæſt. 11. Tom. 4.* Inter hæreticos & malos Catholicos hoc intereſt; quòd hæretici falſa credunt; illi autem vera credentes, non viuunt ita vt credunt. Solet etiam quæri, ſchiſmatici quid ab hæreticis diſtent? & hoc inueniri, quòd ſchiſmaticos non fides diuerſa faciat, ſed cõmunionis dirupta ſocietas. Sed, vtrum inter zizania numerandi ſint? dubitari poteſt. Magis autem videntur ſpicis corruptis eſſe ſimiliores, ſicut ſcriptum eſt; Vento autem corrumpetur filius iniquus; vel paleis ariſtarum fractis vel ſciſſis, & de ſegete abruptis. Quò enim altiores, id eſt, ſuperbiores, eò fragiliores, leuioresque ſunt.

Schiſmatici ſpicis corruptis ſimiles, vel paleis ariſtarum fractis.

Idem contra Creſconium Grammaticum lib. 2. cap. 7. Próinde inter ſchiſma & hæreſim eam definitionem approbo, qua dicitur ſchiſma eſſe recens congregationis

Schiſma qd.

tionis ex aliqua ſententiarum diuerſitate diſſenſio: Neque enim ſciſſio vel ſchiſma fieri poteſt, niſi diuerſum aliquid ſequantur, qui faciunt; hæreſis autem definiatur ſchiſma inueteratum.

Hæreſis ſchiſma inueteratum.

IDEM contra literas Petiliani li.2.c.36. Nos ſumus Catholici, qui non deſerimus vnitatem: vos verò hæretici; qui propter quorundam hominum crimina, ſeu vera, ſeu falſa, non vultis tenere cum Abrahæ ſemine charitatem.

VII. *Ab Ethnico quid differat hæreticus.*

TERTVLLIANVS de Carne Chriſti nu.13. Inter Ethnicos & hæreticos nihil diſtare ait, niſi quod Ethnici non credendo credant, at hæretici credendo non credant.

Hæretici credendo non credunt.

IDEM de præſcriptionibus hæreticorum. Denique penitus inſpectæ hæreſes omnes in multis cum authoribus ſuis diſſidentes deprehenduntur.

Hæreſes cũ ſuis authoribus diſsidẽt.

DE

DE ORIGINE HÆRESVM.

CAPVT V.

I. *Hæreſum originem, doctrinas eſſe hominum & dæmoniorũ.*

TERTVLLIANVS *lib. 4. aduersùs Marcionem.* Humanæ temeritatis, non diuinæ authoritatis negotium eſt hæreſis, quę ſic ſemper emendat Euangelia, dum vitiat.

Hæreſis vitiando emẽdat Euangelium.

IDEM *de præſcriptionibus hæreticorum.* Hæ ſunt doctrinæ hominum & dęmoniorum; prurientibus auribus natæ de ingenio ſapientię ſęcularis; quã Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi, in confuſione etiam philoſophiæ ipſius, elegit. Ea eſt enim materia ſapientiæ ſæcularis, temeraria interpres diuinæ naturę & diſpoſitionis. Ipſæ deniq; hæreſes à philoſophia ſubornantur.

Hæreſes natæ ingenio ſapientię ſęcularis.

1. Cor. 1.

INDE ÆONES & formæ, neſcio quæ, & trinitas hominis apud Valenti-

num; Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate, à Stoicis venerat: & vti anima interire dicatur, ab Epicureis obſeruatur. Et vt carnis reſtitutio negetur, de vna omniũ philoſophorum ſchola ſumitur. Et vbi materia cum Deo æquatur, zenonis diſciplina eſt; & vbi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclîtus interuenit. Eædẽ materię apud hęreticos & philoſophos volutantur, iidem retractatus implicãtur. Vnde malum, & quare? & vnde homo, & quomodo? Et quod proximè Valentinus propoſuit, vnde Deus? Scilicet de Enthymêſi, & ectrómate ſequitur Ariſtotelem, qui illis Dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi, & deſtruendi; verſipellem; in ſententiis coactam; in coniecturis duram; in argumentis operariam; contentione moleſtam; etiam ſibi ipſi omnia tractãtem, ne quid omninò tractauerit. Hinc illæ fabulę & genealogiæ indeterminabiles, & quæſtiones infructuoſæ, & ſermones ſerpentes velut cãcer, à quibus Apoſtolus nos

Eædem materiæ apud hæreticos & philoſophos volutantur.

Dialectices vis varia.

Fabulæ & Genealogię.

nos refrenans, nominatim philoſophiā teſtatur caueri oportere, ſcribens ad Coloſſenſes; Videte ne quis ſit circumueniens vos per philoſophiā & inanem ſeductionem, ſecūdùm traditiones hominum, præter prouidentiam Spiritus ſancti. Coloſſ. 2.

IDEM *Tertullianus ibidem*. Sed quæritur, à quo intellectus interpretetur, eorum, quę ad hęreſes faciant? A Diabolo ſcilicet, CVIVS SVNT PARTES INTERVERTENDI VERITATEM, qui ipſas quoq; res ſacramentorum diuinorum, in idolorum myſteriis æmulatur. Tingit & ipſe quoſdam, vtique credentes & fideles ſuos; expiationem delictorum de lauacro repromittit, & ſic adhuc meminit Mythræ; ſignat illic in frontibus milites ſuos; celebrat & panis oblationem; & imaginem reſurrectionis inducit; & ſub gladio redimit coronā. Quid quod & ſummum Pontificem in vnius nuptiis ſtatuit? habet & virgines, habet & continentes?

Diaboli partes, interuertere veritatem.

Diabolus æmulatur res diuinorum ſacramētorum.

Diabol⁹ Moſaicæ legis moroſitatē imitatur.

CÆTERVM ſi Numæ Pompilij ſuperſtitiones reuoluamus; ſi ſacerdotalia, officia, inſignia, & Priuilegia; ſi ſacrificantia miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piaculorum & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſtè Diabolus

Moroſitas Iudaicæ legis.

moroſitatem illam Iudaicæ legis imitatus eſt?

QVI ERGO ipſas res, de quibus Sacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmulanter affectauit exprimere in negotiis idololatriæ, vtique & idem & eodem ingenio geſtiit, & potuit inſtrumenta quoque diuinarum rerum & ſacramentorum Chriſtianorum ſenſum de ſenſibus; verba de verbis; parabolas de parabolis; profanę & æmulæ fidei attemperare. Et ideo neque à Diabolo

Spiritalia nequitiæ à Diabolo immiſſa.

immiſſa eſſe ſpiritalia nequitiæ, ex quibus etiam hæreſes veniunt, dubitare quis debet: NEQVE AB IDOLOLATRIA

Eiuſdem authoris & operis ſunt hæreſis & Idololatria.

DISTARE HÆRESES, cùm & authoris & operis eiuſdem ſint, cuius & Idololatria. Deum aut fingunt alium aduersùs

creato-

creatorem; aut ſi vnicũ creatorem confitentur, aliter eum diſſerunt, quàm in vero eſt. Itaq; omne mendacium, quod ,, de eo dicunt, genus eſt Idololatriæ. ,,

II. *In ſumma hæreſum Diabolum eſſe authorem.*

D. IGNATIVS *in Epiſtola ad Trallianum.* Fugite hęreſes, Diaboli enim ſunt adinuentio, ſerpentis authoris malorum; qui per mulierem ſeduxit Adam Patrem generis noſtri. Fugite & malas ſoboles eius Simonem, Menandrum, Baſilidem, Ebionitas, Nicolaitas &c. Hi enim non ſunt plantatio Dei Patris, ſed progenies maledicti.

Hæreſes adinuẽtio Diaboli.

Hæreſes progenies maledicti.

CLEMENS *lib.4. Recognitionum.* Metuens Diabolus, ne vnius & veri Dei repararetur religio vera, feſtinat cõtinuò emittere in hũc mundum Pſeudoprophetas, & Pſeudoapoſtolos, falſoſque doctores: qui ſub nomine quidẽ Chriſti loquerentur, Dęmonis autem facerent voluntatem: propterea obſeruate cautiùs, vt nulli doctorum credatis; niſi qui

Iacobi fratris Domini ex Hieruſalem detulerit teſtimonium: vel eius, quicunque poſt ipſum fuerit.

III. *Quo conſilio hæreſes à Diabolo ſint excogitatæ; & in quanta pericula coüiciant incautos.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Videns *(Diabolus)* idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo, fallat incautos. Hæreſes inuênit & Schiſmata, quibus ſubuerteret fidem; veritatem corrumperet; ſcinderet vnitatem. Quos detinere nō poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribit & decipit noui itineris errore.

Hæreſes & Schiſmata ſubuertunt fidem.

RAPIT DE ipſa Eccleſia homines; & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit, vt cum Euangelio Chriſti, & cum

Diaboli intētio eſt rapere de Eccleſia homines.

cum obſeruatione eius & lege nõ ſtantes, Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario atque fallente, qui, ſecundùm Apoſtoli vocem, „ transfigurat ſe velut Angelum lucis, & „ miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros „ iuſtitiæ; aſſerentes noctem pro die; in- „ teritum pro ſalute; deſperationem ſub „ obtentu ſpei; perfidiam ſub prætextu „ fidei; Antichriſtũ ſub vocabulo Chri- „ ſti, vt dum veriſimilia mentiuntur, ve- „ ritatem ſubtilitate fruſtrentur. „

In quantis tenebris verſentur ab Eccleſia ſeparati.

2. Cor. 11.

IIII. *Quibus machinationibus Diabolus Eccleſiam Dei oppugnare conatus ſit.*

Evsebivs *Cæſar. lib. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ 4. ca. 6. de hæreticis à Diabolo ſubornatis ſcribens ait:* Cùm verò iam Eccleſiæ per orbem inſtar ſtellarum illuſtriſſimè ſplenderent, ac in vniuerſo genere humano fides in Seruatorem ac Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum floreret, Dæmon ille omnis honeſti oſor, tanquam

 veri-

veritatis & humanę ſalutis perpetuus & infeſtiſſimus inimicus, omnis generis machinationib. Eccleſiam impugnãs, cùm olim externis perſecutionib. contra ęam fuerit armatus, illo tempore

Hæretici p̄ſtigiatores.

hiſce priuatus, verſutis & præſtigiatoribus viris quaſi quibuſdam inſtrumentis, ad animarum exitium appoſi-

Perditionis miniſtri.

tis & miniſtris perditionis, vſus aliis artibus bellum gerit, ac quamuis rationem excogitat, vt præſtigiatores illi ac

Impoſtores.

impoſtores eadem nobiſcum appellatione Deum profitentes, fideles à ſe captos, in profundum perditionis inducant, ac ſimul fidei ignaros per ea, quæ ipſi facere auſint, à via ad ſalutis doctrinam ducente, auertant.

V. *In quem finem Diabolus mouerit ſectas.*

AVGVSTINVS *de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 51. Tom. 5.* Diabolus videns templa dæmonum deſeri, & in nomen liberan-

Hæretici à Diabolo excitati.

tis mediatoris currere genus humanũ, hæreticos mouit, qui ſub vocabulo Chri-

Chriſtiano doctrinæ reſiſterent Chriſtianæ, quaſi poſſent indifferenter ſine vlla correptione haberi in ciuitate Dei, ſicut ciuitas confuſionis indifferenter habuit Philoſophos inter ſe diuerſa & aduerſa ſentientes. Ciuitas confuſionis.

IDEM *de vtilitate ieiunij.* Diabolus cũ Idololatria Chriſtianos fallere nõ poſſet, lites inter eos immiſit, ſectas multiplicauit, errores ſeminauit, hæreſes inſtituit.

VI. *Quàm Diabolus in excitandis hæreſib. vehemens ſit, & inquietus.*

NICEPHORVS *lib. Eccleſiaſt. hiſt. 4. cap. 2.* Communis pietatis & religionis noſtræ aduerſarius & hoſtis quietus eſſe nolens, cùm cerneret per omnes paſſim regiones, Eccleſias luminarium inſtar clarè & ſplendidè per eã, quæ eſt in Seruatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum fidem relucentes admodum florere atq; vigere; ſaluti hominũ inimiciſſimus cùm iam dudum omnes exper- Diabolꝰ ſaluti hominũ inimiciſſimus.

expertus artes externis perſecutionibus, funditus eas eſſet extirpare conatus,|vt cœptũ ſuum fortiter repulſum, & martyrum ſanguine propè ſuffocatũ fruſtrà eſſe vidit, aliâ|viâ rem|tentandam eſſe exiſtimans dolum talem excogitauit, vt viri ſeductores & impoſtores Chriſtianum ſibi vſurpantes nomẽ, ſimul & quos cepiſſent, in foueam perditionis impellerent; & qui technas illorum ignorarent, eis ſani & ſalutaris verbi diſcendi ſtudium & deſiderium corrumperent, & deprauarent.

Hæretici viri ſeductores.

DE HÆRESVM CAVSIS.

CAPVT VI.

I. *Antiqua fides quomodo ab hæreticis ſit mutata, & quæ hæreſum cauſa.*

HILARIVS *ad Conſtantium Auguſtum.* Sed quorundam, aut præſumptio,

ſumptio, aut facilitas aut error, Apo- Præſumptio facilitas, error.
ſtolicæ doctrinæ indemutabilem con-
ſtitutionem partim fraudulenter con-
feſſa eſt, partim audacter egreſſa: dum
in confeſſione Patris, & Filij, & Spiritus
ſancti, veritate naturalis ſignificationis
eludit, ne id maneret in ſenſu, quod
in regenerationis Sacramento eſt con-
fitendum. Ob hoc penes quorundam Scribendæ fidei vſus vnde.
conſcientiam, nec Pater, Pater; nec Fi-
lius, Filius; nec Spiritus ſãctus, Spiritus
ſanctus eſt. Sub cuius neceſſitatis tan-
quam improbabili occaſione, ſcriben-
dæ atque innouandæ fidei exinde vſus
inoleuit. Qui poſtquam noua potiùs ,,
cœpit condere, quàm accepta retinere, ,,
nec veterata defendit; nec innouata ,,
firmauit; & facta eſt fides temporum ,, Fides tẽporum.
potiùs, quàm Euangeliorum: dum & ,,
ſecundùm annos ſcribitur, & ſecũdum ,,
confeſſionem baptiſmi non tenetur. ,,

II. *Unde hæreſes naſcantur.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Fieri
verò hæc Dominus ꝑmittit & patitur,
manente

Deus hæreſes permittit, vt veritatis diſcrimine corda noſtra examinentur.

1.Cor. 11.

manente propriæ libertatis arbitrio, vt dum corda & mentes noſtras veritatis diſcrimen examinat, probatorum fides integra, manifeſta luce clareſcat. Per Apoſtolũ præmonet Spiritus ſanctus, & dicit; Oportet & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti ſint in vobis. Sic probantur fideles, ſic perfidi deteguntur, ſic & ante iudicij diem hîc quoque iam iuſtorum atque iniuſtorum animæ diuiduntur, à frumento paleæ ſeparantur.

III. *Philoſophica hæreſum cauſa expugna rationis cum voluntate.*

Omnis ſermo contradictioni obnoxius.

HILARIVS *li.10. de Trinitate in principio.* Non eſt ambiguum, omnem humani eloquij ſermonem contradictioni obnoxiũ ſemper fuiſſe, quia diſſentientibus voluntatum motibus, diſſentiens quoque fit ſenſus animorum cum aduerſantium iudiciorum affectione compugnans, aſſertionibus his, quibus offenditur, contradicit.

QVAM-

QVAMVIS enim omne dictum veri ratione perfectum ſit, tamen dum aliis aliud, aut videtur, aut complacet, PATET VERITATIS SERMO ADVERSANTIVM RESPONSIONI; quia contra veritatem aut non intellectam, aut offendentem, vel ſtultæ, vel vitioſæ voluntatis error obnititur. Immoderata enim eſt, omnis ſuſceptarum voluntatum pertinacia, & indeflexo motu aduerſandi ſtudium perſiſtit, vbi non rationi volũtas ſubiicitur, nec ſtudium doctrinæ impenditur, ſed his quæ volumus, rationem conquirimus, & his, quæ ſtudemus, doctrinam coaptamus &c.

Aliis aliud videtur.

PER HÆC igitur vitia ſtudioſarum voluntatum, omnes aduerſantium intentionum emergunt cõtradictiones; & inter veri aſſertionẽ & placiti defenſionem pertinax pugna eſt, dum ſe & veritas tenet, & tuetur voluntas. Cæte- »
rùm ſi non præiret rationem voluntas, »
ſed per veri intelligentiam ad velle id, »
quod verum eſt, moueretur; nunquam »
doctrina voluntati quæreretur, ſed vo- »

Ex voluntatum pugna emergunt hæreſes.

lunta-

„ luntatem omnem doctrinæ ratio com-
„ moueret, eſſetq́; omnis ſine contradi-
„ ctione veritatis ſermo, cũ vnuſquiſque;
„ nõ quod vellet, id verum eſſe defende-
ret; ſed quod verũ eſt, id velle cœpiſſet.

IIII. *Hæreſum cauſa Theologica, à diuinæ ſcripturæ materia petita.*

TERTVLLIANVS *de præſcriptionibus hæreticorum.* Et vtiq; fœcundior diuina literatura ad facultatem cuiuſcunque materiæ. Nec periclitor dicere, ipſas quoq; ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent; cùm legam, oportere hæreſes eſſe, quę ſine ſcripturis eſſe non poſſent.

Ex ſcripturis hæreſes eſſe.

V. *De internis hæreſum cauſis.*

D. CONRADVS BRVNVS, *de hæret. lib.1. cap.5.* Sunt autem variæ cauſæ, ex quibus hæreſes naſcuntur; & inter has quædam intrinſecæ, quædam extrinſecæ. Intrinſecæ ſunt, quæ hæreticis, atq; his, qui hæreticos ſequuntur, adſunt.

I. *Pec-*

Peccata, tam populi, quàm hæreticorum.

PRIMA igitur & præcipua cauſa hæreſum, ſunt PECCATA, tam eorum, qui hæreſes & ſectas inſtituunt, quàm populi, in quo hęreſes oriũtur. Hæreticorum hæc fere ſunt peccata, quæ D. Paulus Apoſtolus ad Timoth. enumerat, vt ſunt 2. Timot. 3.

1. *Inuidia.*

CYPRIANVS *Sermo. de zelo & liuore.* Ex inuidia charitas fraterna violatur; hinc adulteratur veritas; vnitas ſcinditur; ad hæreſes atque ſchiſmata proſilitur; dum obtrectatur ſacerdotibus; dum Epiſcopis inuidetur.

2. *Amor ſui.*

Ex quo non ſolùm hæreſes, ſed & alia peccata ferè omnia oriuntur. Qui cùm ſuis magis, quàm proximi commodis proſpiciunt, nihil non audent, quò efferãtur ipſi, proximi verò ſupprimantur. Ad ſui exaltationem referun- Ad ſui exaltationẽ quæ pertineant.

E tur,

tur, cupiditas, elatio, ſuperbia, proteruia, pertinacia, incõtinentia, voluptas, amor &c. Ad ſupreſſionem proximi, blaſphemia, inobedientia, ingratitudo, contentio, criminatio, pacis turbatio, crudelitas, proditio, & ſimilia. De quibus Chriſtus apud Matthęum dicit: Progenies viperarum, quomodò poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. *Brun. ibidem.*

Quo ad proximi ſupreſſionem.

Matth. 11.

AVGVSTINVS *de vera religione cap. 10. Tom. 1.* Sit tibi manifeſtum atque præceptum, nullum errorem in religione eſſe potuiſſe, ſi anima ꝑ Deo ſuo
,, non coleret animam, aut corpus, aut
,, phãtaſmata ſua, aut horum aliqua duo
,, coniuncta, aut certè ſimul omnia; ſed in hac vita ſocietati generis humani, ſine dolo temporaliter congruens, æterna meditaretur, vnum Deum colens. Qui niſi permaneret incommutabilis, nulla mutabilis natura remaneret.

Error in religiõe vnde?

3. *Inanis Gloria.*

D. PAVLVS *ad Galat. 6.* Volunt vos circumcidi, vt in carne veſtra glorientur.

GREGORIVS *ſuper illud Iob. 6. Reſpondete ſine contentione.* Neque enim hæretici inquiſitionibus ſuis veritatem conantur aſſequi, ſed victores videri.

Hæretici nõ doceri; ſed vincere cupiunt.

4. *Auaritia.*

D. PAVLVS *1. Timoth. 6.* Qui volunt diuites fieri incidunt in tẽtationem, & in laqueũ Diaboli, & in deſideria multa; & nociua: quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum cupiditas; quã quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.

5. *Concupiſcentia Carnis.*

D. PAVLVS *Rom. 6.* Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula per doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis: huiuſmodi enim Christo Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.

6. *Ambitio & ſuperbia.*

AVGVSTINVS *de Paſtorib.ca.8.Tom.9.* Alia ſecta in Africa; alia hęreſis in oriēte; alia in Ægypto; alia in Meſopotamia.
Omniū hęreſum mater ſuperbia. Diuerſis locis ſunt diuerſæ, ſed VNA MATER SVPERBIA OMNES GENVIT, ſicut vna mater noſtra Catholica oēs Chriſtianos fideles, toto orbe diffuſos.

GREGORIVS *Moral.3.c.17. Tom.1.* Hæreticorum locus ipſa ſuperbia eſt, quia niſi priùs in corde intumeſcerent, ad prauæ aſſertionis certamina non conuenirent.

7. *Diſcordia.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Hinc hæreſes & factæ ſunt, & frequēter fiunt, dum peruerſa mens non habet pacem, dum perfidia diſcordans, vnitatem nō tenet. *Et rurſ. ibid.*

QVAM verò vnitatem ſeruat; quam dilectionem cuſtodit; aut cogitat; qui
Hæretici diſcordię furore veſani. diſcordiæ furore veſanus Eccleſiam ſcindit; fidem deſtruit; pacem turbat; charitatem diſſipat; Sacramenta profanat?

8. *Igno-*

8. *Ignorantia ſcripturarum.*

AVGVSTINVS *de Geneſi ad literam lib.7.ca.9. Tom.3.* Neq; enim non omnes ,, hæretici ſcripturas Catholicas legunt, ,, nec ob aliud ſunt hęretici, niſi quòd eas ,, non rectè intelligentes, ſuas falſas opi- ,, niones contra earum veritatem perti- ,, naciter aſſerunt.

Hæretici qui & ob quid dicantur.

IDEM *in Ioan. cap.5. tractat.18. Tom.9.* Hæreſes & quædam dogmata peruer- ſitatis illaqueãtia animas, & in profundum præcipitantia, non aliunde nata ſunt, niſi dum ſcripturæ bonæ, intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur.

Hæreſes ex ſcriptura malè intellecta.

9. *Lectio librorum prohibitorũ.*

D. PAVLVS *1.Cor.15.* Bonos mores corrumpunt colloquia praua. Et, qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. *Eccleſ.13.*

Septima Synodus Oecumenica Can.9. ſtatuit, ne quis hęreticorum libros habeat. Si quis autem habuerit, vt Epiſcopo

tradat. Quod ſi non fecerit, Clericus quidem deponatur; laicus verò à communione arceatur.

SOCRAT.*hiſtoria Eccleſiaſt.lib.1.cap.9. Zoſomen. lib.2.cap.21.* Conſtantinus Magnus, Imperator Chriſtianus, piusque ſeuerè edixit, per omne Imperium ſuũ, vt libri hæreticorum exurerentur: Si quis verò occultaret, vt capitali pœna afficeretur.

10. *Ex peccatis igitur oriuntur hæreſes.*

A virtutib. auerſi cõuertuntur in vaniloquium.

1. TIMOTH. *1.* Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, à quibus quidam aberrantes conuerſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.

Peccatis inuoluti facilè labuntur.

CLEMENS *lib.2.recog.* Vnde certum eſt, fratres mei, nõnullos veritati ac religioni Dei nõ ideo aduerſari, quòd eis nequaquam ratio fidei conſtare videatur: ſed quia aut nimietate quadã peccato-

catorum inuoluti; aut malis ſuis præuenti, & tumore cordis elati ſunt: ita vt ne ea quidem credant, quæ oculis ſuis ſe videre arbitrantur.

BASILIVS *in Serm. Quòd Deus non eſt author malorũ.* Ille igitur ſapiens & prudentiſſimus rerum humanarum diſpẽſator, eius (Sathanæ) vtitur ad noſtram exercitationem malignitate: quemadmodũ medicus viperæ veneno ad ſalutarẽ medicamentorum præparationẽ.

AVGVSTINVS *in tractat. de Conſonantia Matthæi & Lucæ de generatione Chriſti.* Negligẽtiùs veritas quæreretur, ſi mendaces aduerſarios non haberet.

IDEM *ſuper Ioan. 35.* Ad hoc Deus abundare permiſit hæreticos, ne ſemper lacte nutriamur; & in bruta remaneamus infantia.

VI. *De externis hæreſum cauſis*

CAVSARVM *quæ extrinſecùs accedunt, præcipuæ ſunt, fraudes diabolicæ, negligentia prælatorum, licentia Principum & deprauatio ſcripturarum. De quibus vide Brun. in d.*

lib.1.de hæret.c.6. Nos Diaboli verſutias inter origines hæreſum recenſuimus, cæteras ex aliis ſcriptoribus Eccleſiaſticis referemus infrà, ſub locis & titulis, de ſignis & moribus hæreticorum.

VII. *Quis hæreſum ſit Scopus.*

Vt ab aliis allegatur.

D. BASILIVS. Fides ipſa eſt ea res, de qua bellum geritur, communisque Scopus cunctis hæreticis, velle firmamentum noſtræ in Chriſtum fidei conuellere; ac inde traditionem Apoſtolicam peſſundatam delere, atque extinguere, eamq; ob cauſam Patrum teſtimonium, ac ſi nullius ſit momenti, repudiant.

Scopus hæreſum, fidei fundamentum conuellere.

VIII. *Hæreſes quid proſint Eccleſiæ.*

HILARIVS *lib. de Trinitate ſept. col.3.* Hæretici omnes contra Eccleſiam veniunt, ſed dum hæretici omnes ſe inuicem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt, VICTORIA ENIM EORVM ECCLESIÆ TRIVMPHVS ex omnibus eſt; dum in eo hęreſis contra alterā pugnat, quod

Hæreticorū diſſenſiones fidem noſtram confirmant.

quod in hæreſi altera Eccleſiæ fides damnat. Nihil enim eſt, quod hæreticis commune eſt, & inter hæc fidem noſtrã, dum ſibi aduerſantur, confirmant.

IDEM *lib. 8.* Proficit autem ſemper contradictio ſtultorum, ad ſtultitiæ demonſtrationem.

AVGVSTINVS *contra aduerſa. leg. & prophe. lib. 1. cap. 14.* Vaſa iræ hæretici permittantur iſta (impia ſcilicet) garrire, vt tanquam de negligentiæ ſomno, excitentur vaſa miſericordiæ, & ſtudia reſpondendi peſtilentibus maledictis, adhibeant curam ſalubribus dictis.

Vaſa { Iræ hæretici. / Miſericordiæ Catholici.

IX. *Hæreſes non niſi propter aliquod bonum in Eccleſia permitti.*

AVGVSTINVS *de vera relig. ca. 8. To. 1.* Quoniam (ergo) veriſſimè dictum eſt; oportet multas hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos, vtamur etiam iſto diuinæ prouidentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui „ etiamſi eſſent in Eccleſia, nihilominus „ 1. Cor. 11.

,, errarent. Cùm autem foris ſunt, plurimùm
,, proſunt: non verum docendo,
,, quod neſciunt: ſed ad verum quærendum
,, carnales, & ad verum aperiendum
,, ſpiritales Catholicos excitando.

SVNT ENIM innumerabiles in Eccleſia ſancta Deo probati viri, ſed manifeſti nō fiunt inter nos, quamdiu imperitiæ noſtræ tenebris delectati, dormire malumus, quàm lucem veritatis
,, intueri. Quapropter multi; vt diē Dei
,, videant, & gaudeant, per hæreticos de
,, ſomno excitantur.

Per hæreticos multi de ſomno imperitię excitantur.

VTAMVR igitur etiam hæreticis, nō vt eorum approbemus errores; ſed vt Catholicam diſciplinam, aduersùs eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem reuocare non poſſumus.

Quatenus vtendum ſit hæreticis.

X. *Quibus gradibus ad hæreſim procedatur.*

SANDERVS *de viſibili Monarchia Eccleſiæ lib. 7. ſub capite de cauſis hæreſum.* His igitur gradibus, *inquit*, ad hæreſim peruenitur.

1. Im-

I. Impij primùm, qui non diligunt fraternitatem, ſecundis proximorum ſucceſſibus inuident. Inuidia.

II. Deinde ex inuidia oritur ſtudium litigandi, & immenſa primatus obtinendi cupiditas. Contentio.

III. Porrò detinet mentis aciem ſui ipſius gloria præpeditam, ne veritatem videre aut amare queat. Sui ipſius gloria.

IIII. Et quia mali homines & ſeductores proficiunt in peius errantes, & in errorem mittentes, dum aliis etiam id, in quo ipſi errant, probare conantur; ſcientiã velut de nouo ipſis reuelatam, promittentes (quæ tamen verè ſcientia non eſt, ſed ignorantia) circa fidem excidunt, & ſectas non metuunt inducere. 2.Tim.3. Falſum nomen ſciẽtiæ. 1.Tim.6. 2.Petr.2.

V. Deus interim hoc malum ad ſuam gloriam, & Eccleſię vtilitatem conuertens per occaſionem hæręſum manifeſtat eos, qui probati ſunt inter Chriſtianos, vt ea ratione triticum à paleis dignoſcatur. Probatio fidei. 1.Cor.11.

DE

DE IMPROBIS HÆRETICORVM MORIBVS.

CAPVT VII.

HÆRETICORVM mores alij ad vitam, alij ad doctrinam, alij ad vtrunque pertinent. De quibus hic nobis ex ordine agendum eſt. Ac primò quidem, quæ in hæreticorũ vita, & conuerſatione animaduerti & obſeruari debeant, ea diligenter præſcripta ſunt ab Apoſtolis, & ſanctis Patribus.

I. *Quæ in genere de his dicta, & ſcripta ſint ab Apoſtolis.*

D. PAVLVS *2. Tim. 3.* Hoc autem ſcito, quia in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa; & erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſcelesti; ſine affectione, ſine pace, criminatores, & incontinentes;

tes; immites; ſine benignitate; proditores; proterui; tumidi, & voluptatũ amatores magis, quàm Dei; habentes ſpeciem quidem pietatis; virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita &c.

2. PETRI 2. Fuerunt verò & Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant; ſuperinducentes ſibi celerem perditionem, & multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur; & in auaritia fictis verbis de vobis negociabuntur, quibus iudicium iam olim non ceſſat: & perditio eorum non dormitat.

Sectæ perditionis.

Per hæreticos via veritatis blaſphematur.

IVDAS *in Epiſtola vnica.* Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium) impij, Domini noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes. Hi ſunt in epulis ſuis maculę, ,, conuiuantes ſine timore, ſemetipſos ,, paſcentes; nubes ſine aqua, quę à ventis ,, circum-

Appellationes hæreticorum.

„ circumferuntur; arbores autumnales
„ infructuoſæ; bis mortuæ; eradicatę; fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones; ſydera errãtia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.

II. *Teſtimonia Patrum de hæreticorum moribus in genere. Et primum, vt hæretici ſuis & diſcipulis & moribus reuincantur.*

TERTVLLIANVS *de præſcript. hæret.* Adhuc in ſeculo ſuperſunt, qui meminerint eorum, etiam proprij diſcentes ipſorum, ne poſteriores negare poſſint; quanquam & de operibus ſuis, vt dixit Dominus, reuincuntur.

III. *Quàm incommodi ſint hæreticorum mores, vita & cõuerſatio.*

Hæretica conuerſatio qualis.

IDEM *Tertullianus ibidem.* Non omittam ipſius etiam conuerſationis hæreticę deſcriptionem, quàm futilis, quàm terrena,

terrena, quã humana ſit; ſine grauitate, ſine authoritate, ſine diſciplina, vt fidei ſuæ congruens.

IN primis quis catechumenus, quis fidelis, incertũ eſt; pariter adeũt, pariter audiunt, pariter orant: etiam Ethnici ſi ſuperuenerint, ſanctũ canibus; & porcis margaritas, licet nõ veras, iactabunt?

SIMPLICITATEM volunt eſſe poſt rationem diſciplinæ; cuius penes nos curã, lenocinium vocant; pacem quoq; paſſim cum omnibus miſcent. Nihil enim verum eſt in illis, licet diuerſa tra- ,, ctantibus, dum ad vnius veritatis expu- ,, gnationem conſpirent.

OMNES tument; omnes ſcientiam pollicẽtur. Antè ſunt perfecti catechumeni, quàm educati: Ipſę mulieres hæreticę, quàm procaces; quę audeant docere; contendere; exorciſmos agere; curationes repromittere; fortaſſe an & tingere? Ordinationes eorũ temerarię, ,, leues, inconſtantes; nunc neophytos ,, collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc ,, apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligẽt, ,,

quia

,, quia veritate non poſſunt. Nuſquam
,, faciliùs proficitur, quàm in caſtris re-
,, bellium, vbi ipſum eſſe, illic prome-
,, reri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus. Nam & laici ſacerdotalia munera iniungunt.

Hæreticorũ conatus, deſtruere potiùs, quàm ędificare.

DE VERBI autem adminiſtratione quid dicam? cùm hoc ſit negotium illis, NON ETHNICOS CONVERTENDI, SED NOSTROS EVERTENDI; hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam; non ſi iacentibus eleuationem operentur: quoniam & ipſum opus eorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione. NOSTRA SVFFODIVNT, VT SVA ÆDIFICENT. Adime illis in lege Moyſi, & Prophetas, & creatorem Deum; accuſationem eloqui non habent. Ita fit, vt ruinas faciliùs operentur ſtantium ædificiorum, quàm extructionis iacentium ruinarum. Ad hæc ſolummodò opera humiles, & blandi, & ſummiſſi agunt.

CÆTE-

CÆTERVM nec ſuis Præſidibus reuerentiam nouerunt. Et hoc eſt, quòd ſchiſmata apud hæreticos ferè nõ ſunt; quia cùm ſint, non párent. Schiſma eſt enim vnitas ipſa. Mentior, ſi non etiam à regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur, quæ accepit; quemadmodum de ſuo arbitriò compoſuit ille, qui tradidit. Agnoſcit naturam ſuam, & originis ſuæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino; idem Marcionitis, quod Marcioni DE ARBITRIO SVO FIDEM INNOVARE.

Hæreticorũ vnitas ipſa eſt ſchiſma.

Omnia ſuo arbitrio agunt.

DENIQVE penitus inſpectæ hæreſes omnes in multis cum Authoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur. Pleriq; neque Eccleſias habent; ſine matre; ſine Deo orba fide, extorres quaſi ſibilatæ vagantur. Notata ſunt etiam commercia hæreticorum cum magis quam pluribus cum circulatoribus, cum Aſtrologis, cum Philoſophis, curioſitati ſcilicet deditis. Quærite & inuenietis, vbique meminerunt.

Hæreſes cũ ſuis authoribus diſſentiunt.

Commercia hæreticor.

Hæreticorũ conuerſatio.

ADEO & de genere cõuerſatiõis qualitas fidei æſtimari poteſt; DOCTRINA INDEX DISCIPLINÆ EST. Negant Deum timendum. Itaque libera ſunt illis omnia & ſoluta. Vbi autem Deus non timetur, niſi vbi non eſt? Vbi Deus non eſt, nec veritas vlla eſt, vbi veritas nulla eſt, meritò & talis diſciplina eſt. Ac vbi Deus, ibi metus in Deum, qui eſt initium ſapientiæ.

Timoris Dei varia vtilitas.

VBI metus in Deum, ibi grauitas honeſta, & diligentia attonita, & cura ſollicita, & adiectio explorata, & communicatio deliberata, & ꝓmotio emerita, & ſubiectio religioſa, & apparitio deuota, & preſſio modeſta, & Eccleſia vnita, & Dei omnia.

Mores hæreticorum.

CYPRIANVS *in ſermone de zelo & liuore.* Hæreticorum eſſe (*ait*) dominicæ pacis vinculum rumpere, charitatem fraternam violare; adulterare veritatem; vnitatem ſcindere; ad hæreſes atque ſchiſmata proſilire; dum obtrectatur ſacerdotibus; dum Epiſcopis inuidetur; dum quis aut queritur, non ſe potiùs

potiùs ordinatum; aut dedignatur alterum ferre præpoſitum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat; de zelo ſuperbus, de æmulatione peruerſus, animoſitate & liuore, non hominis, ſed honoris inimicus.

IIII.

Ex iis verò, quæ ſancti Patres de prauis hæreticorum actionibus ſeorſim, & in ſpecie annotarunt, hæc nos præ cæteris memoria digna eſſe iudicauimus.

1. *Hæretici Simiæ ſunt.*

Cyprianus *ad Iulianum de hæretic. baptizand. vbi ſcribit*; Hæreticos, ſimiarum more, quæ cùm homines non ſint, homines imitantur, velle Eccleſiæ authoritatem vindicare, quando ipſi in Eccleſia non ſunt; imò adhuc inſuper contra Eccleſiam rebelles exiſtunt; Scientes vnum eſſe baptiſma, hoc vnum ſibi vendicant; vt apud ſe eſſe Eccleſiam dicant, & nos hæreticos faciant.

Hæretici Eccleſiæ authoritatē ibi conantur vindicare.

2. *Sibi placent, alios cõtemnunt.*

Quomodò ab Eccleſia recedatur.

CYPRIANVS *lib.3.Epiſt.9.* Hæc ſunt initia hæreticorum, & ortus atque conatus Schiſmaticorum malè cogitantium, vt ſibi placeant; vt præpoſitos ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia receditur; ſic altare profanum foris collocatur; ſic cõtra pacem Chriſti, & ordinationem atq; vnitatem Dei rebellatur.

3. *Illa ſcire appetunt, ex quibus ſingulariter eruditi videãtur.*

Hæretici plꝰ appetũt quã capere poſſint.

Hæretici digitis monſtrari volũt.

GREGORIVS *lib. Moralium 20. ca.8.* Omnes hæretici, dum in ſacro eloquio plùs ſecreta Dei ſtudent perſcrutari, quàm capiunt; fame ſua ſteriles fiunt. Neque enim ea quærunt, ex quibus ſemetipſos ad humilitatem erudiãt; mores in tranquillitate diſponant; patientiam ſeruent; longanimitatem exhibeant; ſed ea ſolummodò, quæ eos doctos atque loquaces demonſtrent: illa ſcire
,, appetunt, ex quibus ſingulariter erudi-
,, ti videantur. Et quantò ampliùs hæretici

tici de ſublimitate intelligentiæ reple- ,,
ri ambiunt, tantò ampliùs marceſcunt. ,,

4. *Videntur ſibi ſapere, cùm ſint ſtulti.*

HIERONYMVS *in Eſaiam ca.9. To.5.* Omnis hæreticus hypocrita eſt, aliud ,, agens & aliud ſimulans; & quidquid lo- ,, quitur, licet videatur eſſe ſapientia, ta- ,, men ſtultitia eſt.

Hæretici hypocritæ ſunt.

5. *Eorum doctrina in multiloquio verſatur.*

HIERONYMVS *in Eſai.ca.22. Tom.5.* Doctrina hæreticorum non in ſenſu, ſed in multiloquio & clamore verſatur. Vnde ob multitudinem deceptorum, frequens ciuitas appellatur; & exultans propter ſuperbiã. Inflati enim tument, & ſacratiora ſe inueniſſe gloriantur.

Ciuitas { Frequens. Exultans.

6. *Ex donis naturæ faciũt Idola.*

IDEM *in Oſeam cap.10. Tom.6.* Hæreticorum terra fœcunda eſt, qui à Deo acumen ſenſus & ingenij percipientes, vt bona naturæ in Dei cultũ verterent,

Bona naturæ in Dei cultũ vertenda.

 fece-

fecerunt ſibi ex his idola. NVLLVS ENIM POTEST HÆRESIM STRVERE, NISI QVI ARDENTIS INGENII EST; & habet dona naturæ, quæ à Deo artifice creata ſunt. *Et poſt pauca:*

Corda hæreticorum diuiſa.

HÆRETICORVM corda inter ſe diuiſa, & contrariis regnare ſententiis, etiam ipſi non negant; dum vniuerſa ſentiunt, vnde diſperdentur; & conſtringet, ſiue effodiet Dominus ſimulachra, vel altaria eorũ, quæ de ſuo corde finxerunt; & vaſtabit titulos, quibus ſingulis ſuis appellantur nominibus, & vocauerũt nomina ſua ſuper terras ſuas; vt nequaquam Chriſti Eccleſiæ, ſed illius, vel illius eſſe dicantur.

7. *Inter ſe diſcrepant; contra Eccleſiam conueniunt.*

IDEM *in Eſai. cap. 7. Tom. 5.* Hæreticos & gentiles contra domum Dauid, argumentorum & dialecticæ artis gladiis dimicare nulli dubium eſt; vt qui inter ſe diſcrepant, in Eccleſiæ oppugnatione conſentiant. Iuxta illud: quod Herodes

rodes & Pilatus diſcordantes, in Domini Paſſione fœderantur.

8. *Nimis amant ſuas opiniones.*

AVGVSTINVS de baptiſ. contra Donat. lib. 2. cap. 5. Nimis amando ſententiam ſuam, vel inuidendo melioribus, vſque ad præcidendæ communionis, & condendi ſchiſmatis, vel hæreſis ſacrilegiũ peruenêre, diabolica præſumptione. IN NVLLO AVTEM ALITER SAPERE, QVAM SE RES HABET; EVANGELICA PERFECTIO EST.

Amor ſui quò impellat hominẽ.

Perfectio Euangelica.

9. *Separãt ab Eccleſia Doctores.*

AVGVSTINVS in Pſalm. 67. Tom. 8. Hæreticos Doctores eam habere intentionem, vt ab auribus animarum, quas ſeducere moliuntur, excludant & ſeparent eos, qui idonei ſunt docere eloquia Dñi: NON ENIM CORRECTIONI, SED CONTENTIONI STVDENT.

Hæretici contentioni ſtudent.

10. *Se potiſſimùm Chriſtianos putant.*

LACTANTIVS lib. 4. cap. 30. diuinarum inſtitutiònum. Ait ſingulos quoſque

hæreticorum cœtus ſe potiſſimũ Chriſtianos, & ſuam eſſe Eccleſiam Catholicam putare.

11. *Sibi verum Sacramentorũ vſum vendicant.*

AVGVSTINVS *de baptiſ. contra Donat. lib. 1. ca. 6.* Singulæ hæreſes conantur aſſerere, apud ſe tantummodò verũ baptiſmum remanere; nec omninò eſſe alibi, nec in toto orbe terrarum, quo Eccleſia Catholica panditur.

12. *Non cedunt, etſi vincantur.*

CHRYSOSTOMVS *homil 37. Tom. 5.* Audi homo fidelis, qui contra hæreticum libenter contendis. Si Phariſæi placati ſunt, & in certando contra hæreticum potes eum placare, cùm viceris. Nũquid Chriſto fortior es? vt, quos ille non placauit, tu places?

Hæretici implacabiles et maximè cōtumaces.

13. *Neq; ſcripturas curant neq; traditiones.*

IRENÆVS *lib. 3. cap. 2.* Cùm enim ex ſcripturis arguuntur, in accuſationem

conuer-

conuertuntur ipſarum ſcripturarum, quaſi non rectè habeant; neque ſint ex authoritate, & variè dictæ; nec poſſit ex his inueniri veritas ab his, qui neſciant traditioné. Cùm verò ad traditionem eos prouocamus, quæ eſt ab Apoſtolis, & quæ per ſucceſſiones presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, dicunt, ſe non ſolùm presbyteris, ſed & Apoſtolis exiſtentes ſapientiores, ſynceram inueniſſe veritatem; ac indubitatè, & incontaminatè, nec non ſyncerè abſconditum ſcire myſterium. Euenit itaque, neque ſcripturis, neque traditioni eos conſentire.

Accuſant ſcripturas Hæretici ſcripturis conuicti.

Traditiones Apoſtolicas reiiciunt.

Hæretici Apoſtolis ſapientiores ſe dictitant.

14. *Semper in peius extolluntur.*

GREGORIVS lib. Moral. 20. cap. 11. Omnes hæretici tantò ſe inani lætitia extollunt: quantò magis ad peiora conualeſcunt; atq; eſſe ſub ſentibus delicias deputant: quia inde peruerſam mentem ad gaudium ſubleuant; vnde ſpinas peccatorum portant. Nam ſi quando ad errorem ſuum valuerunt quempiam trahere, ſeſe per lætitiam iactant.

Exultãt hæretici in reb. peſſimis.

15. *Nõ Dei ſed ſuũ opus pagunt.*

S. GREGORIVS *lib. Moral. 16. c. 25.* Hæretici non Dei, ſed ſuum opus peragunt, dum nõ recta dogmata, ſed propria deſideria ſequuntur.

Propria deſideria ſequũtur.

16. *Graſſantur in populũ Chriſtianum.*

Hæretici indoctos plerunque inuadunt.

IDEM Gregorius eod. cap. 24. Hæretici contra infirmas fidelium mentes, verborum & operum violentia graſſantur; & pauperum vulgus ſpoliant; quia cùm doctos non præualent, indoctos quoſq; à velamine, fidei prædicatione peſtifera denudant.

17. *Mutis amici; loquentibus aduerſarij.*

Hæreticorũ variæ perſecutiones & vafritiæ.

IDEM Moral. 3. cap. 20. Hæretici aliquandò contra Catholicos etiam ſuppliciis ſæuiunt; aliquandò eos ſolis verbis inſequuntur; aliquandò quietos laceſſunt; aliquandò, ſi eos tacentes videant, quieſcunt; & mutis amici ſunt; loquentibus aduerſantur.

18. *Eo-*

18. *Eorũ Eccleſiæ fidei expertes.*

Chrysostomvs *Pſalm.96. Tom.1.* Multæ Orthodoxorum Eccleſiæ ſunt; quæ autem expertes ſunt rectę fidei, hęreticorum ſunt Eccleſię: Si quidem vocare licet eorum conuenticula Eccleſias, & non potiùs vulpium cauernas: Sunt enim vulpes, non imitatione naturæ, ſed voluntatis.

Hæreticorũ Eccleſię vulpium cauernæ.

Hæretici vulpes.

19. *Tandem increduli fiunt, & blaſphemi.*

Irenævs *in Prolog. lib.4.* Hoc eſt propoſitum eius, qui vitæ noſtræ inuidet, incredulos ſuæ ſalutis efficere homines, & blaſphemos in plaſmatorem Deum. Quæcunq; cum grauitate ſumma dixerint hæretici omnes, in vltimũ ad hoc deueniunt; vt blaſphement fabricatorem; & contradicant ſaluti plaſmatis Dei.

Diabolus q̃d hæreſib. eſſicere concẽ.

Hæretici blaſphemi.

DE

DE PERVERSA HÆRETICORVM DOCTRINA.

CAPVT VIII.

DIVVS *Paulus 1. Timoth. 6.* Qui non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei, quæ ſecũdùm pietatem eſt, doctrinæ; ſuperbus eſt, nihil ſciens; ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones; blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati ſunt, exiſtimantium, quæſtum eſſe pietatem.

Hęretici mẽte corrupti lãguẽt circa pugnas verborum.

SANCTORVM verò Patrum de hac re collationes hæ ſunt.

1. *Scripturas obtendunt.*

TERTVLLIANVS *de præſcriptionib. hæret. ſub num. 5.* Hæreticorum eſſe *(ait)* vt ſcripturas obtendant, & hac audacia

ſtatim

ſtatim quoſdam moueant. In ipſo congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.

,,Congreſſus cũ hęreticis periculoſus.

HIERONYMVS *ad Tit.1.* Sine ſcripturarum authoritate, garrulitas hæreticorum non haberet fidem, niſi videretur peruerſam doctrinam etiam diuinis teſtimoniis roborare.

Heretici cur ſcripturis vtantur.

2. *Scripturas ſine ſenſu loquuntur.*

HILARIVS *ad Conſtantium Auguſt.* Sed memento tamen, neminem hæreticorum eſſe, qui ſe nunc nõ ſecundùm ſcripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus, verbum Dei cùm legit, neſcit; Hinc Photinus, hominem Ieſum Chriſtum cùm loquitur, ignorat: hinc & Sabellius, dum quòd ego & Pater vnum ſumus; non intelligit, ſine Deo Patre, & ſine Deo Filio eſt; Hinc & Montanus per inſanas fœminas ſuas, paracletum alium defendit; hinc & Manichæus & Marcion

Heretici mẽtiuntur ſcripturas.

Marcion legem odit; quia litera occidit, & mundi Princeps Diabolus eſt.

Fidē ſine fide prætendunt. Scripturę in intelligendo & charitate ſitæ.

OMNES ſcripturas ſine ſenſu loquuntur, fidem ſine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo ſunt, ſed in intelligendo; neque in præuaricatione ſunt, ſed in charitate.

3. *Pro veris, vmbram falſitatis requirunt.*

Hæretici p veritate dolos ſequuntur & mendacia.

GREGORIVS *Moral. lib. 11. cap. 15. Tom. 1.* Hæretici qui ea, quæ praue de Deo intelligunt, ex veritate tueri non poſſunt; quaſi ad probandum radium luminis, vmbrā falſitatis requirunt; Et pro eo dolos ſequuntur, dum infirmas mentes, in intellectu illius ſtulta ſeductione decipiunt.

IRENÆVS lib. 1. cap. 15. Perfectus enim nemo, niſi qui maxima mendacia apud eos fructificauerit.

4. *Aut ſi quando vera dicunt, ad oſtentationem faciunt.*

IDEM

IDEM *Moral.5.cap.20.Tom.1.* Hæretici nonnunquam vera & ſublimia loquuntur,non quòd hęc diuinitus ipſi percipiant;ſed quòd ex ſanctæ Eccleſię contentione didicerunt: neque hæc ad profectum conſcientiæ, ſed ad oſtentationem trahunt.

Vera nõnunquã loquuntur hæretici non ex ſe tamen.

5. *Omnes ſcripturas vſurpant.*

D. HIERONYMVS *ad Paulin.Epiſt.2. ſiue in prolog.Bibl.* Quod Medicorum eſt, promittunt Medici;tractant fabrilia fabri. Sola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant. Scribimus indocti,doctique poëmata paſſim. Hanc garrula anus; hanc delirus ſenex; hanc ſophiſta verboſus; hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequàm diſcant.

Scripturas quiuis ſibi vendicat.

ALII adducto ſupercilio grãdia verba trutinantes,inter mulierculas,de ſacris literis philoſophantur. Alij diſcunt (proh pudor)à fœminis,quod viros doceant;& ne parum hoc ſit,quadã facilitate verborum,imò audacia ediſſerunt aliis,quod ipſi non intelligunt.

Hæretici diſcũt à fœminis.

Docẽt quod ipſi non intelligunt.

TACEO

Scripturarũ verba ipſa citanda, nõ immutanda.

TACEO de mei ſimilibus, qui ſi fortè ad ſcripturas ſanctas, poſt ſeculares literas, venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint; quidquid dixerint, legẽ Dei putãt; nec ſcire dignãtur q̃d Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed AD SENSVM SVVM INCONGRVA APTANT TESTIMONIA, quaſi grande ſit, & nõ vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere pugnantem.

6. *Nec tamen intelligunt ſcripturas.*

AVGVSTINVS *contra Fauſtum lib. 33. c. 7.* Maligni malo ſtudio legitis; ſtulti non intelligitis; cæci non videtis.

7. *Solum textum admittunt.*

EPIPHANIVS *lib. 2. contra Apoſtolicos ſcribens teſtatur:* Sectarios illos nihil niſi ſolum textum ſcripturarum admittere. Cathari quidem, *ait,* receptis ſolùm ſcripturis nituntur. Hi verò (Apoſtolici) actibus Andreæ ac Thomæ appellatis, vt plurimum nituntur.

8. *Verba legis adulterant.*

Ambrosivs *ad Rom. c. 5.* Quia propria quis authoritate vti non poteſt, AD VICTORIAM VERBA LEGIS ADVLTERAT, vt ſenſum ſuũ quaſi verba legis aſſerat: VT NON RATIO, SED AVTHORITAS PRÆSCRIBERE VIDEATVR.

9. *Sacris ſcripturis variè abutuntur.*

Clemens *Alexandrinus lib. 7. ſtromatum.* Quanquam hi, qui hæreſes ſectantur, audeant vti propheticis ſcripturis, tamen primùm neque omnibus vtuntur; deinde neque integrè, neque etiam quid vel corpus prophetiæ, vel gibbus velint, conſiderãt. Sed quæ ambiguè dicta ſunt eligentes, transferunt illa in priuatas opiniones ſuas; ſparſimque voces paucas veluti floſculos carpentes, nõ ſpectant in eis ſignificatum, ſed nuda dictione abutũtur; propemodum enim ſolis verbis addictos reperias illos, QVI SOLIS NOMINIBVS INHÆREANT, ſignificata variantes.

Hæreticorũ audacia.

Solis verbis addicti.

10. *In ſcripturis peruertendis temerarij ſunt, & audaces.*

EVSEBIVS lib. Eccleſiaſt. hiſtor. 5. cap. 28.

Quid in ſcripturis diuinis quærant hæretici.

Scripturas diuinas ſine vlla reuerentia corruperunt, & antiquæ fidei canonem reprobarunt, ac Chriſtũ ignorauerunt; non quærentes, quid diuinæ ſcripturæ dicant, ſed in eo ſe ſtudioſè exercentes, num quæ ſyllogiſmi figura ad hoc reperiatur; vt diuinitas Chriſti impugnetur.

Hæretici remoti à fide infidelium artibus abutuntur.

QVID autem attinet de iſtis dicere (*nempe Euclidem, Ariſtotelem, Theophraſtum, & Galenum nominans*) quòd remoti ſint à fide, qui infidelium artibus pro hæreſeos ſuæ ſententia ſtabilienda abutuntur? Et impiorum verſutia ſimplicitatem diuinarum ſcripturarum fraudulenter corrumpunt? Etenim ſi quis cuiuſque illorum exemplaria inquirere, & inter ſe cõferre voluerit, inueniet illa admodum diſcrepantia.

11. *Verba ſcripturæ corrũpunt.*

TER-

TERTVLLIANVS *aduerſus Marcion: lib.4. Nu.29. & Hermog. Nu.9.* Hæreticos teſtatur ſemper, aut nudas & ſimplices voces, coniecturis, quô volunt, rapere; aut rurſus, conditionales & rationales voces, ſimplicitatis conditione reſoluere, & ſimplicia torquere.

Hæretici quomodò Scripturas deprauent.

12. *Simplicia torquent.*

IDEM *ad Hermogen. ſub Num.13.* Hæreticorum argutias & ſubtilitates eſſe, (*ait*) vt ſimplicitatem communiũ verborum torqueant in quæſtionem.

13. *Confeßiones ſcribunt.*

D. ATHANASIVS *Orat.1. ad Epiſcopos Aegypti & Lybiæ contra Arrian.* Hæreticos requiſitos fidei ſuæ confeſſionẽ, callidè per dolum ſuppreſſis ſuis impietatibus, ſcribere, *inquit*, & iureiurãdo affirmare; ſe nihil aliud dicere, nec cogitare: cùm tamen longè aliter credant, & doceant.

Heretici aliter confeſsiones ſcribunt quã credant aut doceant.

14. *Alienas voces vſurpant.*

IDEM *contra Arrianos Orat.2.* Hæreticos nouas & peregrinas, ac à ſacra ſcriptura alienas voces vſurpare aſſerit.

Nouum ſem per aliquid apud hæreticos.

IRENÆVS lib.1. cap.15. Et de conditione quidem talia dicentes quotidie adinuenit vnuſquiſque eorum quemadmodum poteſt aliquid noui.

15. *Erroribus ſuis fucum obducunt.*

AVGVSTINVS contra Epiſt. fundamenti. Animaduertere poteſtis, QVOSLIBET ERRORES FVCARI POSSE, vt imperitorum animis per ornatam ianuam libenter irrepant. Si enim dicerent, hæc ſunt peſtifera verba ex venenoſo fonte; quæ qui audierit, & eiſdem primùm crediderit, deinde quæ inſinuant cuſtodierit; nunquam erit vitæ reſtituendus, &c. omnes in quorum manus incidiſſet, in maxima odia concitaret.

Quoslibet errores fucari poſſe.

16. *Non ſe authoritati ſcripturarum; ſed ſibi ipſi ſcripturas ſubiiciunt.*

AVGVSTINVS contra Fauſtum lib.32. cap.19. Tom.6. Videtis autem (*alloquitur hære-*

hæreticos) id vos agere, vt omnis de medio ſcripturarum auferatur authoritas; & ſuus cuique animus author ſit, quid in quaq; ſcriptura probet, quid improbet; id eſt, vt non authoritati ſcripturarum ſubiiciatur ad fidem, ſed ſibi ſcripturas ipſe ſubiiciat; non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in ſublimi authoritate ſcriptum legitur, ſed ideo rectè ſcriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quô te committis anima miſera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta, quô te committis.

Hæretici ſcripturæ authoritatem auferre conantur.

17. *Nunc aſpera nunc leuia proponunt.*

AVGVSTINVS *contra aduerſa. leg. & prophetiæ lib. 1. c. 17.* Vaniloqui & mentis ſeductores, aduerſantes ſacris literis, quas intelligere nolunt; eligunt ex eis aſpera, quæ ibi leguntur ad cõmendandam ſeueritatem Dei; & de literis Euãgelicis atque Apoſtolicis leuia, quæ ibi leguntur ad cõmendandam bonitatem Dei; & apud homines imperitos hinc

Hæretici vaniloqui aduerſantes ſcripturæ.

ingerunt horrorem; inde quærunt fauorem.

18. *Bona malis admiſcent.*

Gregorivs *lib.5. Moral. ſuper illud Iob 3. & venit ſuper me indignatio, ſic ait:* Habēt quippe hæretici hoc proprium, vt malis bona permiſceant; quatenus facilè ſenſui audientis illudant. Si enim ſemper praua dicerēt, citius in ſua prauitate cogniti, quod vellent, minimè perſuaderent. Rurſum, ſi ſemper recta ſentirent, profectò hæretici non fuiſſent. Sed dum fallendi arte ad vtraque deſeruiunt, & ex malis bona inficiunt; & ex bonis mala, vt recipiantur, abſcōdunt: ſicut qui veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine mellis tingit; dumque hoc, quod dulce eſt, primo attactu delibatur; etiam illud, quod mortiferum, indubitanter abſorbetur. Itaque hæretici permiſcent recta peruerſis, vt oſtendendo bona, auditores ad ſe trahant; & exhibendo mala, latenti eos peſte corrumpant.

Heretici cur bona malis miſceant.

DE

DE HÆRETICORVM IMPIA ET FRAVDVLENTA PERFIDIA.

CAPVT IX.

SEQVVNTVR *nunc mores hæreticorum partim ad vitam, partim ad doctrinam pertinentes.* NAM

1. *Bonæ interdum ſunt vitæ, vt tantò magis decipiant.*

ORIGENES *in Ezechiel c.16. hom.7. To.1. affirmat;* Hæreticum bonæ vitæ nocentiorẽ eſſe, & plus in doctrina ſua habere authoritatis eo, qui doctrinã conuerſatione maculat. Qui enim vitæ peſſimæ eſt, nõ facilè homines ad falſum dogma ſollicitat, nec poteſt per vmbrã ſanctitatis audientium decipere ſimplicitatẽ. Qui verò ſermone ꝑuerſus eſt, & diſciplinis ſaluti cõtrarius, mores aũt cõpoſitos & ornatos habet; nihil facit aliud, niſi accipit indumẽta varia inſtituti boni, & conuerſationis ꝗetę, & circũdat ea idolis ſuis, vt magis decipiat audientes.

Hæretici ficté pbi maximè noxij.

2. *Veterum ſcripta inuolutiùs edita reuocant; & ſibi pro defenſione hæreſum fraudulenter vſurpant; ne primi neque ſoli ſic ſenſiſſe videantur.*

VINCENTIVS *Lyrinenſis aduerſ. hæreſ.*

Heretici in inferno ardēt propter fraudulentiam. Quod quidem mihi diuinitus videtur promulgatum iudicium (vt ſcilicet hæretici in inferno ardeant) propter eorum maximè fraudulentiam, qui cùm

Sub alieno nomine hæreſim machinantur. ſub alieno nomine, hæreſim concinnare machinentur, captant plerunque veteris cuiuſpiam viri ſcripta paulò inuolutiùs edita; quę pro ipſa ſui obſcuritate dogmati ſuo quaſi congruant; vt illud, neſcio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque ſoli, ſentire videantur.

Hæreſis venenum propinant. QVORVM ego nequitiam duplici ôdio dignam iudico; vel eò, quòd hæreſeos venenum propinare aliis non pertimeſcunt; vel eò etiam, quòd ſancti cuiuſq; viri memoriam, tanquam ſopitos iam

iam cineres profana manu ventilant, & quæ ſilentio ſopiri oportebat, rediuiua opinione diffamant; ſequentes omninò veſtigia authoris ſui Cham; qui nuditatem venerandi Noæ, non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enunciauit.

Silentio tegenda diffamant.

Filij Cham.

VNDE tantam læſæ pietatis meruit offenſam, vt etiam poſteri ipſius peccati ſui maledictis obligarentur; beatis illis fratribus, longeque diſſimilibus, qui nuditatem ipſam reuerendi Patris, neque ſuis temerare oculis, neque alienis patêre voluerunt, ſed auerſi, vt ſcribitur, texerunt eum; quod eſt erratum ſancti viri nec approbaſſe, nec prodidiſſe; atque idcirco beata in poſteros benedictione donati ſunt.

Læſæ pietatis offenſa.

Geneſ. 9.

Geneſ. 9.

3. *De bonis præſcribunt, vt aſſerant mala.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Hæretica profeſſio de bonis præſcribit, vt „ aſſerat mala; & de ſanctitate præiudi- „ cat, vt immunditiam ſubtiliter intro- „

Hæretica profeſsio.

 ducat;

„ ducat; de licito calumnias facit, vt ob-
„ tinere illicitum poſſit.

4. *Aliud dicunt, aliud ſentiunt.*

Hæretici ſimilia nobis loquuntur: diſsimilia ſentiunt.

IRENÆVS in Præfat. lib.1. Hæretici ſubdola veriſimilitudine inexpertiores, qui eos ꝓpter exterius ouilis pellis ſuperindumentum, non norunt, in captiuitatem ducunt; SIMILIA QVIDEM NOBIS LOQVENTES: DISSIMILIA VERO SENTIENTES.

5. *Ex veritate mendacium ſtruunt.*

TERTVLLIANVS contra Praxeam initio libri. Variè Diabolus æmulatus eſt veritatem. Affectauit illam aliquando defendendo cõcutere, vnicum Dominũ vindicat omnipotentem mundi conditorem, vt & de vnico hæreſim faciat. Ipſum dicit Patrem deſcendiſſe in virginem; ipſum ex ea natum; ipſum paſsũ; deniq; ipſum eſſe Ieſum Chriſtũ.

TERTVLLIANVS aduerſus Praxeam. Hæreſis ex veritate accipit, quòd mendacium ſtruat.

IDEM *in Apologet.* Omnia aduerſùs veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt, operantibus æmulationem iſtam ſpiritibus erroris. *Et paulò pòſt:* Nunquã enim corpus vmbra, aut veritatem imago præcedit.

Heretici ſpiritꝰ erroris.

6. *Sub vmbra veritatis decipiũt.*

CHRYSOSTOMVS *homil.47. in Matthæum c.13.* Illud profectò Diaboli actibus aſtutè fieri ſcire debemus, vt veritati ſemper errores cõnexi atq; inſerti, p ſimilitudines facilè decipiãt leuiores.

Apud hereticos veritati errores connexi.

7. *Honeſta loquẽdi ratione circumueniunt incautos.*

ATHANASIVS *contra Arrianos Sermo.4. ait;* Hęreticorum omnia verba & voces ſuſpectas eſſe; &, vt ſcriptũ eſt, impios inſidias tendere; dictaq; impiorum doloſa: vt honeſta iſta loquendi ratione, & calliditate in ſpecie incredibili, ſuã impietatẽ de integro aſſeminent.

Dicta impiorum doloſa; & verba ſuſpecta.

8. *Inſipientes circũueniunt ſpecie diſſimulata.*

ATHA-

ATHANASIVS *contra Arrian. Orat. 2.*

Hæretici ſpeciem ſuam diſsimulant.

Hæreticos ſpeciem ſuam diſſimulare, & literarum ſacrarum vocibus, quaſi honeſto cultu indui, cõfirmat, quo ſub ſpecie Chriſtianiſmi quoſdã ſeducant; vt credibilitate falſarum rationum perſuaſi, contra Chriſtum ſentiant.

Inſipientes errore complent.

IMO & inſipientes circumuenire aſſerit, tantoq; errore complere, vt non ſolùm auribus delirent, ſed ad Eccleſiæ imitationem oblata deguſtent; & à deguſtatione cæci, captiq; ſenſibus, amara dulcia eſſe arbitrentur; & abominabiles hæreſes pulchras eſſe exiſtiment.

9. *Varij & verſipelles ſunt.*

IDEM *in epiſtola pro Nicenæ Synodi decretis contra Arrian. col. 3. docet*; Hæreticos in comminiſcẽdis vitiligationibus nihil alienum à prauitate ſuæ indolis facere; neque id mirum cùm tam vario ſint & verſipelli animo, quàm Chamæleontes ſunt in imitandis coloribus: q.pe quibus tantiſper pudor adſit, dum refutantur, inopia hæſitationeque reſpon-

Hæretici etſi cõfundanť, mox, recurrunt ad ſua figmenta.

ſpondendi; ſed mox tum reſumpta audacia ad cauſificationes fingendas recurrant; quos ſi denuò conuenias, fatiſcunt illi quidem, verùm non diutius, quàm vt denuò ea, quæ nuſquam ſunt, mendaciis fingant, & inania cogitent.

10. *Inſidias ſtruunt; & per lucem ad tenebras ducunt.*

Hieronymvs *in Pſal. 5. To. 8.* Verè inſidiatur cor hæreticorum omnibus, quos decipit. Nunquam claudunt, ſed ſemper aperiunt os ſuum: aliud in corde tenent; aliud in ſermone pollicẽtur. Pietatem loqvvntvr, et occvltant Antichristvm. Sciunt enim quòd nemo poſſit induci, ſi proferant Antichriſtum; lucẽ proferunt, vt cælẽt tenebras; & per lvcem dvcant ad tenebras. Per lucem ducunt ad tenebras.

11. *Verba legis ad ſenſum humanum immutant.*

Ambrosivs *in Epiſt. ad Rom. ca. 5. Tom. 5.* Hęreticus verba legis adulterat,

vt

Id agunt hæretici, vt hoc in literis cõtineatˉ, quod cuique videtur.

vt non ratio ſed authoritas præſcribere videatur. Conſtat autem quoſdam latinos olim de veteribus græcis tranſlatos codicibus, quos incorruptos ſimplicitas temporum ſeruauit, & probat. Poſt-
,, quam autẽ à concordia animis diſſiden
,, tibus, & hæreticis perturbantibus, tor-
,, queri quæſtiones cœperunt, multa im-
,, mutata ſunt ad ſenſum humanum; VT
,, HOC CONTINERETVR IN LITERIS,
,, QVOD HOMINI VIDERETVR.

12. *Corruptores ſunt Euangelij, & ſcripturas mutilant.*

Hæretici vt ipſi ſciſsi ſunt, ita ſententias ſcripturæ ſcindunt.

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Corruptores Euangelij, atque interpretes falſi, extrema ponunt & ſuperiora prætereunt; partim memores, & partim ſubdolè corrũpentes: vt ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt; ita capituli vnius ſententiam ſcindunt.

13. *Duplices corde ſunt.*

ATHANASIVS *in Epiſt. pro Nicenæ Synodi decretis contra Arrianos docet*; Hæreticos homines eſſe tales, quales D. Ia-

D. Iacobus duplices corde, & inſtabi- Iacob. 1.
les in omnibus viis ſuis appellat, nun- & 4.
quam vnam eandemq́; ſententiam, ſed alios, aliam fouentes, dictaq́; ſua nunc laude, nunc vituperio proſequuntur; vt quod iam probarint, è veſtigio dānent. „Quod nūc probant „hæretici è veſtigio „damnant.

Hi ſunt, vt Paſtor dixit, progenies Diaboli, quique ſpecies potiùs cauponum, quàm Magiſtrorum prę ſe ferant. Species cauponum.
Eſt enim ibi, vt patres tradiderunt, veræ diſciplinæ & Magiſterij argumentū; VBI EADEM CONFITENTVR, nec à ſe inuicē, nec à maiorib. diſſentiunt. „Verę diſciplinæ & „Magiſterij exemplum.
Qui igitur hoc animo non ſunt, mali potiùs, quàm veri pręceptores appellari debēt.

14. *Ambidextri ſunt.*

HIERONYMVS *ad Pammachium & Oceanum*. Cur ſi quem hæretici vrgere cœperint, & aut ſubſcribendum eis fuerit, aut exeūdum de Eccleſia, miras Strophas videas. Sic verba temperāt; ſic ordinem vertunt; & ambigua quæque cōcinnunt; VT ET NOSTRAM ET ADVERSARIORVM CONFESSIONEM TENEANT, vt aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat. „Hereticorum Stro„phæ.

15. Aliud

15. *Aliud ore, aliud in conſcientia loquuntur.*

IDEM *in Epiſtola ad Cteſiphontem.* Noſti quid intrinſecùs diſcipulos tuos doceas, aliud ore commemorans, aliud cælans conſcientia, nobiſq; alienis & indoctis loqueris per parabolas; tuis autem myſteria confiteris; & hoc te iuxta ſcripturam facere iactas.

Hæretici aliênis loquuntur per parabolas.

16. *A mulieribus diſcunt, quæ viros doceant.*

Et paulò poſt. Quid volunt miſeræ mulierculæ oneratæ peccatis? quæ circumferuntur omni vento Doctrinæ; ſemper diſcentes, nunquam ad veritatis ſcientiam peruenientes; & cæteri muliercularum ſocij, prurientes auribus, & ignorantes quid audiant, quid loquantur; qui vetuſtiſſimum cœnum, quaſi nouam ſuſcipiũt temperaturam; qui iuxta Ezechielem liniunt parietem abſq; temperamento, & ſuperueniente veritatis pluuia diſſipatur.

Hæretici ſemper diſcunt & nunquã ad ſcientiam perueniunt.

Cœnum pro temperatura ſuſcipiũt.

SIMON

Simon Magus hæreſim condidit, Helenę meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præpararet. Apelles Philomenen ſuarum comitem habuit doctrinarum. Mõtanus, immũdi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, primùm auro corrupit; deinde hæreſi polluit.

Heretici qui à mulierib. docti.

Immundi ſpiritus prędicatores.

17. *Chriſtianos Chriſti nomine ſeducunt.*

Avgvstinvs *contra Fauſtum lib. 13. ca. 12. Tom. 6.* Hæretici non amant diſputare; ſed quoquo modo ſuperare: impudentiſſima peruicacia, vt congregent, quos non peperérunt. Chriſtianos enim, quos maximè Chriſti nomine ſeducunt, iã per ipſius Chriſti Euangelium natos inueniunt, & faciunt illos diuitias ſuas; non ſanè cum iudicio, ſed

Hæretici nõ amant diſputare, ſed vincere.

cum temeritate inconſiderata. Non enim intelligunt, ibi eſſe veram & ſalubrẽ, & quodammodo germanam, atq; radicalem Chriſtianam ſocietatẽ; vnde iſtos ſeparauerũt; quos ad ſuas diuitias congregarunt.

Ibi vera & Chriſtiana ſocietas, vnde heretici ſe ſuosq; ſeparauerunt.

18. *Aliorum crimina colligunt, vt ſua tegant.*

IDEM *Epiſtola 137. ad Hipponenſes*. Hęretici non habendo quod in cauſa ſuæ diuiſionis defendant; non niſi hominũ crimina colligere affectant; & ea ipſa plura falſiſſimè iactant, vt quum ipſam diuinæ ſcripturæ veritatem (qua vbiq; diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur) criminari & obſcurare non poſſunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odiũ: de quibus & fingere, quicquid in mentem venerit, poſſunt.

Heretici ſuã diuiſionẽ defendere nequeunt.

D. BERNHARDVS *de adultera & Suſanna Sermon. 3.* Veſtras, ô hæretici, manus, nec adultera effugit, nec pudica; veſtras accuſationes nec ſanctus, nec peccator euadit. Diſſimulatis peccata veſtra,

Omnia & omnes mordent hæretici.

veſtra, vbi inueneritis aliena; alioquin verò, ſi quis fortè ſuum non habet, veſtrum & crimen impingitis.

19. *Authoritatem Eccleſiæ diminuere ſolent.*

AVGVSTINVS *Epiſtola 56. Tom. 2.* Cùm hæretici ſentiunt, ſe abiectiſſimè „ iacère, ſi eorum authoritas, cum au- „ thoritate Catholica conferatur; co- „ nãtur ergo authoritatem ſtabiliſſimam „ fundatiſſimæ Eccleſiæ, quaſi rationis „ nomine & pollicitatione ſuperare: O- „ mnium enim hæreticorum quaſi regu- „ laris eſt iſta temeritas.

Conãtur Eccleſiæ authoritatem ſuperare.

20. *Eccleſiam propter falſam doctrinam affligi clamitant.*

GREGORIVS *lib. Moralium 12. c. 15. Tom. 1.* Hæretici afflictiones ſanctæ Eccleſię videntes, eam deſpiciunt, & illam flagellis àtteri ex prauæ ꝓfeſſionis merito ſuſpicantur. Ac ſi patenter dicant;

ſi profeſſionem fidei corrigeret, iamdudum conſolationem à flagellis habere potuiſſet.

21. *Fingunt, ſe Eccleſiæ cõdolere.*

IDEM Moral.lib.3.ca.19.Tom.1. Hæretici quaſi infirmanti Eccleſiæ ſe condeſcendere ſimulant; eiq́; ſub blandimẽtorum ſpecie dolos deceptionis parant. Et quamuis vel in his, quæ intelligunt; vel in his, quæ intelligere non poſſunt, elatiõis typho turgidi magnos ſe apud ſemetipſos exiſtimant; nõnunquam tamen ſe Eccleſiæ ſanctæ ſpecie tenus inclinant; & DVM VERBA MOLLIVNT, VIRVS INFVNDVNT. Dumq́; aliquid de imagine humilitatis oſtendunt, ac humilia exhibent, ſuperba perſuadent, quæ docent.

Heretici ſub blãditiis dolos parant, & venenum ingerunt.

22. *Scripta Patrũ adulterant; aut eorum nomine ſuos edunt fœtus.*

NICEPHORVS *lib.16.cap.28.* Hæretici ſcripta Patrum adulterant; & multos

Apollinaris libellos per inſcriptionem Athanaſio & Gregorio mirifico illi, & Iulio attribuerũt; per quos maximè ad impietatem ſuam multos pertrahunt.

Hæretici ſua interdũ ſub Catholici alicuiꝰ nomine edunt.

23. *Inſumma, apud hæreticos veritati omnia ſunt contraria.*

EVSEBIVS *Cæſarienſis de vita Conſtantini lib.3.* O veritatis inimici, vitę hoſtes, ,, & perditionis conſiliarij; omnia ſunt ,, apud vos veritati contraria; ac turpibus ,, malitiæ ſtudiis, & abſurdis admodum ,, fabulis conſona; per quæ vos mendacia ſtruitis, & inſontes premitis: lucem fidelibus negatis; ſub prætextu diuinitatis ſemper delinquentes: omnia polluitis; innoxias ac puras conſcientias lethiferis plagis vulneratis; ac ipſam ꝓpè diem (vt ita dicam) humanis oculis abripitis.

Ex edicto Conſtãtini, quod ſequitur infrà cap. 12. Nu. 6.

DE SIGNIS ET NOTIS EX QVIBVS HÆRETICI COGNOSCI ET DISCERNI queant.

CAPVT X.

EX fructibus cognoſci hæreticos, Chriſti Domini noſtri verbis, quibus diſcipulos ſuos iam olim præmonuit, edocti ſumus. Eiuſmodi fructus
1.Tim.6. ſunt, quos ſuprà ex Apoſtolo Paulo recenſuimus: inuidię, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorũ, & qui veritate priuati ſunt, exiſtimantiũ quæſtum eſſe pietatem. Quæritur ergo

I. *Quibus hæretici notis à veris diſtinguantur Prophetis.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ aduerſus Nouatianũ.* Hi ſunt, qui ſe vltrò apud temerarios cõuenas ſine diuina diſpoſitione pręficiunt, qui ſe prępoſitos ſine vlla ordinationis lege conſtituunt; qui, nemi-

Hæretici ſibi honorem [illegible] munt ipſi.

nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt. Quos deſignat in Pſalmis Spiritus ſanctus, ſedentes in peſtilētiæ cathedra, peſtes & lues fidei; ſerpentes ore fallentes; & corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis peſtiferis euomentes. Quorum ſermo, vt cancer, ſerpit, quorum tactus pectoribus & cordibus ſingulorū mortale virus infundit.

Pſal. 1.

Peſtes fidei.

Serpētes ore fallentes.

Corrumpēdæ veritatis artifices.

CONTRA eiuſmodi clamat Dominus, ab his refrænat & reuocat errātem plebem ſuam, dicēs; Nolite audire ſermones Pſeudoprophetarum, quoniam viſiones cordis eorum fruſtrantur eos. Loquuntur, ſed non ab ore Domini. Dicunt eis, qui abiiciunt verbum Dei; Pax erit vobis, & omnib. ambulantibus in voluntatib. ſuis. Omnis qui ambulat in errore cordis ſui, non venient ſuper eū mala. Non locutus ſum ad eos, & ipſi prophetauerūt. Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea, & audiſſent verba mea, & ſi docuiſſent populum meum, cōuertiſſem eos à malis cogitationibus eorum.

Hæretici nō audiendi.

Ierem. 23.

Ierem. 2. HOS eoſdem denuò Dominus deſignat, & denotat, dicens: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & effoderunt ſibi lacus detritos, qui nō poſſunt aquam portare. Quādò aliud baptiſma præter vnum eſſe non poſſit, baptizare ſe poſſe opinantur, vitæ fonte deſerto, vitalis & ſalutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illic homines, ſed potiùs ſordidantur; nec purgantur delicta, ſed imò cumulantur. Non Deo natiuitas illa, ſed Diabolo filios generat. Per mendacium nati, veritatis promiſſa nō capiunt. De perfidia procreati, fidei gratiam perdunt. Ad pacis præmium venire non poſſunt, qui pacem Domini diſcordiæ furore ruperunt.

Sacramenta apud hæreticos nihil prodeſſe ad ſalutē. Fuit quidem hæc ſententia Cypriani de Baptiſmate ſed ab Eccleſia Catholica non recepta.

II. *Quæ hæreſum ſigna magis ſint notabilia.*

SED ET ALIA pręſcripta ſunt ſigna, quib. Pſeudoprophetę & falſi Apoſtoli, à veris Eccleſiæ Doctoribus diſcerni & diiudicari queant; quorum nos in hanc claſſem hęc potiſſimū transferre voluimus.

1. *Stu-*

1. *Studium nouitatis.*

D. PAVLVS 1. Timoth. 6. Deuita prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ; quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.

IRENÆVS lib. 1. cap. 1. Hæreticos ab inuicem & doctrina & traditione diſcrepare; & recentiores eorum per ſingulos dies nouum aliquid adinuenire; quod nunquam quiſquam excogitauit.

Hæreticos ab inuicem diſcrepare.

ATHANASIVS in Epiſtola pro Nicenæ Synodi decretis contra Arrian. Hæreticos eſſe logodædalos nouorum vocabulorum; &, quod magis eſt, ſanis ſententiis non vtentes, ſeque ipſos incuſantes, quod primi diſſenſionis occaſionẽ præbuerint; dum EX NON SCRIPTIS VOCIBVS DEO BELLVM COMPARANT.

Hæretici Deo bellum comparant.

IDEM contra Arrianos Sermo. 4. Hæretici prauum omninò, & vndequaque corruptum animũ ad impietatem habent; vbiq; tamen refutati declaratiq; nullius ſcientiæ eſſe, erubeſcere tamen

Hæretici Impudẽtes ſemper nouos errores, vt hydra, gignũt.

nequaquam poſſunt: ſed quemadmodum in fabulis Ethnicorum celebrata hydra, ſublatis prioribus ſerpentibus, aliisq; pullulantibus peruicaciter contendebat, nouo ſemper obiectu anguium, contra eum, qui ipſi ſuos ſerpentes tollebat: ita quoque iſti execrabiles homines animo Ethnico, deiecti ab illis, quæ abiiciebant, alias reperiunt induuias, & ſtultas controuerſias, & quaſi veritatem hoſtem haberẽt, comminiſcuntur noua; vt ita ſe magis Chriſti perduelles, & oppugnatores declarent; quippe qui poſt tot refutationes, quibus vel Diabolus ipſe, horum Pater, reiectus confuſusque retrò abiiſſet, rurſum ex peruerſo corde noua alia cõminiſcuntur.

Hæretici Chriſti perduelles veritatẽ hoſtem habent.

2. *In dubium reuocant, quæ iam olim ab Eccleſia rectè conſtituta ac definita ſunt.*

D. Pavlvs *ad Galat. 1.* Miror quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vocauit vos in gratiam Chriſti, in aliud Euan-

Euangelium: quod non eſt aliud; niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant; & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Sed licet nos, aut angelus de cœlo euãgelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.

Hæretici cõuertere voliit Euangeliũ Chriſti.

IMPER. *Martianus A. Palladio præfecto Prætorio.* Nam & iniuriam facit iudicio Reuerendiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata, ac rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contenderit.

3. *Diuerſa docere.*

TERTVLLIANVS *de præſcriptionibus hæreticorum.* Vnde enim extranei, & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diuerſitate doctrinæ, quam vnuſquiſque de ſuo arbitrio aduersùs Apoſtolos aut protulit, aut recepit? Illic igitur, & ſcripturarum & expoſitionum adulteratio deputanda eſt: vbi diuerſitas inuenitur doctrinæ.

Hæretici Apoſtolis extranei & inimici.

QVIBVS fuit propoſitum aliter docẽdi, eos neceſſitas coëgit aliter diſponendi

nendi inſtrumẽta doctrinæ. Aliàs enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent, per quæ docerent hæreſim.

Religionem non eſſe diſcendã ab iis, qui diſſentiunt.

IVSTINVS *orat. ad Gentiles.* Quî verò tutũ fuerit (viri Græci) eos, qui ſe ſaluos eſſe cupiunt exiſtimare, ab illis ſe religionem veram addiſcere poſſe, qui perſuadere ſibi nequeunt: ne inter ſe diſſideant, neue alius ſententia ſua ab alio aduerſus eſſe appareat.

4. *Vnitatem ſcindere.*

Vnitas Eccleſiæ quanti facienda.

CLEMENS *Alexandrinus in ſept. lib. Stromat.* Quia Deus vnus eſt, & vnus Dominus, idcirco etiam id quod valdè pretioſum eſt, quia eſt vnum, laudatur; cùm ſit imitatio quædam eius principij „ vnius. Huius itaque natura vnius, vna „ Eccleſia concluditur; quam in multas „ partes diſſecare conantur hæreſes.

Heretici per varias opiniones diſperſi.

CHRYSOSTOMVS *ſuper cap. 7. Matth. hom. 20. Tom. 2.* Omnes infideles, qui ſub Diabolo ſunt, nõ ſunt vniti, nec vnum ſapiunt; ſed ſunt per diuerſas opiniones diſperſi, & alius quidem ſic dicit, alius

autem

autem ſic. Eodem modo perfidia hæreticorum, qui nunquam ſapiunt vnum; ſed quot ſunt, tot ſententias habent.

5. *Chriſtum diuidere.*

1. Ioan. 4. Omnis ſpiritus, qui diuidit Iesvm, ex Deo non eſt.

Avgvstinvs tractat. 6. in Ioan. Soluit autem Iesvm, qui vel Eccleſiam à capite ſuo Chriſto; vel ſe ipſum ab Eccleſia; vel Eccleſiam in ſe ipſa ſeparat, ac diuidit. 1. 2. 3. Iesvm ſoluũt hæretici.

6. *In impietate proficere.*

Chrysostomvs *in 2. Tim. 3. homil. 8.* Quia hi, qui nouitatibus ſtudent, nuſquam erroris finem inueniunt; ſed noua ſemper commenta, & corruptum dogma proferunt. Ea eſt enim erroris vis, vt ſiſti nequeat. Erroris nullus finis.

7. *Non obedire, ſed reſiſtere iis, qui præſunt in Eccleſia Dei.*

Pavlvs 1. Tim. 3. Quemadmodum Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati; homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Hæretici corrupti mente & reprobi circa fidem.

Cypria-

CYPRIANVS *lib. 1. Epiſt. 3.* Neque enim aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur; cui, ſi ſecundùm Magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduersùm ſacerdotum collegiũ quicquam mouêret.

Vnde hæreſes & ſchiſmata nata.

Summus Pont. vicarius Chriſti.

NEMO poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt coëpiſcoporũ conſenſum iudicẽ ſe, nõ iam Epiſcopi, ſed Dei faceret; Nemo diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet; nemo ſibi placens, ac tumens ſeorſum foris nouam hæreſim conderet, niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis, vt putet, SINE DEI IVDICIO FIERI SACERDOTEM. Cùm Dominus in Euangelio ſuo dicat; Nonne duo paſſeres aſſe vno væneunt, & neuter eorum cadit in terram, ſine Patris veſtri voluntate.

Hæretici faciunt ſe Iudices Dei.

8. Op-

8. *Oppugnare præſidem Eccleſiæ.*

CYPRIANVS *lib. 4. Epiſtol. 9.* Vnde enim ſchiſmata, & hęreſes obortę ſunt, & oriuntur, niſi quòd EPISCOPVS, QVI VNVS EST, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemni- ,, tur; & homo dignatione Dei honora- ,, tus, ab indignis hominibus iudicatur? ,, Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio ad cognitionem ſuam prępoſitos, & ſacerdotes vocare?

Papa Deo honorat⁹ ab hominibus indignis iudicatur.

9. *A fide & Eccleſia deficere.*

PAVLVS *1. Tim. 4.* Diſcedent quidam à fide.

1. IOAN. *2.* Ex nobis prodierunt: ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.

2. IOAN. *cap. vnico.* Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet.

2. THESS. *2.* Veniet diſceſſio primùm, & tūc reuelabitur homo peccati.

TER-

TERTVLLIANVS *de præſcript. hæret.* Hæc eſt inſtitutio, non dico iam, quæ futuras hæreſes prænunciabat; ſed de qua hæreſes prodierunt: Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ ſunt aduersùs illam. Etiam de oliuæ nucleo mitis, & opimæ, & neceſſariæ, aſper oleaſter exoritur; etiã de papauere fici gratiſſimæ & ſuauiſſimę, ventoſa & vana caprificus exurgit: Ita & hæreſes de noſtro fructificauerunt, non noſtræ; degeneres veritatis grano, & mendacio ſylueſtres.

Ex bonis legibus natæ hæreſes.

Sic habet editio Frobeniana anni M. D. L. tametſi alia eiuſdem Frobenij exemplaria nõ ita habeant.

Hæreſes à veritate degeneres.

10. *Contra Eccleſiam inſurgere.*

CHRYSOSTOMVS *ſuper c. 24. Matth. homil. 48.* Nunc hæreſis ſuper hæreſim inſurrexit. Nam omnis hæreſis impia, nõ ſolùm Chriſti Eccleſiæ aduerſatur; ſed aduersùs eas hæreſes videtur inſurgere, quæ non ſapiunt ſimiliter: magis autem OMNIS HÆRESIS SVPER ECCLESIAM VERITATIS EXVRGIT. Omnes autem vnam debellant Eccleſiam veritatis.

Omnis hæreſis impia in Eccleſiam veritatis inſurgit.

11. *Re-*

11. *Rebus Eccleſiaſticis ſe abſq; miſſione, & legitima vocatione immiſcêre.*

IOANNIS 10. Omnes, quotquot venerunt *(id eſt, antequam mitterentur à me)* fures ſunt & latrones.

D. PAVLVS Rom. 10. Quomodo prędicabunt, niſi mittantur?

HEBRÆ. 5. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à Deo; quemadmodum & Aaron.

12. *Nouum zelũ, propria authoritate, abſque mandato ſuperiorum, colligere.*

ACTORVM 15. Quidam ex nobis exeuntes turbauerunt vos verbis; euertentes animas veſtras; quibus non mandauimus.

13. *Non à Chriſto, ſed ab aliis nominari.*

HIERONYMVS aduerſùs Luciferian. in fine Tom. 2. Sicubi audieris eos, qui di-

Hæreticorũ Eccleſia Antichriſti Synagoga. cuntur Chriſti, non à Domino IESV Chriſto; ſed à quoquam alio nuncupari: vt puta Marcioniſta; Valentinianos; „ Montenſes; ſiue Campates; ſcito non „ Eccleſiam Chriſti; ſed Antichriſti eſſe ſynagogam. Nec ſibi blandiantur; ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt; cùm & Diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus: & SCRIPTVRÆ NON IN LEGENDO CONSISTANT, SED IN INTELLIGENDO.

Hæretici diaboli imitatores in citãdis ſcripturis. Hilar. ad Conſtant.

14. *In deteriora ruere.*

GREGORIVS *Moral. lib. 3. c. 19. To. 1.* Habent hæretici hoc proprium, quòd in eo gradu, in quo de Eccleſia exeunt, diu ſtare non poſſunt; ſed ad deteriora quotidie ruunt; & ſentiendo peiora in multis ſe partibus ſcindunt; atque à ſemetipſis plerunque longius, CONFVSIONIS SVÆ ALTERCATIONE, diuiduntur.

Hæretici à ſemetipſis diuiduntur.

15. *Incrementa non habere.*

CYPRIANVS *lib. 4. Epiſt. 2.* Neſcitis ſchiſmaticos ſemper inter initia ſua, incre-

incrementa vera habere non poſſe, nec augere, quod illicitè cœperint; ſed ſtatim cũ praua ſua æmulatione deficere. Hæretici mox deficiunt in pei⁹.

16. *Seipſos conſumere.*

EVSEBIVS *lib.4. Eccleſiaſt.hiſtor.c.7. De quibuſdam hæreticis illorumq́ verſutia ſcribens ſubiungit.* Verùm iſta haud diu ſucceſſum habuerunt, EO QVOD SEIPSAM VERITAS EXERCVERIT, & ſubſequẽti tempore magna quadam luce reſplenduerit. confeſtim enim inimicorum artes ipſorum operatione redargutæ, ac extinctæ. Dum enim nouæ » hæreſes aliæ ſuper alias introducerentur, » & perpetuò peiores diffluerent; in- » que multifarias ac multiformes ſpe- » cies aliter, atque aliter mutatæ deſtrue- » rentur: Catholicæ ac ſolius veræ Eccle- » ſiæ ſplendor, perpetuò ſibi ſimilis in au- » gmentum iuxta & magnitudinem ex- » urgebat.

17. *Citò euaneſcere.*

NICEPHORVS *lib.4. cap.5.* Non diu hæreticos tulit, qui ſalutis curam gerit

Hereſes à ſeipſis inter ſe abolentur.

Deus. Nā adulterina Eccleſiæ dogmata, quæ paulatim emicuerāt, breui ſunt extincta; ET A SEIPSIS, INTER SE ABOLITA, cùm alij ſuper alios nouis rebus ſtuderent, atque inter ſe conflictarentur: non aliter, quàm fluctuum commotiones, inſurgētes ſubindè, atque decedentes in varias multipliceſq; abeunt formas; & poſtremò, vt nihil eorum appareat, euaneſcunt.

Hæreſes fluctuum commotionibus æquiparant.

CONTRA, veritatis ipſius cauſa tum incrementa ſua capiebat, magis in dies augebatur; acceſſionem quandam ac robur certum, ex hæreticorum „ inſultu ſumens. Semper enim conſta„ bat Eccleſiæ Catholicæ ſplendor, & „ ſtatus, & grauitas eius; modeſtia, liber„ tas, diuinus vitæ, morumque diſciplinæ „ ordo; doctrinæq; ſinceritas, apud Græ„ cos ſimul ac barbaros, mirificè relucere cernebatur.

Catholicæ religionis robur ex inſultu hæreticorum.

18. *Inconſtantia doctrinæ.*

IRENÆVS *lib.1.ca.5.* Videamus nunc & eorum inconſtantem ſententiā, cùm ſunt

ſunt duo vel tres, quemadmodum de eiſdem non eadem dicunt, ſed & nominibus & rebus contraria reſpondent.

Hæretici de iiſdem non dicunt eadẽ.

HILARIVS ad Conſtant. Egregij, ſcilicet, arbitri, cœleſtium Sacramentorum conquiſitores, inuiſibilium myſteriorum profeſſionibus de fide Dei calumniamur; ANNVAS ATQVE MENSTRVAS DE DEO FIDES DECERNIMVS; de decretis pœnitemus; pœnitentes defendimus; defenſos anathematizamus; aut in noſtris aliena; aut in alienis noſtra damnamus; & mordentes inuicem, iam abſumpti ſumus ab inuicem.

Heretici annuas & mẽſtruas fides decernunt.

DE FALSO HÆRETICORVM PRÆTEXTV; QVO SE CHRISTI APOSTOLIS NON ſolùm comparare; ſed etiam præferre conantur.

CAPVT XI.

I. *Hæretici debent oſtendere, ex qua authoritate prodierint.*

TERTVLLIANVS *de præſcript. hæret.* Cupio oſtendant mihi, ex qua authoritate prodierunt. Si alium DEVM prędicant, quomodò eius Dei de rebus & literis & nominibus vtuntur, aduerſùs quem prædicant? ſi eundem, quomodò aliter? Probent ſe nouos Apoſtolos eſſe; dicant Chriſtum iterum deſcẽdiſſe; iterum ipſum docuiſſe; iterum crucifixum; iterum mortuum, iterum
„ reſuſcitatum; ſic enim Apoſtolos ſolet
„ facere; dare illis præterea virtutem, ea-
„ dem ſigna edendi, quæ & ipſe.

Dilemma.

Hæretici ſui originem oſtendere nõ poſſe ab Apoſtolis.

II. *Hære-*

II. *Hæretici peruerſè æmulantur Apoſtolos.*

TERTVLLIANVS *ibidem.* Volo igitur & virtutes eorũ proferre, niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in peruerſum æmulantur. Illi enim de mortuis viuos faciebant; iſti de viuis mortuos faciunt.

Hæreticorũ virtus maxima, peruerſè æmulari Apoſtolos.

III. *Error eorum, qui dicebant, Apoſtolos non omnia ſciuiſſe.*

TERTVLLIANVS *de præſcript. hæret.* Solent dicere, non omnia Apoſtolos ſciuiſſe; eâdem agitati dementia, qua rurſus conuertũt; omnia quidem Apoſtolos ſciuiſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe; in vtroque Chriſtum reprehenſioni ſubiicientes, qui aut minus inſtructos, aut parum ſimplices Apoſtolos miſerit. Quis enim integræ mentis credere poteſt, aliquid eos ignoraſſe, quos Magiſtros Dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in diſcipulatu, in conuictu; quibus obſcura quæq;

Hæretici dementia agitati Chriſtũ audent reprehendere; & Apoſtolos, tũ verſutiæ, tum inſcitiæ incuſare.

Matt. 13. Marc. 4. Luc. 8. ,, ſeorſim diſſerebat, illis dicens datum
,, eſſe cognoſcere arcana, quæ populo intelligere non liceret? Latuit aliquid Pe-
Matth. 16. trum ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claues regni cœlorum conſecutum, & ſoluendi & alligandi in cœlis & in terris poteſtatem? Latuit & Ioannem aliquid dilectiſſimum Domino, pectori eius incubantem, cui ſoli Dominus Iudam traditorē præmonſtrauit; quem loco ſuo filium Mariæ demandauit? Quid eos ignoraſſe voluit, quibus etiā
Matth. 17. gloriam ſuam exhibuit; & Moyſen; & Heliam; & inſuper de cœlo Patris vocem? non quaſi cæteros reprobans, ſed quoniam in tribus teſtibus ſtabit omne verbum. Ignorauerunt itaque & illi,
Marc. 16. quibus poſt reſurrectionem quoque in itinere omnes ſcripturas ediſſerere dignatus eſt.

DIXERAT planè aliquandò: Mul-
Ioan. 16. ta habeo adhuc vobis loqui, ſed nō poteſtis modò ea ſuſtinere; tamen adiiciens: Cùm venerit ille ſpiritus veritatis, ipſe vos deducet in omnem veritatem:

tem: Oſtēdit illos nihil ignoraſſe, quos ,,
omnem veritatem conſecuturos per ,,
Spiritum veritatis repromiſerat; & impleuit repromiſſum, probantibus Actis Act. 2.
Apoſtolorum deſcenſum Spiritus ſancti. Quam ſcripturā qui non recipiunt, ,,
nec Spiritum ſanctum poſſunt agno- ,,
ſcere diſcentibus miſſum. Sed nec Ec- ,, Hæretici Eccleſiā non defendunt.
cleſiam ſe dicunt defendere, qui, quan- ,,
dò, & quibus incunabulis inſtitutum ,,
eſt hoc corpus, probare non habent. ,,
Tanti enim eſt illis non habere probationes eorum, quæ defendunt; ne pariter admittantur traductiones eorum, quæ mentiuntur.

IIII. *Non probari ignorātiam Apoſtolorum ex eo, quòd Petrus, & qui cum eo erant, reprehenſi ſint à Paulo.*

Tertullianus *de præſcriptione hæret.* Proponunt ergo ad ſugillandam ignorantiam aliquam Apoſtolorum; quòd Petrus, & qui cum eo erant, reprehenſi ſint à Paulo: Adeò, inquiunt, eis

aliquid defuit, vt ex hoc etiam illud ſtruant, potuiſſe poſteà pleniorē ſcientiā ſuperuenire, qualis obuenerit Paulo reprehendenti anteceſſores &c.

Paulus Petrum nō ob ignorantiā, ſed ob conuerſationis vitiū reprehendit.

CÆTERVM ſi reprehenſus eſt Petrus quòd cùm conuixiſſet Ethnicis, poſteà ſe à conuictu eorum ſeparabat, perſonarum reſpectu; VTIQVE CONVERSATIONIS FVIT VITIVM, NON PRÆDICATIONIS. Non enim ex hoc alius Deus, quàm creator; & alius Chriſtus, quàm ex Maria; & alia ſpes, quàm reſurrectio annunciabatur &c.

ADEO pro tēporibus, & perſonis, & cauſis, quædā reprehendebant; in quæ & ipſi æquè pro temporib. & perſonis, & cauſis committebant: quemadmodū ſi & Petrus reprehenderet Paulū, quòd prohibens circumciſionem, circumciderit ipſe Timotheum.

V. *Alius error eorum, qui concedebant, Apoſtolos quidem omnia nouiſſe; ſed non omnia omnibus reuelaſſe.*

SED

SED, vt diximus, eadem dementia eſt, cùm cõfitentur quidem, nihil Apoſtolos ignoraſſe, nec diuerſa inter ſe prædicaſſe; ſed non omnia volunt illos omnibus reuelaſſe; quædam palàm, & vniuerſis; quædam ſecretò, & paucis demandaſſe.

PORRO conſequens erat, vt cui demandabat Euangelij adminiſtrationẽ, non paſſim, nec inconſideratè adminiſtrandam adiiceret, ſecundùm dominicam vocem; ne margaritam, porcis; & ſanctum, canibus iactaret. Dominus palàm edixit, ſine vlla ſignificatione alicuius taciti ſacramenti; ipſe præceperat; ſi quid in tenebris, & in abſcondito audiſſent, in luce & in tectis prædicarent &c.

Euãgelij adminiſtrationem inconſideratã eſſe non debêre. Matth. 7.

Matth. 10. Luc. 12.

SI ERGO incredibile eſt, vel ignoraſſe Apoſtolos plenitudinem prædicationis; vel non omnem ordinem Regulæ omnibus edidiſſe; videamus, ne Apoſtoli quidem ſimpliciter & plenè; Eccleſiæ autem ſuo vitio aliter acceperint, quàm Apoſtoli proferebant.

VI. *Etiamſi*

VI. *Etiamſi aliqui Eccleſias ab Apoſtolo correptas dicunt, nõ tamen ſequitur, eas omnes in fidei aut morum doctrina neceſſaria erraſſe.*

CVM correptas Eccleſias opponunt, credant emendatas. Sed & illas reccognoſcant; de quarum fide & ſcientia & cõuerſatione Apoſtolus gaudet, & Deo gratias agit; quæ tamen hodie cum illis correptis vnius inſtitutionis iura commiſcent. Agè nunc omnes errauerint; deceptus ſit & Apoſtolus, de teſtimonio reddendo quibuſdam: Nullam reſpexerit Spiritus ſanctus vti eam in veritatẽ deduceret, ad hoc miſſus à Chriſto; ad hoc poſtulatus de Patre, vt eſſet Doctor veritatis: neglexerit officium, Dei villicus, Chriſti vicarius, ſinens Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere; quàm ipſe per Apoſtolos prædicabat; Ecquid veriſimile eſt, vt tot ac tantę in vnam fidem errauerint? Nullus inter

Papa Dei villicus & Chriſti vicarius.

inter multos euentus eſt vnus exitus; variaſſe debuerat error doctrinę Eccleſiarum. Cæterùm QVOD APVD MVLTOS VNVM INVENITVR, NON EST ERRATVM.

VII. *Hæretici fruſtra glorientur contra Eccleſiam de paucitate ſuorum; cùm apud eos vera concordia eſſe nō poſſit.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Nec ſe quidam vana interpretatione decipiant, quòd dixerit Dominus; vbicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum. Corruptores Euangelij atque interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prętereunt; & partis memores, partē ſubdolè corrumpētes. Vt ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt; ita capituli vnius ſententiam ſcindunt. Dominus enim cū diſcipulis ſuis vnanimitatem ſuaderet, & pacem; dico, inquit, vobis: Quoniā ſi duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re, quamcunq;

Matth. 18.

Hęretici corruptores Euangelij & interpretes falſi.

cunq; petieritis, continget vobis à Patre meo, qui in cœlis eſt; vbicunq; enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum: oſtendens nō multitudini, ſed vnanimitati deprecātium plurimum tribui: Si duobus, inquit, ex vobis conuenerit in terra; vnanimitatem priùs poſuit, concordiam pacis antè pręmiſit; vt conueniat nobis fideliter & firmiter docuit.

Nō multitudini, ſed vnanimitati plurimum tribuendum.

QVOMODO autem poteſt ei cum aliquo conuenire, cui cū corpore ipſius Eccleſiæ, & cum vniuerſa fraternitate non conuenit? Quomodò poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi, quos conſtat à Chriſto, & ab eius Euangelio ſeparari? NON ENIM NOS AB ILLIS; SED ILLI A NOBIS RECESSERVNT. Et cùm hæreſes & ſchiſmata poſtmodum nata ſint, dum conuenticula ſibi diuerſa conſtituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt.

Cum nemine conuenit, cui cum Eccleſia non cō uenit.

A Chriſto ſeparati nec inter ſe conuenire poſſunt.

Hæreſes veritatis caput reliquerunt.

DOMINVS autem de Eccleſia ſua loquitur, ad hos, qui ſunt in Eccleſia, vt ſi ipſi concordes fuerint: ſi ſecundùm

quod

quod mandauit,&monuit; duo aut tres licet, collecti vnanimiter orauerint, duo aut tres licet ſint, impetrare poſſint de Dei Maieſtate quod poſtulant; vbicunque fuerint duo aut tres collecti

Vnanimitas in Eccleſia q̄duis à Deo impetrat.

in nomine meo, ego, inquit, cum eis „ 1
ſum; cum ſimplicibus, ſcilicet, atque „ 2
pacatis; cum Deum timentibus,& Dei „ 3
præcepta ſeruantibus. Cum his duobus vel tribus licet,ſe eſſe dixit: Quomodò & cum tribus pueris in camino ignis fuit; & quia in Deum ſimplices, atque inter ſe vnanimes permanebant, flammis ambientibus medios ſpiritu roris animauit. Quomodò Apoſtolis duobus in cuſtodia clauſis, quia ſimplices, quia vnanimes erant,ipſe affuit; ipſe reſolutis carceris clauſtris, vt verbũ, quod fideliter prædicabant, multitudini traderent, ad forum rurſus impoſuit.

Senſus verborum: vbi duo aut tres.

QVOMODO ergo in præceptis ſuis ponit & dicit; vbi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum, non homines ab Eccleſia diuidit, qui inſtituit & fecit Eccleſiam, ſed ex-

probrans

probrans diſcordiam perfidis, & fidelibus pacē ſua voce commendans, oſtendit, magis eſſe ſe cum duobus aut tribus vnanimiter orantibus, quàm cum diſſidentibus plurimis; pluſque impetrari poſſe paucorum concordi prece, quàm diſcordioſa oratione multorum.

VIII. *Qua ratione hæreticorū fraudes facilè quiuis deprehendere & cognoſcere poſsit.*

*V*INCENTIVS *Lyrinenſis aduerſ. prophanas hæreſ. nouitates.* Idem deniq; ſaluator clamabat. Attēdite vobis à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouium, ab intùs autem ſunt lupi rapaces. Quid eſt veſtitus ouium, niſi prophetarum, & Apoſtolorum proloquia; quæ iidem ouili quadam ſinceritate, agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tāquam vellera quædam texuerunt? Qui ſunt lupi rapaces? niſi ſenſus hæreticorum feri, & rapidi; qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant; & gregē Chriſti, quaquà poſſūt, dilacerāt?

Matth. 7.

Veſtitus ouium.

LVPI rapaces.

SED

SED VT fallaciùs incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam ſpeciem; & ſeſe diuinæ legis ſententiis, velut quibuſdam velleribus, obuoluunt: vt cùm quis lanarum molliciem præſenſerit; nequaquam aculeos dentium pertimeſcat. Hæretici lupinam ſpeciem tegunt velleribus ouium.

SED QVID ait Saluator? Ex fructibus eorum cognoſcetis. Id eſt, cùm cœperint illas voces non iam proferre tantùm, ſed etiam exponere; nec adhuc iactare ſolùm, ſed etiam interpretari; tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tūc rabies intelligitur; tunc nouitium virus exhalatur; tunc prophanæ nouitates aperiuntur; tunc primùm ſcindi ſepem videas; tunc transferri Patrum terminos; tunc Catholicam fidem cædi; tunc Eccleſiaſticum dogma lacerari. Fructus hæreticorum. Falſa ſcripturarum interpretatio.

IX. *Hæretici, etſi transfigurent ſe in Angelos lucis, ſunt tamen Pſeudoapoſtoli, & diſcipuli Diaboli.*

1.Cor.11. *ID* EM. Tales erant ij, quos percutit Apoſtolus Paulus in ſecũda ad Corinthios, dicens: Nam eiuſmodi, inquit, Pſeudoapoſtoli, ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Quid eſt transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti? Proferebant Apoſtoli diuinæ legis exempla, proferebant & illi; Proferebant Apoſtoli Pſalmorum authoritates, proferebant & illi; Proferebant Apoſtoli ſententias Prophetarum, & illi nihilominus proferebant.

Hæretici Pſeudoapoſtoli quomodo ſe in Apoſtolos tranſfigurent.

Fraudis detectio.

„ SED CVM ea, quę ſimul protulerant, „ interpretari non ſimiliter cœpiſſent; „ tunc ſimplices à ſubdolis; tunc infucati „ à fucatis; tunc recti à peruerſis; tunc „ poſtremò veri Apoſtoli à falſis Apoſto„ lis diſcernebantur. Et non mirum, inquit; ipſe enim Sathanas transfigurat ſe in Angelum lucis; non eſt ergo magnũ, ſi miniſtri eius transfigurãtur ſicut miniſtri iuſtitiæ.

X. *Qui-*

X. *Quibus promiſsionibus hæretici incautos decipere conſueuerint.*

IAM verò illis, quæ ſequuntur, promiſſionibus miro modo incautos homines decipere conſueuérunt. Audent enim polliceri, & docêre, quòd in Eccleſia ſua, id eſt, in communionis ſuæ conuēticulo magna & ſpecialis ac planè perſonalis quædam ſit Dei gratia; adeò, vt ſine vllo labore, ſine vllo ſtudio, ſine vlla induſtria; etiam ſi nec quęrant, nec petant, nec pulſent, quicunque illi ad numerum ſuum pertinent; tamen ita diuinitùs diſpenſentur, vt Angelicis euecti manibus, id eſt, angelica protectione ſeruati, nunquam poſſint offendere ad lapidem pedem ſuum, id eſt, nunquam ſcandalizari.

Hæreticorũ varia deceptio.

Eorum Eccleſiæ conuēticula.

Putãt ſe errare nõ poſſe.

DE LICENTIA SECTARVM, SIVE DE LIBERÆ RELIGIONIS ABVSV.

CAPVT XII.

I. *Quibus rationib. aliqui Catholici Principes Sectis libertatem permiſerint.*

CLAVDIVS *de Sainctes ad Edicta veterum Principum, de licentia Sectarum lib. 1. cap. 8.* Nemo alienus ab hæreſi rerum potitus eſt, qui ad noſtra tempora videns, ac prudens Eccleſiã Catholicam ſectis aperuerit, aut tradiderit edicto; imò qui non omni conatu reſtiterit, ne locum inuenirent, aut longiùs ſerperent.

Catholici Principes hęreticis ſemper reſtiterunt.

TANTVM quoties fidem noſtram oppreſſit acerbiùs tyrannorum aut hęreticorum principum crudelitas, aliqua à piis Imperatoribus, qui illis ſucceſſerunt, de libera religione Edicta pro-

Edicta in fauorẽ Catholicorum ab Imperatoribus edita.

propoſita ſunt, quibus Catholici quaſi ,,
intermortui reuiuiſcerent ac reſpira- ,,
rẽt, parem libertatem ſaltem cum aliis ,,
adepti TANTISPER, DVM CONSTITVERETVR IMPERIVM.

ITA SE geſſerunt poſt Tyrannos, Conſtantinus; poſt Apoſtatam Iulianum, Iouinianus; poſt Valentem iniquum, Gratianus; & ad Imperij ſortem ab eo aſcitus Theodoſius. Exempla liberæ religionis.

1. *Edictum Conſtantini.*

PAREM cum fidelibus hi, qui errant, pacis ac quietis fruitionem accipiant. Euſeb. lib. 2. de vita Conſtant.
Ipſa ſiquidem communicationis, ac ,,
ſocietatis reſtitutio ad rectam etiam ,,
veritatis viam ducere poteſt. Nemo ,,
cuiquam moleſtus ſit.

2. *De Iouiniano ita ferunt hiſtoriæ.*

Hoc habuit Iouinianus Conſilium, vt perſuaſione potiùs, quàm vi inter diſſidentes, contentionis interimeret ſtudium; nec cuipiam, qualemcunque tandem cõſectaretur fidem, moleſtiam Nicephor. lib. 10. c. 42.

faceret; neq; quicquam ad charitatem ſummã faceret reliqui. Eis verò, qui ad concordiam & vnanimitatem Eccleſiã reducere ſtuderent, maximum exhiberet honorem.

3. *De Gratiano narrat Zoſomenus legem tuliſſe.*

Zoſomen. lib.7.c.10. VT teneret quiſque, quam vellet, religionem; demptis Manichæis, Photinianis, & Eunomianis; quoniam Valẽtis patrui animus ei diſplicebat; quo indignis modis noſtros diſcrutiauit.

4. *Theodoſius.*

Nicephor. li.12.c.29. NVLLAM hæreſim perſecutus eſt; neque quempiam ad communionem coëgit; ſed potiùs permiſit, vt hæreſis quæque loco ſuo, pro eo, atque viſum eſſet, conuentus agere; atque etiam de fide in Chriſtum, pro cuiuſque captu, ſentire atque opinari poſſit.

II. *Quibus modis Principes iſti fuerint decepti.*

Hos

Hos ad eam libertatem irrogãdam etiam fefellit

I. Naturæ bonitas, qua inter omnes excelluerunt.

II. Improuidentia, vt crederent, hęreſes ſua ſponte, aut piorũ, maximè Principis exemplo, deſituras, & ad Eccleſiam redituras.

III. Deceſſorum ſuorum immanitas planè Schytica in Catholicos, à qua vt longiſſimè abeſſent, indiſſolutã clemẽtiam progreſſi ſunt: cuius tamẽ ſtatim eos pœnituit, vt poſteà declarabitur.

IIII. Alios egit tranſuerſos Aulicorum peſſimum cõſilium; quibus omnia temerè crederent; ſicut Conſtantinum ſoror, ac presbyter commendatus à ſorore teſtamento, & Actor fabulę Arrianicæ Euſebius Nicomedienſis deceperũt; vt Arrius & eiecti à Niceno Cõcilio ſectatores reſtituerentur in integrum. Aulici Chriſtiani. Socrat. lib. 10. cap. 25. & aliis.

V. Alios à coërcendis factionibus retinuit maioris mali timor ac periculũ, nonnunquam etiam pudor. Sic Arcadius Imp. Arrianis ad inſtantiam Gainę Nicephor. lib. 13. c. 5.

ducis ac barbari ſacram ædem metu conceſſurus erat, niſi Chryſoſtomi oratio barbari audaciam fregiſſet.

NOTA Contra Deum nihil audêre oportet principem.

„ NON oportet (*dixit Chryſoſtomus*) „ Principem quicquam contra Deum „ audêre, (ſi quidem illi vera pietas curæ „ eſt) ſed potiùs benè conſtitutas leges „ ſeruare; & eam potiſſimùm, quę contra „ hæreſes alias promulgata eſt. Suaſitque „ adeò Imperatori, conducibilius eſſe „ dictitans; VT IMPERIO POTIVS CEDE- „ RET, QVAM PER IMPIETATEM „ ÆDEM DEI PRODERET &c.

Paul. Diacon. lib. 18.

VI. Heraclius Imperator à quibuſdam Epiſcopis in Manothelîtas imprudenter abductus, ea hęreſi poſteà à Cócilio Hieroſolimitano damnata, cùm erubeſceret reſipiſcere, ἑνωτικὴν, id eſt, formam conciliandi Partes diſſidentes à Zoſomeno latam ſecutus eſt, vt ſuo edicto nec vnam opinionem, nec duas aſſereret; ſed neutram.

Conſtitutio ἑνωτικὴ.

III. *Quid ad edicta liberæ religionis conſecutũ ſit, ac etiãnũ conſequatur.*

Ex

EX HAC facilitate, quæ tum ſuper-erant hæreſes in factiones multas abie-runt; & à ſeipſis inter ſe diſſidebant: ita vt quidam duas naturas in Chriſto; qui-dam vnam dicerent; nonnulli literis inſidioſè compoſitis per fraudem deci-piebantur. Alij pacem ſibi conſectan-dam putabant. Facilitas Principum pernicioſa. Nicepho. li. 12. cap. 29. & 30.

ID MALVM eò proceſſit, vt Eccleſia quælibet in factiones ſuas diuideretur; & Epiſcopi à conſuetudine mutua ab-horrerent. Proinde in multas ſectas Orientales, Occidentalesq́; atq; etiam Lybicæ partes diſſectæ ſunt. Neque Oriens cum Occidente; neque rurſum Lybia his conſentire voluit: &, quod omnium indigniſſimum eſt, neque ipſi inter ſe Orientalium Eccleſiarum An-tiſtites, ad communionem conuenie-bant; neque Europei atque Occiden-tales; neque Lybici Epiſcopi conuen-tus inter ſe agebant. Tanta confuſio, mentiumq́ue caligo orbem vniuerſum inceſſit &c. CONFVSIO hæreticę prauitatis abominabilis.

Neutralitatis mala. POSTREMO ex horum neutralitate, & Anaſtaſij licentia, multa milia hære-
Nicephor. lib. 18. c. 45. ſeωn pullularũt. Inter eos, qui Chalcedonenſi Synodo reſiſtebant, Acephali exorti; Theodoſiani; Iacobitæ; Monophyſitæ; Armenij, atq; alij: q̃a quilibet, quod ſibi viſum erat, fidei inſertum voluit; & ita quam plurima turba defectorum à veritate obrepſit: donec Iuſti-
IVSTINIANVS. nianus imperialia ſceptra accepit; à quo religio compoſita eſt; & per aggregatum Concilium quintum exploſæ
Paul. Diac. lib. 18. ex Eccleſia ſectæ, & grauiſſimis edictis extinctæ. *Hactenus Claudius de Sainctes.*

IIII. *Quàm hæc neutralitas, & licentia diuinis Scripturis ſit inimica.*

CLAVDIVS *de Sainctes de licentia Sectar. lib. 1. ca. 12.* Cauet ſcriptura duobus in ſumma capitibus, ne cui liceat impunè nouas ſectas inferre. Interdîcit, ac punit duriſſimè; rationes explicat; & de periculis, quæ per ſectas importantur, diligentiſſimè admonet.

LEX

1. LEX nec vxori, nec liberis, nec germano fratri, vt ignoſcatur, concedit: Vetat abſcondi aut cælari, qui legem deſeruerit. Falſum Prophetam, etiam cum admirando prodigio, ne quidem mutire ſine vltione ſuſtinuit: ſępius cõcludit: auferte malum à vobis ipſis. Deut. 13.

ELIAS, quaſi nouum cultum non repellere, ſit admittere; & quaſi de fide accepta dubitare: ſuos aſperiùs increpat: vſque quò claudicatis vtroq; pede? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini illum; ſi autem Báal, ſequimini illum. 3. Reg. 18.

REGES hi commendantur, non tantùm, qui non deflexerunt à recta maiorum via; ſed qui nemini aberranti pepercerint; & omnia, quibus abutitur falſa religio, ſuſtulerint.

HIS laudibus cumulantur Ezechias & Ioſias, reges integerrimi, & Deo gratiſſimi. Inter officia benè conſulti principis hoc interſerit Salomõ; Vt diſſipet impios, & incuruet ſuper eos fórnicẽ. Quod cùm obliuiſcitur ille; infatuatus amoribus mulierũ, & ſe & ſuũ regnum iuit perditum. Lib. 3. & 4. Reg. Prouer. 20.

LAV-

LAVDANTVR non mediocriter Ioſaphat, Ioas, Amaſias, Azarias, Ioathan, aut de retenta lege, aut de repetita; quam maiores violaſſent. Attamen vnum de ſingulis nõ tacetur, quod tribuebatur vitio, non abſtulerunt, (dicitur) excelſa; ſed adhuc populus immolabat, ac prophanos ritus frequẽtabat. ¶

11. Neque profectò clementius hac
Matth. 18. in parte videtur Euangelium: Habet in Ethnicis & Publicanis, (à quorum conſortio abſtinebãt Iudæi) qui Eccleſiam non audierit.

1. Cor. 1. Ad Gal. 1. PAVLVS nefas ducit Chriſtum diuidere, vt alius ſit Pauli; alius Cephæ; alius Apollô. Patienter ferri prohibet Angelum de cœlo, ſi annunciauerit prȩter id, quod eſt nobis traditum. Ro-
Rom. 16. gãdo imperat, vt obſeruemus ac fugiamus eos, qui ſerũt offenſiones & offendicula, prȩter doctrinam, quam didicimus. Optat præcidi, qui perturbarent noua doctrina Eccleſiam.

1. Ioan. D. IOANNES à Chriſto dilectus, & Chriſtianorum amãtiſſimus, Hȩretico

iura

iura naturæ, & humanitatis, ac Chriſtianiſmi omninò (vt videtur) denegat; non Aue eis dixeritis, inquit: nec recipiatis in domum veſtram. Et Eccleſiæ Laodicenſi, inconſtantiam ſuam exprobrat his verbis: Scio opera tua, quia neq; frigidus es, neque calidus; vtinam frigidus eſſes, aut calidus; ſed quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiã te euomere ex ore.

V. *Non debêre Magiſtratus liberam relinquere plebi religionem.*

Avgvstinvs *contra Creſcon. li.4.c.2.* Reges cùm in errore ſunt, pro ipſo errore leges cõtra veritatem ferunt; cùm in veritate ſunt, ſimiliter contra errorẽ pro ipſa veritate decernunt; ita & legibus malis probantur boni; & legibus bonis emendantur mali. Rex Nabuchodonozor peruerſus legem ſæuam dedit, vt ſimulachrũ adoraretur; idem correctus verã, ne Deus verus blaſphemaretur. Daniel.3.

Principes mala prohibere debēt.

IN HOC enim reges, ſicut eis diuinitùs præcipitur, Deo ſeruiunt, in quãtũ reges ſunt, SI IN SVO REGNO BONA IVBEANT; MALA PROHIBEANT, nõ ſolùm, quæ pertinent ad humanam ſocietatem; verùm etiam, quæ pertinẽt ad diuinam religionem.

Quale hominis ſit arbitrium.

FRVSTRA dicis relinquas libero arbitrio, cur enim non in homicidiis & ſtupris; & in quibuſcunq; aliis facinoribus & flagitiis libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas? Dedit quidem Deus homini liberam voluntatẽ, SED NEC BONAM INFRVCTVOSAM; NEC MALAM ESSE VOLVIT IMPVNITAM.

VI. *Vt Imperatores Catholicos conceſſæ libertatis pœnituerit; & hæreticos ſtatim ſuſtulerint.*

CLAVDIVS *de Sainctes de licentia Sectarum lib. 1. cap. 11.* Victus experientia Conſtantinus reuocata ſua ſanctione, de liberis ſectis, omnes hæreticos, quaſi iracun-

iracundior factus, hoc edicto configit, atque agnoſcit, quid proſit licentia.

1. *Edictum Conſtantini.*

VICTOR Conſtantinus Maximus, Auguſtus, hæreticis. Agnoſcite nunc per hanc legis conſtitutionem ô Nouatiani, Valentiniani, Marcioniſtæ, Pauliani, & qui Catáphrygæ vocamini; & quotquot in vniuerſum hæreſes veſtris cœtibus cõſtituitis; quãtis ſit mendaciis vanitas veſtra intricata; & quomodò venenatis quibuſdam pharmacis doctrina veſtra cõtineatur; ita vt per vos ſani ad infirmitatem; viuentes verò ad perpetuam mortem abducantur. O veritatis inimici, vitæ hoſtes, & perditionis conſiliarij.

Euſeb. lib 3. de vita Cõſtanti.

Hæreticorũ pharmaca venenata.

Hæretici { Veritatis inimici. Vitæ hoſtes Perditionis conſiliarij.

OMNIA ſunt apud vos veritati contraria, ac turpibus malitię ſtudiis, & abſurdis admodum fabulis conſona; per quæ vos mendacia ſtruitis, & inſontes ,, premitis, lucem fidelibus negatis; ſub ,, prætextu diuinitatis ſemper delinquẽ- ,, tes, omnia polluitis; innoxias àc puras ,,

Turpia malitiæ ſtudia ſectãtur hęretici.

con-

,, conſcientias lethiferis plagis vulnera-
,, tis; ac ipſam propè diem, (vt ita dicam)
,, humanis oculis eripitis. Et quid neceſſe eſt ſingula recenſêre, cùm de malis veſtris aliquid pro dignitate loqui neque modici ſit temporis, neque negociorum noſtrorum?

Abſurditates hereticorum infinitæ.

SVNT ENIM abſurditates veſtræ ita prolixæ & immodicæ; ita, ſi explicentur omnis generis feritate refertæ, vt ne integer quidem dies ad enarrationem earum ſuffecerit. Et alioqui auditum etiã huiuſmodi declinâre, & oculis auertere cõuenit; ne, ſi cuncta ſingulatim recenſeantur, ſyncerum ac purum fidei noſtræ propoſitum polluatur.

Quas ne audire quidem nec vidêre conuenit.

Hereſes non tolerandæ.

QVID igitur? Tolerabimus ne poſt
,, hac huiuſmodi mala? An longa expe-
,, ctatio facit, vt etiam ſani quaſi peſtifero
,, quodam morbo inficiantur? Qua ergo
,, ratione radices (vt ita dicam) huiuſmo-
,, di nequitię publica animaduerſione nõ amputamus? Igitur quoniam impoſſibile eſt, vt ampliùs perniciei veſtrę exitium feratur, per hanc legem interdicimus,

Sed radicitꝰ extirpandæ.

cimus, NE QVI VESTRVM POST HAC CONGREGARI AVDEANT.

Conuenticula hæreticorum prohibita.

QVAPROPTER cunctas etiam domos, in quibus cõuenîtis, è medio tolli præcepimus, cura hac noſtra eò vſque progrediēte, vt non modò nō in publico, verùm neque in priuatis ędibus, aut locis quibuſdam ſeparatis, ſuperſtitioſæ veſtræ dementiæ cœtus concurrere liceat; ſed quod multò eſt honeſtius, ,, quotquot veræ ac purę religioni ſtudetis, ,, ad Catholicam Eccleſiam accedatis; ,, & ſanctitati illius communicetis; ,, per quam & veritatem conſequi poteritis. ,,

Optima ratio extirpandi hæreſes.

Vbi vera & pura religio ſit quærēda.

SEPARETVR autem omninò à ſtatus noſtri fœlicitate peruerſæ ſententię veſtrę ſeductio, hoc eſt, ſcelerata & pernicioſa hæreticorum & ſchiſmaticorū ſententia. Decet enim fœlicitatem no- ,, ſtram, qua cum Deo fruimur; vt qui ,, bonis ſpeciebus viuūt, ab omnis gene- ,, ris inordinato errore ad rectam viam; ,, à caligine ad lucem; à vanitate ad veri- ,, tatem; à morte ad ſalutem ducantur.

Ad errores hæreticorū nō decet cōniuere; ſed ab Eccleſia prout ſunt reiiciēdi.

Nec oratoria hæreticorum ferēda.

VT AVTEM ad hanc curam etiam neceſſaria potentia accedat, præcepimus, ſicut dictum eſt, vt cūcti ſuperſtitionis veſtræ conuentus, omnium, inquam, hęreticorum oratoria, (ſi tamen oratoria nominare cōuenit) ſine omni contradictione auferantur; & CATHOLICÆ ECCLESIÆ abſque vlla mora, & reliqua loca rebuspublicis adiudicentur; nec vlla prorſus vobis deinceps conueniendi facultas relinquatur; ita vt ab hoc præſenti die nullo loco, ſiue publico, ſiue priuato, infandi veſtri cōuentus congregari præſumantur.

Hæreticorū loca Eccleſię vel reip. adiudicanda.

2. *Aliud huiuſmodi pœnitentiæ exemplum eiuſdem Imperatoris Conſtantini.*

IMPORTVNITATE Arrianorum idem poſteà Arrium ab exilio reduxit; Athanaſium vt ſeditioſum è Cathedra deiecit; quia fraudes ac ſimulationem detegeret, nec pateretur reſtitui Arriū. Athanaſij innocentia comperta, atque hęreticorum malitia deprehenſa, quaſi

publica

publica pœnitẽtia errorem fatetur Imperator; & mores hæreticorum ex accepta licentia deſcribit.

CONSTAN. Max. Auguſtus, Catholicæ apud Alexandriam Eccleſiæ. Quô ,, iuſtitiæ fides receſſit cùm tantarum te- ,, nebrarum caligine inuoluamur? neque ,, id tã ex errore, qui multiplex eſt, quàm ,, malignorum hominum vitiis, dum & ,, propugnatores vecordię ſuſtinemus; & ,, eos, qui ęquitatẽ, ac veritatẽ profligant, ,, etiam cùm id ſenſibus noſtris percipia- ,, mus, negligendos putamus.

Ex Athanaſij Apolog. 2.

QVODNAM id genus peruerſitatis? inimicos nõ reprehendimus, ſed latrocinio nos comites damus: vnde fit vt viã quandam ſibi facilimè ſtrauerit, nemine repugnante, pernicioſiſſima fraus. Dei lege, & bono ingenio inſtructi toleramus tamẽ inimicos, turbationum & tumultuum, facibus quaſi incendia miſcere; idq; neq; oculis ꝑditi cernim⁹, neque legis ſententia imbuti ſentimus.

Comites fiunt latrocinii qui hæreticos nõ reprehendũt.

QVANTVS igitur ſtupor noſtram vitam inceſſit, cùm NOSTRIMET TAM

INCVRII ſimus, etiam Deo admonente. Quid igitur? num id mediocre, aut tolerabile malum eſt? Num pro hoſtibus habendi ſunt? Nonne in domum, & populũ Dei ante oculos noſtros per ſçuitiã debacchantur; & probra faciunt ſcelerati illi? Iam quanta id cum veſania faciant, ipſis vobis cogitandum relinquo.

In domũ & populum Dei debacchãtur hæretici.

In lingua ſua ſitam habẽt malitiã.

STVLTI enim illi in lingua ſua ſitam habent malitiam, PLVMBEASQVE IRAS ita ſecum circumferũt, vt ſeipſos mutuis vicibus feriant, & nos ſecum ad auctarium ſui ſupplicij abſtrahant. Interim QVI RECTA DOCET, HOSTIS IVDICATVR; qui autem inuidię vitium prę ſe fert, populum manſuetum, quod minimè oportuit, inuadit; euaſtat; abſumit; & ſeipſum vltrò corrumpit, gloriatur, extollit; veritatem ſubuertit; & fidẽ circumuenit: donec ſuæ conſcientię cauernam, & latibulum quęritando inueniat.

Agreſtis hęreticorum ferocitas.

FEROCITAS igitur agreſtis eos miſeros facit; qui ita temerè ſeipſos, cùm indigni

indigni ſint, efferant inclamando; HEM SCELERA, ille ne presbyter eſt? aut; ille ne puer? mea exiſtimatio attingitur, mihi hoc ipſum debetur; ab illo ablatũ eſt. Ego igitur omnibus ſpoliatis pro viribus nocebo. Luculentum inſaniæ tumultum dicas, ſi acies, conciliabula, aut conuitia iſtorum importuniſſimorum conuentuum videas.

Hæreſum cauſa præcipua inuidia.

Inſaniæ tumultus.

O NOSTRAM in Eccleſiam Dei peruerſitatem, ſpectaculumque maligni & dementis animi. Nunquam ne tandem pudefiant? Nunquam ne ſemetipſi improbabunt? Nunquam in animo morſus ſentient, vt vel nunc ſaltem contra impoſturam, & rixas dignum aliquid animo cõcipiant & ſentire videantur? VIS SOLA INVIDIÆ EST, SVIS FVCIS ET PIGMENTIS INNITENS.

DE OFFICIO ET AVTHORITATE PVBLICI MAGISTRATVS, INPVNIENDIS & compeſcendis hæreſibus.

CAPVT XIII.

I. *Regibus & Imperatorib. Eccleſiam datam in tutelã contra hæreticorum inſultus.*

AVGVSTINVS *Epiſt.48.ad Vincentium To.2.* Seruiant Reges terrę Chriſto, etiam ferendo leges pro Chriſto.

IDEM Epiſt.50. ad Bonifacium circa init. Tom.2. Nam & temporibus Prophetarum omnes Reges, qui populo Dei nõ prohibuerunt, nec euerterunt, quæ cõtra Dei præcepta fuerant inſtituta; culpantur: & qui prohibuerunt, & auerterũnt, ſuper aliorum merita laudantur.

Reges prohibentes & euertentes, quæ contra Deum ſunt, laudantur.

II. *Gladium portant Impp. etiã contra hæreticos.*

AVGV-

Avgvstinvs *Epiſt. 164. ad Emeritum Donatiſt. To. 2.* Terrenæ poteſtates cùm Schiſmaticos perſequuntur, ea regula ſe defendunt, qua dicit Apoſtolus: Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit: Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi iudicium adquirunt. Principes enim nõ ,, ſunt timori bono operi, ſed malo. Vis ,, autem non timere poteſtatem? Bonum ,, fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim ,, miniſter eſt tibi in bonum; Quòd ſi ma- ,, lum feceris, time. Non enim fruſtrà ,, gladium portat; Dei miniſter eſt; vin- ,, dex in iram ei, qui malè agit.

Rom. 13.

Principes malis timendi, nõ bonis.

III. *Etſi ad fidem nullus cogendus ſit inuitus; perfidia tamen ſeuerè punienda eſt.*

Avgvstinvs *contra literas Petiliani lib. 2. cap. 83. Tom. 7.* Ad fidem quidem nullus cogendus eſt inuitus; ſed per ſeueritatem imò & per miſericordiam Dei tribulationũ flagellis ſolet perfidia caſtigari. Nunquid quia mores optimi ,,

„ libertate voluntatis eligũtur, ideò mo-
„ res peſſimi, non legis integritate puniuntur: Sed tamen MALE VIVENDI VLTRIX DISCIPLINA, præpoſtera eſt; niſi cùm præcedens benè viuendi doctrina contemnitur.

SI QVÆ igitur aduersùs vos leges conſtitutæ ſunt, non eis benefacere cogimini; ſed malefacere prohibemini. Nam benefacere nemo poterit, niſi elegerit, niſi amauerit; quod eſt in libera voluntate. Timor autem pœnarum, etſi nondum habet delectationem bonæ conſcientiæ; ſaltem intra clauſtra cogitationis coërcet malam cupiditatem.

Timor pœnarum malum coërcet.

IDEM contra Creſconium lib.3.c.2.To.7. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem; SED NEC BONAM INFRVCTVOSAM; NEC MALAM ESSE VOLVIT IMPVNITAM.

IIII. *Quæ ad tollendas hæreſes Principes Catholici prohibuerint.*

SEX

Sex ſunt quaſi cõiugata quibus fundatur & propagatur omnis ſecta, & religio, Doctrina; Locus ſacer, quo populus conueniat; miniſterium; & ſacramenta ad æmulationem Eccleſiæ immutata; Liberi; & de dogmate vulgaris diſputatio. Ideo pii Principes cauerunt inprimis, ne quibus nominibus Chriſtiani vocant iſta, vt pertineant ad verã & Catholicam religionem: eorum ſimię hæretici iiſdem ſua ſacrilegia nuncuparent. — *Media ſecta rũ propagã darũ SEX.* — *„Hæretici ſua dogmata & miniſteria Catholicorũ nominibus nũcupare „phibent.*

Deinde ſex iſta eadem ferè opera, vt coniuncta & connexa prohibuerunt, hoc eſt: Ne liceret hæreticis docêre; Eccleſias aut locum ad conueniendum poſſidêre; miniſtros, aut clericos creare; ſacramenta immutare, aut alibi, quã in Eccleſia, percipere; libros ab hæreticis ſcriptos ſeruare; de dogmate paſſim diſputare. Rationem admiſcent, quia ſpectent hæc omnia in contumeliam ſynceræ religionis & ruinam; ſimplicioribusque mali cauſam præbent, ait Iuſtinianus. — *Hæreticis prohibenda: 1. Docere. 2. Templa occupare. 3. Miniſtros ordinare. 4. Sacramẽta immutare. 5. Libros hæreticos habere. 6. Publicè diſputare.* — *„Nouell. 42.*

HVIC rei exemplo eſſe poteſt conſtitutio Diuorum Impp. Theodoſij, Gratiani ac Valentiniani l. 2. Cod. de ſumma Trinit. & fide Catholica: Nullus hæreticis miniſteriorum locus; nulla ad exercendam animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiam, ſi quid ſpeciali quolibet reſcripto per fraudem elicito, ab huiuſmodi hominum genere impetratũ ſit, non valere.

Ab hęreticis impetrata reſcripta nullius valoris.

ARCEANTVR cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationib. turbæ; vnius ac ſummi Dei nomen vbiq; celebretur. Nicenæ fidei dudũ à maioribus traditæ, & diuinæ religionis teſtimonio atque aſſertione firmatæ obſeruantia ſemper manſura maneat &c.

Hæreticorũ cõgregationes illicitæ.

QVI VERO eidem non inſeruiunt, deſinant affectatis verbis alienum veræ religioni nomen aſſumere; & ſuis apertis criminibus denotentur.

II. ARCADIVS *lib. 47. de hæretic. C. Theodoſ. ait.* Ne quis hęreticorum, (quos iã leges innumerę diui genitoris noſtri conti-

Hæreticorũ cõuenticulis myſteria diuina ꝓphanantur.

continent) audeat cœtus illicitos congregare; prophanaq; mente omnipo- ,, tentis Dei contaminare myſteriũ; nec ,, publicè, nec priuatim, nec in ſecreto, ,, nec palàm. Nemo audeat Epiſcopi ſibi nomẽ aſciſcere; vel Eccleſiaſticum ordinem, eorumque ſanctiſſima nomina pollutis mentibus vſurpare.

III. Extant *in hanc ſententiam & aliæ innumeræ Catholicorum Principum leges ſeueriſſimæ; quarum inſigniores aliquot in hũc locum collegit Claudius de Sainctes; eas, qui voluerit, huc conferre poterit.* Claud. de Sainc. in Methodo contr. Sectas ca. 9. 10, 11, 12, & 13.

V. *Quibus generibus pœnarum hæreticos expugnauerint.*

I. Principiò omnia iura ſocietatis humanæ ſectis denegarunt, & eripuerunt. Lex eſt, quæ tribuitur Conſtantini tribus liberis, Conſtantino, Conſtantio, & Conſtanti. Priuilegia, quæ contemplationi religionis indulta ſunt, Catholicæ tantùm legis obſeruatoribus prodeſſe oportet. Hæreticos nõ ſolùm his priuilegiis alienos eſſe volumus, ſed aduerſis muneribus conſtringi & ſubiici. Leg. 1. C. de hæret. Hæreticos Catholicorum priuilegiis nõ gaudere.

Theo-

Niceph. lib. 12. c. 15 heretici cum ciuibus nihil cõmune habent.

THEODOSIVS maior ſanxit, ne à ſe damnati hæretici quidquam cum reliquis ciuibus commune haberent.

II. Proſcriptione bonorum & pœna pecuniaria. Theodoſius minor Iuliano Pu. l. 44. de hęret. C. Theodoſ. Damna patrimonij pœnasq́ue pecuniarias euidenter imponimus viris, mulieribus, perſonis ſingulis, & dignitatibus pró qualitate ſui quæ debeant irrogari &c.

Hæreticorũ pertinaciũ omnia bona publicãtur.

EOS autem, quos nequaquam illata damna correxerint, facultatum omniũ publicatio ſubſequetur. leg. 24. 26. & 44. de hæret. C. Theodoſ.

Diligentiſſimè cauit antiquitas, ne quis ſacroſanctas Eccleſias perturbaret.

III. Exilio. De quo Iuſtinianus Nouell. 42. in Anthimum ita loquitur: Illi huius vrbis regiæ, eiusq; confiniorum; & alicuius inſigniotis ciuitatis ingreſſum interdicimus; ſed vt in ſolo aliquo loco deſideat; & ſilentio; neq; alios corrumpat; neq; ad proferendas blaſphemias eos inducat; neque contra vera dogmata noui aliquid inueniat, p quod denuò nobis ſacroſãctas Eccleſias perturbare ſtudeat.

Hęreſiarchę ſemper ſolitudine & ſilentio coërciti.

HÆRE-

HÆRESIARCHARVM conſtans & aſſueta fuit obligatio, Arrij, per Conſtantinum; Eunomij, & aliorum, per Theodoſium magnum; Neſtorij, per Theodoſium Minorē; Eutichetis, per Martianum, atq; aliorũ deinceps, ſuo ordine.

IIII. Supplicio mortis. Cùm enim nec metus retineret; nec mulcta cohiberet hæreſes; nec exilium deterreret; Principes ſummis morbis adhibuerũt ſumma remedia. HÆRESIS ENIM OPPRESSVRA EST, NISI OPPRIMATVR. Ideò minor Theodoſius ſic minatur eis, quos exilium non emolliret. Sũmis morbis ſumma remedia eſſe adhibenda.

SI QVI pertinaci improbitate vetita & damnata repetiuerit, ſciat ſe auſteriorem ſententiam ſubiturũ. Idem per experientiam prudentior effectus, ſuperiorum Imperatorum manſuetudine factiones non extinctas, ſed auctas, MORIENDVM OMNIBVS DEPREHENSIS promulgat &c. *Quando autem iudicium capitis cœperit exerceri in hæreticos, vide apud Claudium de Sainctes, in Methodo contra Sectas cap. 13.* VI. *Vti-*

In Nouella de Iudæ. Samarita. & hæret. Morte mulctātur perti naces hæretici. Manſuetudine principum hæreſes auctæ.

VI. *Utile fuiſſe hæreticis per Imperatorum leges ab erroribus abſtrahi; atque ad Eccleſiam Catholicam pœnarum terroribus reuocari.*

AVGVSTINVS *Epiſt. 50. ad Bonifacium Tom. 2.* Multi eorum, quorum iam in vnitate Chriſti pium fidei feruorem, charitatemque miramur; cum magna lætitia Deo gratias agunt, quòd illo errore caruērūt; VBI MALA ISTA BONA PVTAVERVNT. Quas gratias modò volentes non agerent; niſi priùs etiam nolentes ab illa nefaria ſocietate diſcederent.

Leges Imperatorum in hæreticos admodum vtiles ſunt & ſalutares.

QVID de illis dicemus, qui nobis quotidie confitentur, quòd iam olim ,, volebant eſſe Catholici; ſed inter eos ,, habitabant, inter quos id, quod vole- ,, bant, eſſe non poterant per infirmitatē timoris; vbi ſi vnum verbum pro Catholica fide dicerent, & ipſi, & domus eorum funditùs euerterentur?

Infirmitas timoris.

QVIS

Qvis est tam demens, qui neget, iſtis debuiſſe per iuſſa imperialia ſubueniri; vt de tanto eruerentur malo; dum illi, quos timebant, timere coguntur; & eodem timore, aut etiã ipſi corriguntur; aut certè, cùm ſe correctos eſſe confingunt, correctis parcunt; à quibus antea timebantur?

Idem Epiſt. 48. ad Vincentium Tom. 2. O ſi poſſem tibi oſtendere ex ipſis circumcellionibus, quàm multos iam Catholicos manifeſtos habeamus, dãnantes ſuam priſtinam vitam, & miserabilem errorem; quo ſe arbitrabantur pro Eccleſia Dei facere, quidquid inquieta temeritate faciebant; qui tamen ad hanc ſanitatem non perducerentur, niſi legum iſtarum, quę tibi diſplicent vinculis, tanqvam phrenetici ligarentur. *Et paulò poſt:*

Miſerabilis error.

Heretici tãquam phrenetici diſciplinę vinculis ligandi ſunt.

Qvam mvlti ex ipſis nunc nobiſcum gaudentes, priſtinum pondus ſui pnicioſi erroris accuſant; & fatẽtur nos ſibi moleſtos eſſe debuiſſe: ne tanquam mortifero ſomno; ita morbo veternoſę conſuetudinis interirent. At

Erroris pondus pernicioſum.

AT ENIM quibuſdam iſta non proſunt; NVNQVID IDEO NEGLIGENDA EST MEDICINA, QVIA NONNVLLORVM INSANABILIS EST PESTILENTIA?

NOTA.

DE MALA MORTE, AC INFOELICI INTERITV TYRANNORVM ET HÆRETICORUM, qui Eccleſiam Dei perſecuti ſunt.

CAPVT XIIII.

I.

Ex libello manu ſcripto pij cuiuſdam & doctiſsimi viri.

NIHIL in rebus humanis peſtilentius eſſe conſtat, praua doctrina: atque omnes hæreticos ſeditionis cupidos eſſe, neque affectare aliud, quàm vt errores ſuos ſeditione ac tumultu publico tueantur, & quàm poſſunt latiſſimè propágent. Nam Sathan author eorum mendax pariter eſt, & homicîda, vtrunque horum, in omnibus ſchiſmaticis

maticis palàm eſt; qui ſimul falſa docent, ac cædem per ſeditionem, & perturbationem Rerumpublicarum excitare ſolent. Et ſic plerunque accidit, vt quoties ruitura ſunt magna Imperia, omnia ſeditionibus & inteſtinis ſimultatibus priùs repleantur.

HINC neglectam Religionem iam olim in veteri Teſtamento à Deo Opt. Max. ferè ſemper non tantùm in ſubditis, ſed etiam Regibus acriter & ſeuerè punitam fuiſſe, ſatis abundè ſacra teſtantur Biblia.

IN NOVO autem Teſtamento perſecutionem Chriſtianorum ſub Nerone Imperatore cœpiſſe conſtat. Circa annum Chriſti 56.

HIC enim Nero nedum contra naturam in propriam matrem, vxorem, & pium præceptorem Senecam, crudeliter ſæuiit; illoſque occidi fecit: ſed etiam Principes Apoſtolorum, nempè, Petrum cruce; & Paulum gladio, peremit; miraque crudelitate ac tyrannide in miſeros Chriſtianos vſus eſt. Nero ſibi ipſi manus violẽtas intulit.

Tandem autem impius Tyrannus ſibi ipſi manus intulit violentas, ac morte turpiſſimá extinctus eſt.

Presbyteri & Diaconi Eccleſiarum Achaiæ in vita B. Andreæ.

SIC ÆGEAS, apud Patras Ciuitatem Achaiæ Proconſul, Chriſtianam Religionem perſequens; ac B. Andream Apoſtolum, quòd idola adorare nollet; ac Proconſulis coniugem Maximillam, fratremq́ue Stratoclem, nec non magnam populi multitudinẽ ad Chriſti fidem adduxiſſet; crucis ſupplicio necans, eâdem tandem nocte à Dęmonio arreptus, de loco alto ſe præcipitauit, ac miſerè periit.

Ægeas arreptꝰ à dæmonio ſeſe prę cipitem dedit.

Zonaras in 2. Annal. to.

Domitianus gladio confoſſus.

DOMITIANVS, crudeli admodum animo Chriſtianos perſequẽs, tandem ſuorũ gladio confoſſus eſt. Anno Chriſti 83.

Zonar. To. 2. Annal.

Traianus vẽtris profluuio periit.

TRAIANVS, alioqui ſpectata probitate Princeps, cùm & ipſe non minùs Chriſtianos grauiter aliquandiu afflixiſſet; tandem apud Seleuciam Iſaurię, profluuio ventris periit: vel, vt quidam putant, veneno extinctus eſt. Circa annum Chriſti 100.

MAXI-

MAXIMINVS Eccleſiæ & Chriſtianorum perſecutor, tandẽ vnâ cum filió ſuo Aquileiæ à militibus trucidatus eſt. Circa annum Chriſti 238. Zonar. To. 2. Annal. Maximinus à ſuis trucidatus.

DECIVS, alioqui nõ minùs prudens Princeps, quàm miles ſtrenuus; publico edicto propoſito omnes Chriſti cultores necari iuſſit; Fabianum Pontificem, & Cyprianum in Africa; & multos alios ſanctos viros morte affecit. Tandem autem Deus hanc tyrãnidem vlciſcens, eum occídi, & in voragine paludis abſumi permiſit. Circa annum Chriſti 253. Zonar. To. 2. Annal. Decius Imp. occiſus, & in voragine paludis abſumptus.

VIBIVS Gallus Imperator, & hic Chriſtianorũ Tyrannus, & hoſtis, tandem vnà cum filio ſuo Voluſiano à propriis militibus interfectus eſt. Circa annum Chriſti 255. Zonar. To. 2. Annal. Vibius à propriis militibus interfectus.

VALERIANVS, magnus Chriſtianorum perſecutor, tandem à Perſarum rege ſuperatus & captus eſt, & in turpiſſima ſeruitute vixit. Erat enim Rex tanta inhumanitate, quòd capto Cæſare loco ſellæ vtebatur; & equitaturus Zonar. To. 2. Annal. Valerianus à turpiſsima ſeruitute apud Perſ[illegible] captus vixit.

Valeriani proſtratum tergum calcabat equum aſcendens. Circa ann. Chriſti 257.

Zonar. To. 2. Annaliū. Galienus haſta cõfoſſus interiit.

GALIENVS Valeriani filius, & hic Chriſtianorum hoſtis, in fuga haſta ex equo deiectus profluuio ſanguinis interiit. Circa ann. Chriſti 274.

Zonar. To. 2. Annal.

AVRELIANVS acerrimus Chriſtiani nominis perſecutor, tandem in Gręcia occiſus legitur. Circa annum Chriſti 274.

Zonar. To. 2. Annal. Car⁹ fulmine ictus periit.

CARVS cum duobus filiis Carino & Numeriano pariter Chriſtianos perſecuti, tandem Pater fulmine ictus periit, Carinus occiſus, Numerianus autem in lectica, confoſſus eſt.

Conſtãtin. Manaſſes in ſuis Annalibus. Diocletia. et Maximinus ad inſaniam redacti hortorum cultores fiunt.

DIOCLETIANVS & Maximinus poſteaquàm ex animi libitu ſatis hac in parte bruto impetu decertaſſent, nec tamen Chriſti nomen abolere potuiſſent; ad inſaniam redacti miſerrimi homines, abiecta corona ſemet ad fortunam & conditionem humiliorem demittunt, adeoq; curatores hortorum, arborum plantatores, foſſores ſtirpium

ole-

olerumque nutritores fiunt. At vbi recuperare vellēt Imperium, grauiſſimo cædium genere vitam amiſerunt. Hoc tempore maxima Chriſtianorum perſecutio fuit, vt intra paucos dies in variis locis ſeptendecim millia Chriſtianorum trucidarentur; & carnifices delaſſati ſibi inuicem ſuccederent.

Maxentius & hic acer Chriſtianorum hoſtis, tandem à Conſtantino Magno victus, in Tyberi fluuio ſubmerſus eſt inter fugiendum, deditq; dignas ſuæ tyrannidis pœnas.

Zonar. To. 3. Annaliū. Maxentius fluuio demerſus interiit.

Licinius quem Conſtantinus Magnus Imperij ſocium effecit, Chriſtianos diu acriter perſecutus eſt, & oppreſſit; cuius petulantiam Conſtantinus Magnus ferre nolens, coactus tandem magna neceſſitate commiſſo prælio Licinium vicit; ac vitam illi quidem donauit, mādans eum ſub cuſtodia eſſe Theſſalonicæ. Qui cùm à cōſuetis ſuis moribus non diſcederet; ſed fraudulenta conſilia pro reſtaurando bello captaret, Imperatoris iuſſu à ſuis militibus

Teſte Zonara, de morte huius eſt varia opinio, ſed in eo cōueniunt oēs, illum mala morte interiiſſe.

Licinius à propriis militibus occiſus.

tibus vitam, ferro cæſus, amiſit, memoria eiuſdem damnata.

Zonar. To. 3. Annal.

CONSTANTIVS in Arrianam hæreſim lapſus grauiſſimam calamitatem Eccleſiæ Chriſti, piiſque Eccleſiarum Antiſtitibus inflixit. Tandē cùm Conſtantem fratrem bello inſectatur, ab illius ducibus violenta morte occiſus eſt. Circa annum Chriſti 340.

Conſtantius violenta morte occiſus.

CONSTANS Acephalitarum ſectam ſecutus, crudeliſſimum ſe aduersùs Catholicos prȩſtitit, tandem verò à ſuis in balneo occiſus dicitur. An. Chriſti 350.

Teſte Zonara eſt varia opinio, certum tamen eū occiſum eſſe.

Conſtans à ſuis in Balneo occiſus.

IVLIANVS Apoſtata, poſt occultam & manifeſtam atrociſſimam Chriſtianorum perſecutionē, tandem in Perſico bello à quodam haſta protēſa grauiter vulneratus, membrana ea, quæ περιτόνιον dicitur, & exta omnia intrinſecùs tegit, ita diſrupta, vt cuſpide extracta, excrementa ſanguine mixta eā ſint cōſecuta. Qui cùm ex inflicto vulnere iacêret, & animā ageret, manū ſanguine plenam ad cœlū proieciſſe traditur, & dixiſſe; viciſti tandem Galilȩe: Chriſtum

Zonar. To. 3. & Amphilochius in vita Baſilij magni.

Julianus Apoſtata haſta grauiſsimè læſus interiit.

ſtum ſignificans, quem Galilæum appellabat. Circa annum Chriſti 365.

VALENS Arrianæ hæreſis adſertor, & Chriſtianæ profeſſionis acerrimus perſecutor fuit. Sed & hic impietatis huius inſignes pœnas dedit. Tandem enim à Gothis prope Conſtantinopolim cæſus eſt, & cùm ipſe in fugã verſus in domiciliũ quoddam ſeu turrim ſeſe, latitãdi gratia abdidiſſet, incẽſus à Gothis eo loco, ignis inualeſcens Imperatorem Valentem cum ſuis combuſſit. Circa annum Chriſti 370.

Theodoret. lib. 4. hiſto. Eccleſ. c. 32.

Valens à Gothis combuſtus.

ZENO cùm ſupra modum flagitioſus, nec non Eutychetis & Dioſcori hęreſi infectus eſſet; non vt Auguſtus, ſed vt Tyrannus imperauit. Hunc tandem morbo comitiali correptum, animam egiſſe ferunt; vel (vt quidam volunt) quòd eum Ariadna coniunx adiiſſet, cùm epilepſiæ doloribus diſtineretur, & ſpeciem defuncti præberet, viuum adhuc ab illa ſepulchro incluſum eſſe; vel (vt alij tradunt) cùm ebrietate ſenſum omnẽm amiſiſſet in tumulum

Conſtantinus Manaſſes hæc de Anaſtaſio refert. Licet addat quoſdam hæc de Zenone referre.

Zeno à coniuge ſua Ariadna viuus ſepulchro includitur.

coniectum eſſe, & licet ad ſeipſum per ſobrietatem reuerſus in ipſo momento exclamauerit, vitam ſe ſolùm non etiam Imperium petere. Neminem tamen propter Ariadnæ coniugis prohibitionem illius miſertum eſſe; adeoque miſerum miſerè periiſſe. Circa annum Chriſti 740.

Zonar. li.3. Annal. dicit illum violẽtiſsimè interiiſſe.

CONSTANTINVS Leonis tertij Iconomachi dicti filius, non ſolùm patris impietatem in abolendis Sanctorum imaginibus retulit, ſed & grauiori ſcelere, reliquias eorum aut contempſit aut combuſſit, dicens; idololatriam eſſe, imagines & reliquias Chriſti & ſanctorum, in templis habere; adeoq; Eccleſiam Dei longo tempore afflixit. Tandem verò diuinam vltionem non euaſit. Nam Elephantiaſis morbo correptus interiit, horrẽdo vlulatu exclamans; ſe igni inextinguibili traditum eſſe; ſicque animam exhalauit. Circa annum Chriſti 775.

Conſtantinus Iconomachus ἐλεφαντιάσεως morbo interiit, horrendũm clamans.

LEO quartus aui ſui Leonis tertij, & patris adhæſit hæreſi; ſed breui pœnas luit.

luit. Caput enim impium carbunculi apoſtemate intumuit. Tandem ardentiſſima ſtatim febri ſubſecuta, impium ſpiritum nefarius exhalauit. Circa annum 778. Glicas 4. par. Ann. I. Leo quartus Impera. carbũculi Apoſtemate & febri periit.

CONSTANTINVS Leonis quarti filius, cum Irene matre ſua, ſupra muliebrem captum prudẽtiſſima, Imperij ſceptra tenuit. Hic Eccleſiæ determinationem, de non delendis ſacris imaginibus in ſecundo Nicæno Concilio iuſſu Irenes, congregato factam, recipere noluit; ſed etiam matrem ſuam Imperio deiecit: cuius Tyrannidem & flagitia Conſtantinopolitani ferre nolentes, matrem ab exilio reuocarunt, quę filio oculos erui feciſſe perhibetur. Circa annum 792. Glicas 4. part. Annal. Conſtãtino Leonis quarti filio oculi eruti.

DE NERONE Iuliani Imperatoris Apoſtatæ auunculo, deq; Felice Elpidio & Theotechno præclaris ducibus, & tamen veræ religionis & pietatis deſertoribus ac Eccleſiarum ſpoliatoribus; & qua quiſq; illorum miſeranda tandem ac fœdiſſima morte extinctus ſit; adeoq; diuinum numen cõmeritas

iuſtasq́; ab eis, qui impudenter & apertè veram pietatem oppugnarũt, pœnas exegerit, legatur Nicephorus lib. 10. cap. 29.

II. *De infœlici interitu hæreticorum.*

FINITA *porrò veterum tandem Principum Tyrannide, Hæretici in illorum locum ſucceſſerunt; & quod tyrannide fieri non potuit, hoc praua doctrina hæretici obtinere, ac fidei Catholicæ veritatem exterminare, fruſtrà conati ſunt; qui & ipſi vitam ſuam mala ſæpe cum morte commutauerunt.*

Egeſippus li. 3. de excidio Hieroſolymitano. Simon Magus alliſiõe in terrã rũpitur.

CVIVS rei primus teſtis eſſe poteſt Simon Magus; qui dæmonum ope in altum ſubleuatus, ſancti Petri oratione ſtatim prǽceps deorſum vertitur, & humi alliſus, mortuusque rumpitur.

Cerinthus in balneo ruina dom⁹ opprimit̃.

CERINTHVS hæreticus Chriſtũ vtiq; blaſphemo ore Deũ eſſe negans; tandẽ in balneo ruina domus oppreſſus, vnâ cum ſua cohorte extinctus eſt.

Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 15. Montanus ſeipſum ſuſpendit.

MONTANVS dicitur à ſpiritu veſano agitatus ſeipſum ſuſpẽdiſſe; eoq; modo ad inſtar Iudæ proditoris vitã finiuiſſe.

ARRIVS

ARRIVS Hæreſiarcha cùm manè ſub conſtitutam diſputationis horam in auditorium pergeret, incepit inter eundum ventris dolore laborare, & exonerandi alui cauſa latrinam ingreſſus, ruptis & euulſis viſceribus horrenda morte illicò periit.

Nicephor. lib. 8. ca. 51. Arrius viſcerum diſſolutiõe, eiectioneq; periit.

EVNOMIVS leproſus, & morbo regio infectus, cum Aëtio preceptore ſuo Arrianam hereſim defendit aliis pluribus Articulis de nouo additis; tandẽ opera Eutropij Præpoſiti Eunomij ſcripta omnia publicè cremata; cadauer quoque eius ſepulchro extractum in Dacoris Tyanam proiectum eſſe fama obtinet.

Nicephor. lib. 11. c. 11. & li. 13. c. 1. in fine. Eunomij cadauer effoſſum & in flumen proiectum.

NESTOR ſeu Neſtorius poſt Epheſini Concilij damnationem & depoſitionem; ac propter fucatã illius pœnitentiam ſubſecutum exilium & captiuitatem tandem terra rupta coopertus atque oppreſſus, vitam hanc pro eo, atque eius blaſphemiæ conueniebat, amiſit. Aiunt etiam, lingua eius à vermibus corroſa, ingemiſcentem

Nicephor. lib. 14. c. 36.

Viuus à terra abſorptus & oppreſſus Neſtorius, & viuo lingua à vermibus corroſa.

ac

ac lamentantem, ad maiora ac æterna ſupplicia, cum pœnas debitas ſoluturũ, migraſſe.

Oecolampadius ſuis manib⁹ periiſſe dicitur propriis.

Oecolampadivm Apoſtatam ac Hæreticum aiunt quidam ad vxoris latus in lecto mortuum deprehenſum, adeoq; ſubitanea morte ſublatum. Vel, (vt Lutherus ſcribit) ſub vitæ finem deſperaſſe; vel, (vt alij putant) ſuis ipſius ſuorúmue manibus clàm eſſe peremptum.

Monetarius à ſuis coniuratis trucidatus.

Thomas Monetarius Manichæorum hæreſeos inſtaurator, impij ſui erroris ac ſeductionis pœnas dedit. Nẽpe à ſuis coniuratis in fuga captus & trucidatus eſt.

Zuuinglius in prelio occiſus.

Zvvinglivs cum Tigurinis ſuis contra Catholicos Heluetiorum cantones mouens, primo ab illis impetu proſternitur.

Lutherus in lecto repertus.

Lvtherum aiunt benè potum ac hilarem poſtridiè manè in lecto mortuum eſſe repertum.

Hoſiander horribiliter extinctus.

Osiander, qui ſe alterum eſſe Enoch iactabat, tandem planè mutus

vt

vt beſtia horribiliter extinctus eſſe perhibetur.

Bvcervs apud Anglos exul moritur, cuius oſſa poſteà ibidẽ effoſſa ſunt, & exuſta, quòd indigna viderẽtur, quæ in ſacrato loco ſepulta quieſcerent.

Bvceri oſſa effoſſa & cõbuſta.

Calvinvs aſſeritur Herodis, hoc eſt, pediculari morbo eroſus miſerrimè periiſſe.

Caluinus pediculari morbo periit.

Vergerii Romani Apoſtatæ mortem tam horrendam fuiſſe dicunt, vt nonnullos permouerit relictis ſectis ad redeundum ad Catholicam Eccleſiam.

Vergerij mors horrenda.

Sed quid opus eſt, longiore commemoratione, quum omnibus notum ſit, in quas calamitates plerique Principes, & ſtatus; imò & nonnulli priuati, veræ Catholicæ Eccleſiæ deſertores, & variarum Sectarum Authores ac propugnatores hac noſtra ætate inciderint; & quas pœnas motarum turbarũ, ac deſertæ, vel ſaltem neglectæ religionis luerint; quęque reliquos adhuc maneant.

Atqve

ATQVE hęc ſunt horrenda exempla iræ diuinæ in eos, qui manifeſta impietate nomen Dei, & ſanam verbi ſui doctrinam blaſphemāt; Sanctamq; Chriſti Eccleſiam perturbant, nō verentes, ſectas perditiōis introducere, ac luſum ex religione facere; quos vindicta diuina tandem non patietur inultos, quum Deus non irrideatur.

ETSI verò Deus Opt. M. ex Pſeudoprophetis & hæreticis, interdū aliquos in ſpeciem honeſtè mori; honorificeq; ſepeliri permittat: nihilo tamen mitiùs cum illis in futuro agetur ſeculo; ſed proculdubio æternis punietur cruciatibus, niſi in hac vita reſipiſcere, & ad Eccleſiæ Catholicæ gremium redire velint.

Pſal. 33. Sapien. 5. MORS itaque peccatorum peſſima: Iuſti autem in perpetuum viuent: & apud Dominum eſt merces eorum.

DE

DE IVSTO AC SEVERO DEI ADVERSVS HÆRESES IVDICIO; ET GRAVISSIMA hæreticorum damnatione.

CAPVT XV.

1. *Ex veteri teſtamento.*

DEVTERONOM.*13.* Propheta autem ille, aut fictor ſomniorũ interficietur; quia locutus eſt, vt vos auerteret à Domino Deo veſtro.

EODEM *cap.17.* Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem; cauſam & cauſam; lepram & non leprã; & iudicũ inter portas tuas víderis verba variari; ſurge, & aſcende ad locũ, quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesq́; ad ſacerdotes Leuitici generis; & ad iudicem, qui fuerit illo tempore; quæresq́ue ab eis. Qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit DOMINVS, & docuerint te iuxta

iuxta legem eius; ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

Non obediens ſacerdoti morte multatur.

QVI AVTEM ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis Imperio, qui eo tẽpore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis; morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: cunctuſq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps tumeſcat ſuperbia.

*E*ODEM *cap.18.* Propheta, qui arrogãtia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi ei, vt diceret, interficietur.

2. *Ex nouo Teſtamento.*

*M*ATTHÆI *18.* Si non audierit Eccleſiam, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.

*P*AVLVS *ad Galat. 5.* Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant.

*2. P*ETRI *2.* Fuerunt verò, & Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces; qui introducẽt ſectas perditionis; & eum, qui emit

eos,

eos, Dominum negant; SVPERINDVCENTES SIBI CELEREM PERDITIONEM. Et multi ſequentur eorum luxurias; ꝑ quos via veritatis blaſphemabitur; & in auaritia, fictis verbis, de vobis negociabuntur, quibus iudicium iam olim nō ceſſat; ET PERDITIO EORVM NON DORMITAT.

SI ENIM Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reſeruari &c. magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immūditiæ ambulant, dominationemq; contemnunt, audaces ſibi placētes, SECTAS NON METVVNT INTRODVCERE, blaſphemantes &c. Ibid.

HI SVNT fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus agitatæ; quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Superba enim vanitatis loquentis pelliciunt in deſideriis carnis luxuriç, eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur, libertatē illis promittentes, CVM IPSI SERVI SINT CORRVPTIONIS. A quo Ibid. Hæretici nebulæ. Hæretici libertatē promittūt cùm ipſi SERVI ſint corruptionis.

enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.

Melius enim erat illis, non cognoſcere viam iuſtitię, quàm poſt agnitionem, retrorſùm cõuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mãdato. Contingit enim eis illud veri prouerbij, canis reversus ad suum vomitum; &, ſus lota, in volutábro luti.

Ivdas *in Epiſtola ſua.* Commonêre autem vos volo, ſcientes ſemel omnia, quòd Iesvs populum de terra Ægypti ſaluans, ſecundò eos, qui non crediderũt, perdidit. Angelos verò, qui non ſeruârunt ſuum principatum; ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſeruauit &c.

Væ illis, qui in via Cain abierunt; & errore Balaam, mercede effuſi ſunt; & in contradictione Coræ perierunt. Hi ſunt in epulis ſuis, macvlæ convivantes, ſine timore, ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur; arbores autumnales, infru-

Heretici maculæ conuiuantes. Nubes ſine aqua. Arbores autumnales.

infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatę; fluctus feri maris, deſpumantes ſuas cōfuſiones; ſydera errantia. Quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.

Fluctus feri maris. Sydera errātia

PROPHETAVIT autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce ,,
venit Dominus in ſanctis millibus ſuis, ,,
facere iudicium contra omnes; & ar- ,,
guere omneis impios de omnibus ope- ,,
ribus impietatis eorum; quibus impiè ,,
egerunt; & de omnibus dictis, quæ lo- ,,
cuti ſunt contra eum peccatores impij. ,,

3. *Ex ſanctis Patribus.*

I. *Quam de ſua fide rationem hæretici in extremo iudicio ſint reddituri.*

TERTVLLIANVS *de præſcriptione hæreticorum.* Proinde hæc apud nos teſtimonia diſciplinæ ad probationē veritatis accedūt; à qua diuertere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicij; quo omnes nos neceſſe eſt, apud Chriſti tribunal adſtare, reddētes rationem inprimis ipſius fidei.

Hæreticos nullam habituros excuſationem.

QVID IGITVR dicent, qui illam ſtuprauerint adulterio hæretico; virginem traditam à Chriſto? Credo allegabunt, nihil vnquam ſibi ab illo, vel ab Apoſtolis eius, de ſæuis & peruerſis doctrinis futuris prænunciatum, & de cauendis abominandisque præceptum. Agnoſcent ſuam potiùs culpam, & ſuorum; qui nos non antè præſtruxerunt. Adiicient prætereà multa, de authoritate cuiuſque Doctoris hæretici; illos maximè doctrinę ſuæ fidē confirmaſſe; mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe; futura ſignificaſſe; vti meritò Apoſtoli crederētur; quaſi nec hoc ſcriptum ſit; vēturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis.

II. *Quàm grauiter olim à Deo diuinarum ordinationū violatores puniti ſint.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Sic Chore & Dathan & Abiron, qui ſibi contra Moyſen & Aaron ſacerdotem

Num. 16.

ſacri-

ſacrificantes licentiam vendicare conati ſunt, pœnas ſtatim pro ſuis conatibus pependerunt. Terra compagibus ruptis in profundum ſinum patuit; ſtãtes atq; viuentes recedentis ſoli hiatus abſorbuit. Nec tantùm eos, qui authores fuerunt, Dei indignantis ira percuſſit; ſed & cęteros ducẽtos quinquaginta participes eiuſdem furoris & comites; qui coagulati cum iiſdem ſimul ad audaciã fuerunt; exiens à Domino ignis, properata vltione conſumpſit; admonens, ſcilicet & oſtendens, contra Deũ fieri, quidquid improbi fuerint ad deſtruendam ordinationem Dei humana voluntate conati.

Vide quàm intolerabilis ſit diuinarum ordinationum contemptus.

Sic et Ozias Rex, cùm thuribulum ferens, & contra legem Dei ſacrificiũ ſibi violenter aſſumens, reſiſtente ſibi Azaria ſacerdote, obtemperare nollet & credere; diuina indignatione confuſus, & lepræ varietate in fronte maculatus eſt; ea parte corporis notatus, offenſo Domino, vbi ſignantur, qui Dominum promerentur.

2. Paral. 16. 4. Reg. 5.

Leuit. 10. ET FILII Aaron, qui impoſuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus, in conſpectu ſtatim Domini vindicantis extincti ſunt: quos imitantur ſcilicet, atq; ſectantur, qui, Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt, & magiſteria humanæ inſtitutionis inducunt.

III. *Stare & viuere non poſſe de Eccleſia recedentem.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Stare tu & viuere putas poſſe de Eccleſia

Ioſue 2. recedentem? cùm dictum ſit ad Raab, in qua pręformabatur Eccleſia; Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipſam in domum tuam; qui exierit oſtium foràs domus tuæ, reus ſibi erit.

ITEM ſacramentum Paſchæ nihil aliud in Exodi lege cõtinebat, quàm vt

Agnus Paſchalis in domo vna edatur. agnus, qui in figura Chriſti occiditur, in domo vna edatur. Loquitur Deus, dicens: In domo vna comedetur, non eiicie-

eiicietis de domo carnem foràs. Caro Chriſti & ſanctum Domini eiici foràs non poteſt; nec alia vlla credentibus præter vnam Eccleſiam domus eſt. Hanc domum, hoc vnitatis hoſpitium ,, deſignat, & denunciat Spiritus ſanctus ,, in Pſalmis, dicens: Deus, qui inhabitare ,, Pſal. 67.
facit vnanimes in domo. In domo Dei, ,, in Eccleſia Chriſti vnanimes habitant; ,, concordes & ſimplices perſeuerant.

IIII. *Extra Eccleſiam & fraternam charitatem nemini, nec profeßionem nominis, nec martyrium prodeſſe.*

QVAM ſibi igitur pacē promittunt inimici fratrū? quæ ſacrificia celebrare ſe credūt, æmuli ſacerdotum? an ſecum eſſe Chriſtū, cùm collecti fuerint, opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiā colliguntur? Tales, etiāſi occiſi in cōfeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ nec paſſione purgatur.

Chriſtus extra Eccleſiā non inuenitur.

Hæreſis macula nec ſanguine abluitur.

Eſſe martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, dere-

Chriſtus nos cõcordes eſſe præcepit.

» linquit. Pacem nobis Chriſtus dedit;
» concordes atq; vnanimes eſſe præcepit;
» dilectionis & charitatis fœdera incor-
» rupta atq; inuiolata ſeruari mandauit;
» exhibere ſe non poteſt martyrem, qui
» fraternam non tenuit charitatem.

V. *Mortem hæreticis inflictam non eſſe martyrium.*

AVGVSTINVS *lib. 1. contr. Epiſtol. Parme. cap. 7. Tom. 7.* Non ergo quiſquis in aliqua religionis quæſtione fuerit ab Imperatore punitus, martyr efficitur.

Etiam dæmones martyria patiuntur.

Neque enim vident, qui talia ſentiunt, in eum ſe locum progredi, vt ipſos etiã dæmones, martyrum ſibi gloriam vendicare poſſe contendant; quia iſtam patiuntur perſecutionem per Imperatores Chriſtianos: vt penè toto orbe terrarum eorum templa euertantur; idôla

Non quæuis perſecutio facit martyrem.

comminuãtur; ſacrificia ſubtrahantur; qui eos honorãt, ſi deprehenſi fuerint, punian-

puniantur. Quod ſi dementiſſimum eſt dicere, NON ERGO EX PASSIONE CERTA EST IVSTITIA, SED EX IVSTITIA PASSIO GLORIOSA EST.

VI. *Hæreſes, veluti Sarmenta inutilia, ab Eccleſiis reſcindi.*

IDEM *de Symbol. lib. 1. cap. 5. Tom. 9.* Credimus Eccleſiam Catholicam; Ipſa eſt Eccleſia ſancta; Eccleſia vna; Eccleſia vera; Eccleſia Catholica; contra omnes hęreſes pugnans: pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam Sarmenta inutilia de vite præciſa; ipſa autem manet in radice ſua; portæ inferorum non vincent eam. „Eccleſia expugnari non poteſt.

VII. *Diſcordes in religione, ad regnum Dei peruenire non poſſunt.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* AD REGNVM COELORVM NON POTEST PERVENIRE DISCORDIA. Ad præmia

Ad præmia Chriſti non pertinent diſcordes.

Chriſti, qui dixit; Hoc eſt mandatum meum, vt diligatis inuicem, quemadmodum dilexi vos; pertinêre non poterit, qui dilectionem Chriſti perfida diſſenſione violauit. QVI CHARITATEM NON HABET, DEVM NON HABET. Beati Ioannis Apoſtoli vox eſt;

1.Ioan 4.

Deus, inquit, dilectio eſt; & qui manet in dilectione, in Deo manet; & Deus in illo manet.

Cum Deo manere non poſſunt, qui nō ſunt vnanimes in Ecclesia.

CVM Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia vnanimes noluerunt: ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti beſtiis animas ſuas ponāt, NON ERIT ILLA FIDEI CORONA, SED POENA PERFIDIÆ; nec religioſæ virtutis exitus glorioſus; ſed deſperationis interitus. OCCIDI TALIS POTEST, CORONARI NON POTEST.

Sic hæretici ſunt Chriſtiani: vt diabol9 ſe Chriſtum mentitur.

Sic ſe Chriſtianum eſſe profitetur, quomodò & Chriſtū Di[illegible] ſæpe mentitur; [illegible] onente & [illegible] omine meo [illegible] ſtus, & multos [illegible] riſtus non eſt, quam-

quamuis fallat in nomine illius; ita nec ,,
Chriſtianus videri poteſt; qui non per- ,,
manet in Euangelij eius, & fidei veri- ,,
tate.

VIII. *Hæreticos, niſi ad Eccleſiam Catholicam redeāt, ſaluos eſſe non poſſe.*

AVGVSTINVS *de fide ad Petrum c.39. Tom.3.* Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites; quemlibet hæreticū vel ſchiſmáticum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizatum; ſi Eccleſiæ Catholicæ nō fuerit aggregatus, quantaſcunque eleemoſynas fecerit; etſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit; nullatenus poſſe ſaluari.

Hæreticus extra Eccleſiam nullatenus ſaluari poteſt.

OMNI ENIM homini, qui Eccleſiæ ,,
Catholicæ non tenet vnitàtem; neque ,,
baptiſmus, neq; eleemoſyna, quàmli- ,,
bet copioſa; neq; mors pro Chriſti no- ,,
mine ſuſcepta, proficere poterit ad ſa- ,,
lutē; quamdiu in eo hæretica vel ſchiſ- ,,
matica prauitas perſeuerat, QVÆ DV- ,,
CIT AD MORTEM.

IDEM

IDEM *li.4.de Symbolo ad Catechum.c.10.* „ Quiſquis inuentus fuerit ab Eccleſia „ alienus, alienus quoque erit à numero „ filiorum Dei. Nec habebit Deum Pa- „ trem; qui Eccleſiam noluerit habere „ matrem. Eccleſia mater eſt ſpiritalis: Eccleſia ſponſa Chriſti eſt, gratia eius dealbata; pretioſo ſanguine dotata. Totum poſſidet, quod à viro ſuo accepit in dote.

IDEM *Epiſt.152.ad Donat.* QVISQVIS ab Eccleſia Catholica fuerit ſeparatus, quantúlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

EPILOGVS.

I. *Noſtri temporis hæreſes ab antiquis reuocatas eſſe.*

Falſa hæreticorum iactantia. DIVVS BERNHARDVS *homil.66. in fin. ſup. Cant.* Hæretici ſe dicunt eſſe ſucceſſores Apoſtolorum; & Eccleſiam non habentes, neque agros

agros, neque poſſeſſiones. Eccleſiam autem habentem agros & poſſeſſiones, non eſſe Chriſti Eccleſiam.

IRRIDENT nos, quòd baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis; quòd ſuffragia Sanctorum poſtulamus. Non credunt ignem purgatorij reſtare poſt mortem; ſed animam à corpore ſolutam, ſtatim vel ad requiem, vel ad damnationem tranſire.

Hęreſes noſtri tẽporis, hæreticorũ antiquorũ inuentum.

ECCLESIAM non cognoſcunt, & idcirco ordinibus Eccleſię detrahunt, inſtituta non recipiunt; Sacramenta contemnunt; mandatis Epiſcoporum non obediunt. Peccatores, inquiunt, ſunt Apoſtolici Epiſcopi, Archiepiſcopi, Presbyteri, & per hoc nec dandis ſacramentis, nec recipiendis idonei &c.

MVLTA quidem & alia huic populo ſtulto & inſipienti, à ſpiritibus erroris in hypocriſi loquentibus mendacia perſuaſa ſunt; nec rationibus conuincun- ,, tur, quia non intelligunt: nec authori- ,, tatibus corriguntur, quia nõ recipiunt: ,, nec flectũtur ſuaſionibus, quia ſubuerſi ,, ſunt;

Populus ſtultus & inſipiens facilè credit.

ſunt; probatum eſt, mori magis volunt; quàm conuerti; HORVM FINIS INTERITVS; horum nouiſſima incendium manet &c.

Hæreticos innotuiſſe iuuat.

PROINDE non eſt opus multa aduersùs homines ſtultiſſimos, atque obſtinatiſſimos dicere; ſufficit innotuiſſe illos, vt vitentur &c.

Gladio coërcendos.

MELIVS procul dubio foret, quòd coërcerentur gladio illius, qui non ſine cauſa gladium portat; quàm vt multos in ſuos errores traiicere permittantur.

II. *Eadem nunc dogmata eſſe in Eccleſia, quæ à tempore Apoſtolorum ſemper fuerunt obſeruata.*

IOANNES *Driedo lib. 4. de Eccleſiaſticis ſcripturis cap. 5. In dict. locum D. Bernhardi.* Inſpicientes ergo veteris Eccleſiæ traditionem, & antiquiſſimorum Patrum „ volumina, planè videmus, ſuper præfa„ tis articulis veterem Eccleſiæ doctri„ nam prorſus cum doctrina Eccleſiæ, quæ

Veterem Eccleſiã cũ noſtra cõuenire.

quæ nunc eſt, conuenire, & hiſce in re- ,,
bus faciem ac ſtatũ Eccleſiæ, quæ nunc ,,
eſt, eſſe antiquum Eccleſiæ ſtatum; & ,,
Eccleſiam Chriſtianam per totum or- ,,
bem nunc credere, & obſeruare; ſicut ,,
credidit, tenuit, & obſeruauit Eccleſia, ,,
quæ fuit ante quadringentos annos, cũ ,,
adhuc venerandus ille Doctor Bernhardus, & cæteri ſeculo illo præclariſſimi ſcriptores viuerent; & Eccleſiam eam, quæ tempore Bernhardi erat, ſuper eiſdem articulis credere, tenêre, & docêre: ſicut ipſa obſeruaſſe inuênit totam Eccleſiam Chriſtianam; quę Bernhardum ſexcentos annos anteceſſerat: ſicut erat Eccleſia temporibus Chryſoſtomi, Hieronymi, Ambroſij & Auguſtini; in quorum ſeculis vniuerſa Eccleſia infantes baptizabat; ꝓ defunctis ,,
orabat; ſanctos Martyres inuocabat; & ,,
in eorum memoria altaria conſtruebat ,,
bat; in Miſſa Euchariſtiæ ſacrificium ,,
offerebat; vota monaſtica faciebat; ,,
aliaq; multa, quæ in hodiernum diem ,,
tota ſeruat Eccleſia; quod facilè poteſt ,,
per-

Summa doctrinæ veteris Eccleſiæ de articulis nunc cõtrouerſis.

„ perſpici ex ſcripturis, quas ſinguli ſuis ſeculis poſteritati legēdas tradiderunt, quemadmodum iam in ſequētibus partibus ſumus oſtenſuri.

CÆTERVM Gregorius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, huiuſcemodi res neque è ſuis cerebris confinxerunt, neque recenter tuncè ſcripturis ſacris intellexerunt; ſed in eiſdem articulis crediderunt, tenuerunt & docuerunt; ſicut inuenerant Eccleſiam ante ſe docuiſſe, aſcendendo vſque ad Apoſtolorum tempora, ſecundùm interpretationem Eccleſię intelligentes, ac cōcludentes, IN SCRIPTVRIS NONNVLLA ESSE IMPLICITA ET PRÆSVPPOSITA; quæ ex eiſdem ſcripturis euidenter concludi non poſſunt.

Antiqui Patres ſemper crediderunt vtà maioribus acceperunt.

QVOD planum & manifeſtum nobis erit, ſi ad inuicem conferamus volumina antiquorum Patrum, qui per ſucceſſiones temporum Eccleſiaſtica dogmata, & ſacrarum ſcripturarum interpretationes nobis tradiderunt; qui et ſi luce clara deprehenderint nōnulla

ſcripturæ

Scripturę loca talia eſſe, ex quibus non euidenter conſequerentur ſententiæ, quas ipſi dabant; tamen imitantes Eccleſiæ traditionem, ita ſunt interpretati, vt ipſorum interpretationes, cum Eccleſiaſtica traditione, ac obſeruatione, conuenirent.

III. *Unde, qui nunc regnat, Sathaniſmus ſuã ſumpſerit originem.*

HOSIVS *Cardinalis de ſectis & hæreſibus noſtri temporis ſub initio.* Qui nunc regnat in multis partibus Germaniæ, & pedetentim etiam in proximas illi terras repere conatur, Sathaniſmus; non aliundè videtur ſumpſiſſe originem, quàm ex his doctrinæ capitibus; cuius author primus fuit Martinus Lutherus, dum vnuſquiſq; ſibi de doctrina religionis iudicium arrogat; dum arbitratu ſuo Scripturas interpretatur; dum nihil in eis difficile, nihil obſcurum eſſe perſuaſum habet; dum præter eas, nihil recipi; Traditiones autem Sathaniſm. Lutheri.

Hæreticos nullam habituros excuſationem.

QVID IGITVR dicent, qui illam ſtuprauerint adulterio hæretico; virginem traditam à Chriſto? Credo allegabunt, nihil vnquam ſibi ab illo, vel ab Apoſtolis eius, de ſæuis & peruerſis doctrinis futuris prænunciatum, & de cauendis abominandisque præceptum. Agnoſcent ſuam potiùs culpam, & ſuorum; qui nos non antè præſtruxerunt. Adiicient prætereà multa, de authoritate cuiuſque Doctoris hæretici; illos maximè doctrinę ſuæ fidē confirmaſſe; mortuos ſuſcitaſſe, debiles reformaſſe; futura ſignificaſſe; vti meritò Apoſtoli crederētur; quaſi nec hoc ſcriptum ſit; vēturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis.

II. *Quàm grauiter olim à Deo diuinarum ordinationū violatores puniti ſint.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Sic Chore & Dathan & Abiron, qui ſibi contra Moyſen & Aaron ſacerdotem

Num. 16.

ſacri-

ſacrificantes licentiam vendicare conati ſunt, pœnas ſtatim pro ſuis conatibus pependerunt. Terra compagibus ruptis in profundum ſinum patuit; ſtãtes atq; viuentes recedentis ſoli hiatus abſorbuit. Nec tantùm eos, qui authores fuerunt, Dei indignantis ira percuſſit; ſed & cęteros ducẽtos quinquaginta participes eiuſdem furoris & comites; qui coagulati cum iiſdem ſimul ad audaciã fuerunt; exiens à Domino ignis, properata vltione conſumpſit; admonens, ſcilicet & oſtendens, contra Deũ fieri, quidquid improbi fuerint ad deſtruendam ordinationem Dei humana voluntate conati. Vide quàm intolerabilis fit diuinarum ordinationum contemptus.

SIC ET Ozias Rex, cùm thuribulum ferens, & contra legem Dei ſacrificiũ ſibi violenter aſſumens, reſiſtente ſibi Azaria ſacerdote, obtemperare nollet & credere; diuina indignatione confuſus, & lepræ varietate in fronte maculatus eſt; ea parte corporis notatus, offenſo Domino, vbi ſignãtur, qui Dominum promerentur. 2. Paral. 16. 4. Reg. 5.

Leuit. 10. ET FILII Aaron, qui impoſuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus, in conſpectu ſtatim Domini vindicantis extincti ſunt: quos imitantur ſcilicet, atq; ſectantur, qui, Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt, & magiſteria humanæ inſtitutionis inducunt.

III. *Stare & viuere non poſſe de Eccleſia recedentem.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Stare tu & viuere putas poſſe de Eccleſia Ioſue 2. recedentem? cùm dictum ſit ad Raab, in qua pręformabatur Eccleſia; Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipſam in domum tuam; qui exierit oſtium foràs domus tuæ, reus ſibi erit.

ITEM ſacramentum Paſchæ nihil aliud in Exodi lege cõtinebat, quàm vt agnus, qui in figura Chriſti occiditur, in domo vna edatur. Loquitur Deus, dicens: In domo vna comedetur, non eiicie-

Agnus Paſchalis in domo vna edatur.

eiicietis de domo carnem foràs. Caro Chriſti & ſanctum Domini eiici foràs non poteſt; nec alia vlla credentibus præter vnam Eccleſiam domus eſt. „ Hanc domum, hoc vnitatis hoſpitium „ deſignat, & denunciat Spiritus ſanctus „ in Pſalmis, dicens: Deus, qui inhabitare „ facit vnanimes in domo. In domo Dei, „ in Eccleſia Chriſti vnanimes habitant; „ concordes & ſimplices perſeuerant. Pſal. 67.

IIII. *Extra Eccleſiam & fraternam charitatem nemini, nec profeſſionem nominis, nec martyrium prodeſſe.*

Qvam ſibi igitur pacē promittunt inimici fratrũ? quæ ſacrificia celebrare ſe credũt, æmuli ſacerdotum? an ſecum eſſe Chriſtũ, cùm collecti fuerint, opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiã colliguntur? Tales, etiãſi occiſi in cõfeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa diſcordiæ nec paſſione purgatur.

Chriſtus extra Eccleſiã non inueniſe tur.

Hereſis macula nec ſanguine abluitur.

Eſſe martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit. Pacem nobis Chriſtus dedit; concordes atq; vnanimes eſſe præcepit; dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atq; inuiolata ſeruari mandauit; exhibere ſe non poteſt martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem.

Chriſtus nos cõcordes eſſe pr. cepit.

V. *Mortem hæreticis inflictam non eſſe martyrium.*

AVGVSTINVS *lib. 1. contr. Epiſtol. Parme. cap. 7. Tom. 7.* Non ergo quiſquis in aliqua religionis quæſtione fuerit ab Imperatore punitus, martyr efficitur. Neque enim vident, qui talia ſentiunt, in eum ſe locum progredi, vt ipſos etiã dæmones, martyrum ſibi gloriam vendicare poſſe contendant; quia iſtam patiuntur perſecutionem per Imperatores Chriſtianos: vt penè toto orbe terrarum eorum templa euertantur; idôla comminuãtur; ſacrificia ſubtrahantur; qui eos honorãt, ſi deprehenſi fuerint, punian-

Etiam dæmones martyria patiuntur.

Non quæuis perſecutio facit martyrem.

puniantur. Quod ſi dementiſſimum eſt dicere, NON ERGO EX PASSIONE CERTA EST IVSTITIA, SED EX IVSTITIA PASSIO GLORIOSA EST.

VI. *Hæreſes, veluti Sarmenta inutilia, ab Eccleſiis reſcindi.*

IDEM *de Symbol. lib. 1. cap. 5. Tom. 9.* Credimus Eccleſiam Catholicam; Ipſa eſt Eccleſia ſancta; Eccleſia vna; Eccleſia vera; Eccleſia Catholica; contra omnes hęreſes pugnans: pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes ,, de illa exierunt, tanquam Sarmenta ,, inutilia de vite præciſa; ipſa autem ma- ,, net in radice ſua; portæ inferorum non ,, vincent eam.

Eccleſia expugnari non poteſt.

VII. *Diſcordes in religione, ad regnum Dei peruenire non poſſunt.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* AD REGNVM COELORVM NON POTEST PERVENIRE DISCORDIA. Ad præmia

 Chriſti,

Ad præmia Chriſti non pertinent diſcordes.

Chriſti, qui dixit; Hoc eſt mandatum meum, vt diligatis inuicem, quemadmodum dilexi vos; pertinêre non poterit, qui dilectionem Chriſti perfida diſſenſione violauit. QVI CHARITATEM NON HABET, DEVM NON HABET. Beati Ioannis Apoſtoli vox eſt;

1. Ioan. 4.

Deus, inquit, dilectio eſt; & qui manet in dilectione, in Deo manet; & Deus in illo manet.

Cum Deo manere non poſſunt, qui nō ſunt vnanimes in Ecclesia.

CVM Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia vnanimes noluerunt: ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti beſtiis animas ſuas ponãt, NON ERIT ILLA FIDEI CORONA, SED POENA PERFIDIÆ; nec religioſæ virtutis exitus glorioſus; ſed deſperationis interitus. OCCIDI TALIS POTEST, CORONARI NON POTEST.

Sic hæretici ſunt Chriſtiani: vt diabol⁹ ſe Chriſtum mentitur.

Sic ſe Chriſtianum eſſe profitetur, quomodò & Chriſtũ Diabolus ſæpe mentitur; ipſo Domino præmonente & dicente; Multi venient in nomine meo „ dicentes; Ego ſum Chriſtus, & multos „ fallent. Sicut ille Chriſtus non eſt,

quam-

quamuis fallat in nomine illius; ita nec ,,
Chriſtianus videri poteſt; qui non per- ,,
manet in Euangelij eius, & fidei veri- ,,
tate.

VIII. *Hæreticos, niſi ad Eccleſiam Catholicam redeāt, ſaluos eſſe non poſſe.*

AVGVSTINVS *de fide ad Petrum c.39. Tom.3.* Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites; quemlibet hæreticū vel ſchiſmaticum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizatum; ſi Eccleſiæ Catholicæ nō fuerit aggregatus, quantaſcunque eleemoſynas fecerit; etſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit; nullatenus poſſe ſaluari.

Hæreticus extra Eccleſiam nullatenus ſaluari poteſt.

OMNI ENIM homini, qui Eccleſiæ ,,
Catholicæ non tenet vnitàtem; neque ,,
baptiſmus, neq; eleemoſyna, quàmli- ,,
bet copioſa; neq; mors pro Chriſti no- ,,
mine ſuſcepta, proficere poterit ad ſa- ,,
lutē; quamdiu in eo hæretica vel ſchiſ- ,,
matica prauitas perſeuerat, QVÆ DV- ,,
CIT AD MORTEM.

IDEM

IDEM li.4.de Symbolo ad Catechum.c.10.
„ Quiſquis inuentus fuerit ab Eccleſia
„ alienus, alienus quoque erit à numero
„ filiorum Déi. Nec habebit Deum Pa-
„ trem; qui Eccleſiam noluerit habere
„ matrem. Eccleſia mater eſt ſpiritalis:
Eccleſia ſponſa Chriſti eſt, gratia eius dealbata; pretioſo ſanguine dotata. Totum poſſidet, quod à viro ſuo accepit in dote.

IDEM Epiſt.152. ad Donat. QVISQVIS ab Eccleſia Catholica fuerit ſeparatus, quantũlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

EPILOGVS.

I. *Noſtri temporis hæreſes ab antiquis reuocatas eſſe.*

Falſa hæreticorum iactantia.

DIVVS BERNHARDVS *homil.66. in fin. ſup. Cant.* Hæretici ſe dicunt eſſe ſucceſſores Apoſtolorum; & Eccleſiam non habentes, neque

agros

agros, neque poſſeſſiones. Eccleſiam autem habentem agros & poſſeſſiones, non eſſe Chriſti Eccleſiam.

IRRIDENT nos, quòd baptizamus infantes, quòd oramus pro mortuis; quòd ſuffragia Sanctorum poſtulamus. Non credunt ignem purgatorij reſtare poſt mortem; ſed animam à corpore ſolutam, ſtatim vel ad requiem, vel ad damnationem tranſire.

Hęreſes noſtri tẽporis, hæreticorũ antiquorũ inuentum.

ECCLESIAM non cognoſcunt, & idcirco ordinibus Eccleſię detrahunt, inſtituta non recipiunt; Sacramenta contemnunt; mandatis Epiſcoporum non obediunt. Peccatores, inquiunt, ſunt Apoſtolici Epiſcopi, Archiepiſcopi, Presbyteri, & per hoc nec dandis ſacramentis, nec recipiendis idonei &c.

MVLTA quidem & alia huic populo ſtulto & inſipienti, à ſpiritibus erroris in hypocriſi loquentibus mendacia perſuaſa ſunt; nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt: nec authoritatibus corriguntur, quia nõ recipiunt: nec flectũtur ſuaſionibus, quia ſubuerſi ſunt;

Populus ſtultus & inſipiens facilè credit.

ſunt; probatum eſt, mori magis volunt; quàm conuerti; HORVM FINIS INTERITVS; horum nouiſſima incendium manet &c.

Hæreticos innotuiſſe iuuat.

PROINDE non eſt opus multa aduersùs homines ſtultiſſimos, atque obſtinatiſſimos dicere; ſufficit innotuiſſe illos, vt vitentur &c.

Gladio coërcendos.

MELIVS procul dubio foret, quòd coërcerentur gladio illius, qui non ſine cauſa gladium portat; quàm vt multos in ſuos errores traiicere permittantur.

II. *Eadem nunc dogmata eſſe in Eccleſia, quæ à tempore Apoſtolorum ſemper fuerunt obſeruata.*

IOANNES *Driedo lib.4. de Eccleſiaſticis ſcripturis cap.5. In dict. locum D. Bernhardi.* Inſpicientes ergo veteris Eccleſiæ traditionem, & antiquiſſimorum Patrum „ volumina, planè videmus, ſuper præfa„ tis articulis veterem Eccleſiæ doctri„ nam prorſus cum doctrina Eccleſiæ, quæ

Veterem Eccleſiã cũ noſtra cõuenire.

quæ nunc eſt, conuenire, & hiſce in re- ,,
bus faciem ac ſtatũ Eccleſiæ, quæ nunc ,,
eſt, eſſe antiquum Eccleſiæ ſtatum; & ,,
Eccleſiam Chriſtianam per totum or- ,,
bem nunc credere, & obſeruare; ſicut ,,
credidit, tenuit, & obſeruauit Eccleſia, ,,
quæ fuit ante quadringentos annos, cũ ,,
adhuc venerandus ille Doctor Bernhardus, & cæteri ſeculo illo præclariſſimi ſcriptores viuerent; & Eccleſiam eam, quæ tempore Bernhardi erat, ſuper eiſdem articulis credere, tenêre, & docêre: ſicut ipſa obſeruaſſe inuênit totam Eccleſiam Chriſtianam; quę Bernhardum ſexcentos annos anteceſſerat: ſicut erat Eccleſia temporibus Chryſoſtomi, Hieronymi, Ambroſij & Auguſtini; in quorum ſeculis vniuerſa Ecclesia infantes baptizabat; ꝓ defunctis ,, orabat; ſanctos Martyres inuocabat; & ,, in eorum memoria altaria conſtrue- ,, bat; in Miſſa Euchariſtiæ ſacrificium ,, offerebat; vota monaſtica faciebat; ,, aliaq; multa, quæ in hodiernum diem ,, tota ſeruat Eccleſia; quod facilè poteſt ,,

Summa doctrinæ veteris Eccleſiæ de articulis nunc cõtrouerſis.

per-

„ perſpici ex ſcripturis, quas ſinguli ſuis ſeculis poſteritati legēdas tradiderunt, quemadmodum iam in ſequētibus partibus ſumus oſtenſuri.

CÆTERVM Gregorius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, huiuſcemodi res neque è ſuis cerebris confinxerunt, neque recenter tuncè ſcripturis ſacris intellexerunt; ſed in eiſdem articulis crediderunt, tenuerunt & docuerunt; ſicut inuenerant Eccleſiam ante ſe docuiſſe, aſcendendo vſque ad Apoſtolorum tempora, ſecundùm interpretationem Eccleſię intelligentes, ac cōcludentes, IN SCRIPTVRIS NONNVLLA ESSE IMPLICITA ET PRÆSVPPOSITA; quæ ex eiſdem ſcripturis euidenter concludi non poſſunt.

Antiqui Patres ſemper crediderunt vt à maioribus acceperunt.

QVOD planum & manifeſtum nobis erit, ſi ad inuicem conferamus volumina antiquorum Patrum, qui per ſucceſſiones temporum Eccleſiaſtica dogmata, & ſacrarum ſcripturarum interpretationes nobis tradiderunt; qui et ſi luce clara deprehenderint nōnulla

ſcripturæ

Scripturę loca talia eſſe, ex quibus non euidentèr conſequerentur ſententiæ, quas ipſi dabant; tamen imitantes Eccleſiæ traditionem, ita ſunt interpretati, vt ipſorum interpretationes, cum Eccleſiaſtica traditione, ac obſeruatione, conuenirent.

III. *Unde, qui nunc regnat, Sathaniſmus ſuã ſumpſerit originem.*

HOSIVS *Cardinalis de ſectis & hæreſibus noſtri temporis ſub initio.* Qui nunc regnat in multis partibus Germaniæ, & pedetentim etiam in proximas illi terras repere conatur, Sathaniſmus; non aliundè videtur ſumpſiſſe originem, quàm ex his doctrinæ capitibus; cuius author primus fuit Martinus Lutherus, dùm vnuſquiſq; ſibi de doctrina religionis iudicium arrogat; dum arbitratu ſuo Scripturas interpretatur; dum nihil in eis difficile, nihil obſcurum eſſe perſuaſum habet; dum præter eas, nihil recipi; Traditiones autem Sathaniſmus Lutheri.

Patrum prorſus reiici debere cenſet; dum Eccleſiam neque videri, neque cognoſci poſſe credit.

IIII. *Quàm ſeuera huius peruerſitatis ratio à nouatoribus iſtis ſit exigenda.*

TERTVLLIANVS *libro de carne Chriſti.* His, opinor, conſiliis tot originalia inſtrumenta Chriſti delere Marcion auſus eſt; ne caro probaretur. Ex qua, oro te, authoritate? Si propheta es, prænuncia aliquid; ſi Apoſtolus, prædica publicè; ſi Apoſtolicus, cum Apoſtolis ſenti; ſi tantùm Chriſtianus es, crede quod traditum eſt: ſi nihil iſtorum es, meritò dixerim, morere: Nam & mortuus es, qui non es Chriſtianus, nõ credendo, quod creditum Chriſtianos facit; & eò magis mortuus es, quò magis non es Chriſtianus; qui cùm fuiſſes excidiſti, reſcindendo quod retrò credidiſti.

DE CAVENDIS, ABOMINANDISQVE HÆRESIBVS.

LIBER SECVNDVS.

EX RECEPTA FIDEI CATHOLICÆ REGVLA, & diuinis Patrum ſanctionibus.

AD TIT. III.

HAERETICVM hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita; ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt; & delinquit: cùm ſit proprio iudicio condemnatus.

VINCENTIVS LYRINENSIS aduersùs hæreſes.

Hoc apud omnes ferè hæreſes, quaſi ſolenne eſt, ac legitimum; vt ſemper profanis nouitatibus gaudeant; antiquitatis ſcita faſtidiant; & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent. Contrà verò Catholicorum hoc ferè proprium, depoſita ſanctorum Patrum, & commiſſa ſeruare; damnare profanas nouitates.

CAPITVM LIBRI SECVNDI.

CAPVT PRIMVM.

NON oportere nos hæreſes admirari; ſed vitare atq; abominari. 259
I. Ex Tertulliano. 259
II. Ex Cypriano. 261

CAPVT II.

Neque id porrò debere mirum videri, ſi interdum etiam qui prudentes, & fideles, ac rerum Eccleſiaſticarum periti videntur, hæreſi capiantur. 264
I. Non eſſe mirandũ etiam de Confeſſoribus, quoſdam ad hæreſes procedere. 267
II. Cur magni ſæpè viri rerũ in Eccleſia nouarum authores fieri diuinitùs permittantur. 269
III. Quomodò Doctores in Eccleſia recipiendi; & quis verus, ac germanus ſit Catholicus. 272

CAPVT III.

De hæreſib⁹, et hæreticis, vitãdis, atq; fugiẽdis. 273
I. Hæreſes cur tantum poſſint. 273
II. Cum hæreticis nullum conſortium eſſe habendum. 276
III. Hæreticorum perfidiam non timendam, ſed potiùs auerſandam. 279
IIII. Conſilium; vt ſe ab Hæreticorum laqueis ſoluere debeant, qui vel ſimplicitate capti; vel erro-

errore inducti: vel aliqua fallentis aſtutiæ calliditate decepti ſunt. 280

CAPVT IIII.

De iuſto, vel iniuſto veritatis inquirendæ ſtudio. 283

I. *Quàm ſæpe intempeſtiuum quærendi ſtudium; et quæ huius impietatis ſit cauſa.* 283

II. *Nobis, poſt Chriſtum Ieſum, curioſitate opus nõ eſſe; nec inquiſitione poſt Euangelium.* 285

III. *Quid, quãdò, et quouſq; et vbi ſit quærẽdũ.* 287

IIII. *Fidẽ, nõ ex nouis hæreticorũ ſcriptionibus, ſed ex Dei libris diſcendam, & quærendã eſſe.* 289

CAPVT V.

De præcipuo Catholicæ fidei fundamento; & religionis Chriſtianæ origine, ac progreſſu. 290

I. *Quæ ſit ſumma fidei Catholicæ, quam vbiq; incolumem oporteat manere.* 290

II. *Chriſtus primò fidẽ docuit ipſe; deinde Apoſtolos miſit in orbem; vt in ſingulis ciuitatib. cõſtituerẽt Eccleſias, quæ vocatæ ſunt Apoſtolicæ; & à quibus cæteræ mutuò ſumpſerũt doctrinã fidei.* 293

III. *Vnam eſſe primam Eccleſiam, à qua cæteræ ſunt omnes.* 295

IIII. *Quomodò priores Eccleſiæ dicantur Apoſtolicæ.* 295

V. *Quomodò poſteriores Eccleſiæ probentur eſſe Apoſtolicæ.* 297

VI. *Quænã doctrina poſſit hæretica nuncupari.* 298

VII.

VII. *Percurrendas eſſe Eccleſias Apoſtolicas;inter quas principē locū obtinet Eccleſia Romana.* 298

CAPVT VI.

De vera fidei Catholicæ doctrina;ſiue,de armis Catholicorum, quibus omnes omnium hæreſes facilè expugnari,& conuinci queant. 300

I. *Præſcriptio ſeu probatio, quæ doctrina ſit recipienda, vel reiicienda.* 300

II. *Illam doctrinam eſſe veram, quæ tum erat, antequam hæreſes eſſent.* 302

III. *Ordine temporum manifeſtari,quid dominicum & verum,aut extraneū ſit & falſum.* 303

IIII. *Quibus armis Catholicis contra hæreticos ſit vtendum.* 304

V. *Quis ab initio fuerit ordo doctrinæ.* 305

VI. *Iudicium de doctrina fidei ad Epiſcopos,& non ad Imper.aut Reges Chriſtianos pertinere.* 307

VII. *Fidei ac doctrinæ Chriſtianæ duo eſſe præcipua fundamenta.* 310

CAPVT VII.

De Scripturis ſacris. 312

I. *Sacræ Scripturæ quanta ſit authoritas.* 312

II. *Vnde ſciamus,quæ Scriptura ſit Canonica.* 313

III. *Multos eſſe poſſe, eoſq; veros Scripturæ ſenſus.* 314

IIII. *Sacram Scripturā in multis locis ita eſſe profundam,difficilem,& obſcuram,vt ſine interpretatione intelligi non poſſit.* 316

V. *Non iuxta proprij ingenij intelligentiam ſacram Scripturam eſſe legendam.* 317
VI. *Regula, vbi & quibus modis quærenda ſit vera Scripturæ ſacræ interpretatio.* 318
VII. *Sacram Scripturam iuxta eum ſenſum explicandam intelligendamq́ eſſe, quem in communi Doctorum conſenſu tenuit, ac tenet ſancta mater Eccleſia.* 319
VIII. *Hæreticos non eſſe admittendos ad diſputationem de Scripturis; tùm quòd orthodoxis tantùm competit Scripturarum poſſeſſio; tùm quòd ex congreſſibus iſtis plus mali, quàm boni prouenire ſoleat.* 321
IX. *Quo pacto Hæretici ſub diuinæ Scripturæ prætextu, errores ſuos palliare, atque defendere conẽtur.* 324
X. *Quomodò etiam Diabolus diuinæ legis exemplis vti ſoleat.* 326
XI. *Quî reſiſtendum ſit fallaciis Diaboli, & diſcipulorum eius; dum Scripturas allegant.* 328

CAPVT VIII.

De traditionibus. 330
I. *Cùm ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibiq́ ad omnia ſatis ſuperq́ue ſufficiat; quid opus eſt, vt ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur Authoritas?* 330
II. *Traditiones eandem vim obtinere, quam Sacræ habent Literæ.* 331

III. *Euangeliſtas in ſcribendo Euangelio magna ex parte traditionem ſecutos.* 335
IIII. *Quo indicio Traditiones cognoſcantur eſſe Apoſtolicæ; & quæ conſuetudinis vis ſit.* 336
V. *Regulá ſaluberrima, quæ traditiones et cõſuetudines piè in Eccleſiis retineri obſeruariq́ poſſint.* 337
VI. *Conſuetudinem vniuerſalem eſſe traditionem Apoſtolicam.* 338
VII. *Multas concluſiones de fide tenent Chriſtiani abſque Scripturis.* 338
VIII. *Traditionibus Apoſtolorum cur tanta fides adhibenda.* 339
IX. *Traditionum non ſcriptarum eandem eſſe authoritatem, quæ eſt ipſius ſacræ Scripturæ.* 340
X. *Exempla traditionum non ſcriptarum.* 341
XI. *Alia id generis exempla plura ex Tertull.* 342
XII. *Traditionem, veluti depoſitum quoddam, Eccleſiæ committi.* 344
XIII. *Traditione cognita non conuenit ampliùs de re, ſemel tradita, dubitare.* 344

CAPVT IX.

De Regula fidei Catholicæ. 345
I. *Quid cuiq́ tenendum ſit, atq́ credendum.* 345
II. *Quis huius regulæ ſit vſus per quæſtiones.* 346
III. *Exemplũ de vniuerſitate; vbi corrupto membro, ſanitas vniuerſi corporis ſit oppoſita.* 348
IIII. *Exemplũ de antiquitate; vbi nouitatis fraudi, antiquitatis integritas ſit prælata.* 348

V. *Exemplum de conſenſione; quomodò paucorum temeritati vel inſcitiæ ſanctorum Patrũ & vniuerſalis Eccleſiæ decreta ſint præponenda.* 349
VI. *Thomas Staplet. in demonſt. principiorũ Theol. li. 7. c. 1. Ad hanc regulã id potiſſimũ pertinet.* 351
VII. *Quid ſub hac regula contineatur.* 352
VIII. *Hac regula vna facilè oẽs cõfutari hæreſes.* 352
IX. *Hanc regulã fidei ab Apoſtolis ſemper vt validã ad reuocandos vacillantes fuiſſe cõmendatã.* 353
X. *Quibus veluti mediis hæc regula fidei hactenus in Eccleſia ſit conſeruata.* 355
XI. *In quibus potiſſimùm rebus Eccleſiæ vnitas conſiſtat, ac manifeſta appareat.* 356
XII. *Quod Regulæ huius ſit fundamentum.* 359

CAPVT X.

De vniuerſitate doctrinæ Chriſtianæ; ſiue de vniuerſali cognitione religionis veræ, ſecunda regulæ fidei parte, quæ Catholica dicitur Eccleſia. 359
I. *Illã ſolã verã eſſe fidem; veram doctrinam; verã religionẽ; quã paſſim Catholica cõfitetur Eccleſia.* 359
II. *Eccleſiam eſſe veluti quoddam depoſitorium doctrinæ Chriſtianæ.* 361
III. *Quã Eccleſia in hac cuſtodia curam adhibeat; & quãta fide atq; cõſtãtia ipſam tueatur veritatẽ.* 263
IIII. *Cur Eccleſiæ tanta fides ſit adhibenda.* 362
V. *Quæ res ad cognitionẽ veræ illius Eccleſiæ, quæ ſola veritatis veram cõtinet regulã, potiſſimùm pertinere videantur.* 363

CAPVT XI.

Vbi quærẽda ſit Eccleſia vera, vt certò inueniri queat. 363.
I. *In*

I. *In ſacris Scripturis Eccleſiam demonſtrari.* 364
II. *Inuenitur autem & probatur Eccleſia* 365
1. *Ex promiſſis ante legem.* 365
2. *Ex lege.* 367. 3. *Ex Pſalmis.* 367
4. *Ex Prophetis.* 370. 5. *Ex Euangelio.* 373
III. *Quomodò impleta ſint veteris teſtamenti vaticinia, quæ de Eccleſia prædicta fuerunt.* 375
IIII. *Anacephaleôſis ſeu breuis dictorum comprehenſio ac concluſio.* 376

CAPVT XII.

Quæ vera Chriſti ſit Eccleſia illuſtris, & pſpicua; in qua ſola ſit vera fidei doctrina, et religio q̃rẽda. 377
I. *Ab ea Eccleſia ſumendũ eſſe exordiũ, quæ eſt Catholica.* 377
II. *Quid ſit Catholicum.* 377.
III. *Ex eo, quòd Eccleſia dicitur Catholica, eam diſcerni ab omnibus falſis Eccleſiis.* 378
IIII. *Quomodò Eccleſia ſecundùm ſtatum noui Teſtamenti deſcribatur.* 379
V. *Nõ ideò ſic deſcribitur Eccleſia, ꝙ eiuſmodi proprietates nobis ſint cõmodæ; Sed quòd Spiritus S. talẽ promiſerit, & poſteà de facto exhibuerit.* 380
VI. *Quõodò Eccleſia dicatur multitudo collecta.* 381
VII. *Quomodo Eccleſia creuerit per oẽs gentes.* 381
VIII. *Quomodò Eccleſia ſit perpetua.* 382
IX. *Quomodo Eccleſia bonis et malis ſit mixta.* 383
X. *Quomodò mali ſint in Eccleſia.* 384
XI. *Quomodò ſancta ſit Eccleſia.* 384
XII. *Quomodò vna ſit Eccleſia.* 385
XIII. *Vnde Apoſtolica dicatur Eccleſia.* 385

XIIII.

XIIII. *Quomodò firma ſit Eccleſia.* 386
XV. *Prophetia quomodò Eccleſia ſit perpetuò duratura.* 387
XVI. *Eccleſiam errare non poſſe.* 387
XVII. *Extra Eccleſiam nulli ſpem certam ſalutis eſſe relictam.* 388
XVIII. *In qua Eccleſia ſit permanendum.* 389

CAPVT XIII.

De veris aut falſis veræ Eccleſiæ notis, ex demonſtratione Principiorum Thomæ Stapletoni inſignis Angliæ Theologi. 390
I. *Quàm Proteſtantiũ Theologi in aſſignandis Eccleſiæ notis varij ſint, & inconſtantes.* 390
II. *Cur neq; hæ duæ, eo ſenſu, quo aduerſarij volũt, legitimæ ſint veræ Eccleſiæ notæ.* 392
III. *Quæ D. Auguſtini hac de re ſit ſententia.* 396
IIII. *Octaua ratio. Quòd Proteſtantium notæ, neque ipſorum iudicio ſunt certæ.* 398
V. *Eccleſiam ſic debere deſcribi, vt ab omnibus cognoſcatur.* 400
VI. *Eccleſiam, vt corpus, ſubſiſtere immediatè per Paſtores, non per ipſam fidem.* 401
VII. *Quales debeant eſſe notæ Eccleſiæ.* 402
VIII. *Quæ ergò certiſſimæ ſint Eccleſiæ veræ notæ.* 402

CAPVT XIIII.

De Conciliis Oecumenicis, quæ Catholicam repræſentant Eccleſiam. 404
I. *Quid Eccleſia Catholica Conciliorum Decretis*

eniſa fuerit. 404
II. *Conciliorum quanta ſit authoritas.* 405
III. *DefinitioniCōcilij legitimi acquieſcēdū eſſe.*406

CAPVT XV.

De antiquitate, ſiue temporū vniuerſitate et perpetua populorum, & Paſtorum ſucceßione, ſecunda nō tantùm Eccleſiæ; ſed etiam religionis, & fidei Catholicæ nota. 407
I. *In religionis dißidio ſemper ad antiquam fidem eſſe recurrendum.* 407
II. *Traditā ſemel, & acceptam antiquitùs credendi regulam diligenter eſſe retinendam, quæ prohibet religioni aliquid addere, mutare, detrahere.* 409
III. *Veram fidei doctrinam in illa tantū eſſe Eccleſia, quæ populorū atq; gentiū cōſenſione cōtinetur.*411
IIII. *Ex Epiſcoporū ſucceßione facilè & ſine periculo cognoſci poſſe, quæ vera ſit Eccleſia, & quæ doctrina Apoſtolica.* 412
V. *Succeſſoribus Apoſtolorum in fidei doctrina tutò credendum; reliquos verò, qui ab hac ſucceßione ſunt alieni, vt Hæreticos eſſe habendos.* 413
VI. *Cùm de aliqua fidei doctrina oritur quæſtio, ad antiquißimas Eccleſias recurrendum eſſe.* 414
VII. *Antiquiorem doctrinam ſeruandam eſſe; nouam reiiciendam.* 415
VIII. *Hæreticos Epiſcopis eſſe poſteriores; & tantò magis à vera via aberrare.* 416
IX. *Hæreticos à veritate diſcedentes, nō eſſe fide, ſed magis contemptu & ſupplicio dignos.* 417

X. *Quo-*

X. *Quomodò hæc Apoſtoli verba; O Timothee, depoſitum cuſtodi &c. ſint intelligenda.* 417
XI. *Applicatio verborum D. Pauli: Deuitans profanas vocum nouitates &c. ad Eccleſiæ Catholicæ doctrinam.* 421
XII. *Hæreticorum falſa dogmata eſſe profanas illas nouitates; quas adeò cauendas eſſe, D. Paulus, tàm ſeriò Timotheo ſuo inculcauit.* 423
XIII. *Quomodò liceat in religione aliqua ad meliorem profectum euehere.* 425
XIIII. *Quæ in hoc profectu tenenda ſit ratio atque regula.* 426
XV. *Catholici profectus exemplum.* 428
XVI. *Quàm è contrà in religionis cauſa periculoſa, atq; adeò pernicioſa ſit, vel minimæ partis abdicatio, mutatio, aut abolitio.* 429

CAPVT XVI.

Contra profanas falſorum dogmatum nouitates. 431
I. *Quàm grauis, & periculoſa ſit antiquæ fidei cum noua religione commutatio.* 431
II. *Quis ſit intellectus verborũ D. Pauli; Etiamſi Angelus de cœlo Euãgelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus &c.* 434
III. *Quæ & quanta ex nouellis adinuentionibus proueniant mala & incommoda.* 436
IIII. *Quomodò D. Ambroſius hæreſum acerbitatem deplorauerit.* 438
V. *Quæ adhuc alia, ex nouitatis ſtudio, mala ſequãtur, & incommoda.* 440

CAPVT XVII.

De ſanctorum Patrum Conſenſione. 442

I. *Quanto ſtudio ſemper ſancti Patres nouellis reſtiterint adinuentionibus.* 442

II. *Sanctorum Patrum conſenſionem nullo modo vnquã deſtrui potuiſſe; ſed huius vi Hæreticorũ pleroſq; ad fidem Catholicam conuerſos eſſe.* 444

III. *Quo nã modo hæreſes ꝓlatis veterũ Magiſtrorũ ſentẽtiis cõcordãtib. depꝛhẽdãtur, et cõdẽnẽtur.* 446

IIII. *Quorum Patrũ ſententias ſequi oporteat.* 448

V. *Patrum conſentientes ſententiæ quantæ ſint authoritatis.* 449 (451

VI. *In reb. fidei poſt Chriſtũ nulli ſoli eſſe credendũ.*

VII. *Antiquos Patres incorruptos eſſe iudices in controuerſiis poſteriorum.* 452

VIII. *Ab Eccleſiæ Doctoribus petendam eſſe Scripturæ interpretationem.* 453

IX. *Sanctos Epiſcopos Hæreticorum profanis nouitatibus anteponendos.* 454

X. *Auguſtinus & Hilarius ab Hæreticis prouocarunt ad ſanctos Patres.* 455

XI. *Cauſæ cur ſanctorum Patrum iudicium tantùm valeat in doctrina fide.* 456 (459

XII. *Patrũ teſtimonio qui carẽt, Iudæis ſimiles eſſe.*

XIII. *Ad fidem & religionem Patrum Hæreticos, vt ſanentur, redire oportere.* 459

EPILOGVS.

I. *Exhortatio à veteris inertiæ ſomno ad obſeruantiam diuinorum præceptorum.* 460

II. *Dia-*

II. *Diaboli tẽtationes vt vincamus, veſtigiis Chri ſti vincentis inſiſtendũ eſt, id quod non fide tantũ ſed etiã mandatorũ obſeruatione fieri poteſt.* 461
III. *Spei & fidei noſtræ Compendium in iuſtitiæ operib. et mandatorũ obſeruatione conſiſtere.* 463

APPENDIX.

De præſenti Eccleſiæ ſtatu. 466
I. *Piorum huius ſeculi Doctorum Threni aduerſùs nouos Euangelicos et ſectas eorum diſſectas.* 466
II. *Quæ & qualia in Germania ſint inter iſtos Nouatores diſsidia.* 473
III. *Quanti momenti ſint ea, de quibus Hæretici nunc temporis à ſe inuicem diſsident.* 475
IIII. *Euangelicorum diſsidia de confeſsione Auguſtana.* 479
V. *Quomodò ſectarum ſingularum Doctores ipſi inter ſe diſſentiant.* 484
VI. *Polonicorum Euangeliſtarum diſsidium.* 490
VII. *De confeſsionum confuſione.* 494
VIII. *Quòd hæc aliq temerè conẽtur excuſare.* 498
IX. *Quid ex hac tanta tamq; furioſa Hæreticorum diſſenſione ominari liceat.* 500
X. *Quæ ſit facillima verum à falſo diſcernendi ratio.* 503
XI. *Tutiſsima Hæreticos ad Eccleſiam reducendi via.* 503
XII. *Compendium veritatis.* 505
XIII. *Quæ in ſumma, certiſsima ſit hæreſeos nota.* 505

PRÆ-

QVAE CONTINET SVMMAM LIBRI SECVNDI AD INFOELICES NOVARVM RELIGIONVM admiratores,

DE

FIDEI CATHOLICÆ CONSTANTIA, SIVE CERTITVDINE: ET IMMORTALI gloria eorum, qui hoc flagranti religionis diſſidio non mouentur.

MVLTO nunc difficiliorem eſſe pugnam, qua nos hodiè noui nouarũ religionum adgrediuntur inuẽtores; ac fuerit illa, quam olim Eccleſia Catholica à veteribus iſtis Chriſtianorum ſuſtinuit perſecutoribus: rectè D. Hilarius ſenſit in eo ſcripto, quod contra Conſtantium Imperatorem edidit, iam vita defunctum. Nam vt Chri- Matth. 10.
ſtus ipſe non tam illos metuendos eſſe docuit, qui corporis quidem habent poteſtatem, animæ verò nihil obeſſe poſſunt; ſed potiùs eum, qui & animam & corpus perdere poſſit inge-

 hen-

Hilarius ad Conſtantiũ Imperat. vita defunctũ. Hier. in Eſa. lib. 15 c. 57. Daniel. 3. Luc. 23.

hennam: ita ſanctiſſimi Dei martyres non calentem eculeum pertimeſcendum eſſe putabant ei, qui Eſaiam ſciret diſſectũ; non ignes, inter quos Hebræos pueros cantaſſe meminiſſet; nec crucem & fragmenta crurũ, poſtquam in paradiſum tranſlatum latronem recordaretur; nec profundum maris, & Pontici æſtus abſorbentem Rhemam; cùm per Ionam & Paulum didicerit, fidelibus etiam in mari eſſe vitam. Aduersùs enim abſolutos Dei hoſtes fœlix illud fuit certamen, quòd nullũ dubium relinqueretur, quin perſecutores eſſent, qui ad negandum Deum pœnis, ferro, igni compellerent, neq; ad teſtificandum plus ſe Chriſto, quàm mortes ſuas licêret impendere.

Ioan. 1. & 2. Actor. 27. 2. Cor. 11.

Hæretici perſecutores tal lentes.

At nunc, inquit, pugnamus contra perſecutorem fallentem; cõtra hoſtem blandientem; contra Conſtantium, Antichriſtum; qui non dorſa cædit, ſed ventrem palpat: non proſcribit ad vitam, ſed ditat in mortem: non tradit carceri ad libertatem, ſed intra palatium honorat ad ſeruitutem: non latera vexat, ſed cor occupat: non gladio caput diſſecat; ſed animam auro occidit: non ignes publicè minatur; ſed gehennam priuatim accendit; non

non contendit, ne vincatur; ſed adulatur, vt dominetur: Chriſtum confitetur, vt neget: vnitatem procurat, ne pax ſit; hæreſes comprimit, ne Chriſtiani ſint: ſacerdotes honorat; ne Epiſcopi ſint: Eccleſiæ tecta ſtruit; vt fidem deſtruat. Te in verbis (alloquitur autē Deū) te in ore circumfert, & omnia omninò agit, ne tu vt Deus, ita Pater eſſe credaris.

Hæretici Chriſtum fatētur ore, vt negent factis.

Vt autem tantò rectiùs hæc omnia caueri, eóque facilius hæreticorum fraudes euitari queant, diligēter hic inprimis aduertendum puto, ea, quæ ſacri Eccleſiæ Scriptores, de hæreſûm progreſſu, & incommodo plerunque non leuiter conqueruntur, his quatuor ferè contineri modis atque rationibus. Nam aut 1. *hæreſûm vim atque potentiam magis, quàm par ſit, admirantur homines; aut perfidiam* 2. *hæreticorum nimis metuunt; aut æquo faciliùs ex doctorum hominum lapſu permouen-* 3. *tur; aut eam, quæ hinc prouenit, peſtem & interitum ſegniùs obſeruāt; ſed velut rem ani-* 4. *maduerſione non vſque adeò dignam negligunt, atq; contēnunt. Verū quàm hæc omnia publicæ tranquillitati ſint pernicioſa, & quæ hinc ferè ſemper eueniant mala, id ex præcla-*

A quibus veritatis ſtudioſo cauendum ſit.

Quatuor abiurda.

ris grauiſſimorum virorum monumentis facilè demonſtrari poterit.

Abſurdum primum.

Nam quod primùm ad illos pertinet, qui hæreſes mirari magis, quàm vitare ſolent, eos non piè minùs, quàm verè reprehendit aliquando antiquiſſimus author Tertullianus, quòd hac ratione malum hoc non parum augeri, & (quod intolerabilius eſt) etiam approbari videatur. Neq; enim quòd ſint, neq; item quòd obſint, ac fidem quorundam ſubuertant, admiratione dignum eſſe: cùm futuræ prænunciarentur, & ad hoc eſſe permitterentur; vt fides habendo tentationem, haberet etiam probationẽ; & qui probati ſunt, manifeſti fierent in nobis.

Tertullian. de præſcrip. hæreticorũ ſtatim in principio.

Cor. 11.

Hereſeos ſcãdalum vitandum.

Variè ergo (inquit) & inconſideratè plerique hoc ipſo ſcandalizantur, quòd tantùm hæreſes valeant, quantùm non valérent, ſi nõ fuiſſent: quum quod ſortitum eſt, vt omni modo ſit, ſicut cauſam accipit ob quam ſit: ſic vim conſequitur per quam ſit, ne eſſe non poſſit. Febrem deniq; inter cæteros, mortiferos, & cruciarios erogando homini deputatam, neq;, quia eſt miramur; eſt enim: neque quia erogat hominem, ad hoc enim eſt.

Simile.

Nihi

Nihil verò valebunt hæreſes, ſi illas tantùm valêre, homines non mirentur. Aut enim, dum mirantur, in ſcandalum adminiſtrantur; aut quia ſcandalizantur, ideò mirantur, quòd tantùm valeant, quaſi ex aliqua veritate veniant. Nec mirum ſit omnino, quòd malum vires ſuas habeat; cùm hæreſes apud eos tantùm adeò valeant, qui in fide non valent; quam ſi rectè tenerent, hæreſes facilè omnes conuincerent reiicerentq́ue.

Sic deinde neque perfidiam hæreticorum metuendam; ſed potiùs auerſandam eſſe, ex eiſdem penè rationibus, D. etiam Cyprianus conſtanter affirmat. *Non tamen nos moueat, inquit, aut turbet multorum nimia & abrupta perfidia, ſed potiùs fidem noſtram, prænunciante rei veritate, corroboret. Vt quidam tales eſſe cœperunt, quia hæc anteà prædicta ſunt: inſtruente Domino & dicente: vos autem cauête; ecce prædixi vobis omnia. Vitate, quæſo vos, eiuſmodi homines, & à látere, atq; auribus veſtris pernicioſa colloquia (cum hæreticis puta) velut contagium mortis arcête; ſicut ſcriptum eſt; ſepi aures tuas ſpinis; & noli audire linguam nequam. Cor-*

Secundum abſurdum.

Cyprian. de vnitat. Eccleſiæ.

Matth. 24 Marc. 13.

Eccle. 28.

1.Cor.15. *rumpunt enim ingenia bona confabulationes peſſimæ. Vnde ab eiuſmodi recedendum* Matth.15. *eſſe Dominus admonet: Cæci ſunt (inquit) & duces cæcorum. Cæcus autem, ſi cæcum ducat, ambo in foueam cadent. Auerſandus itaque talis eſt, atque fugiendus, quiſquis* Tit.3. *fuerit ab Eccleſia ſeparatus. Nam & peruerſus eſt eiuſmodi & peccat; & à ſeipſo eſt damnatus.*

Proinde (vt ad Tertullianum noſtrum redeamus) ſi hæreſes ad languorem & interitum fidei productas expaueſcimus, hoc eas poſſe; prius eſt vt expaueſcamus, hoc eas eſſe: Nam & febrem vt malum, & de cauſa, & de potentia ſua, vt notum eſt, abominamur potiùs, quàm miramur; &, quantùm in nobis eſt, præ cauemus, non habentes abolitionem Hereſes mortem inferũt æternam. *eius in noſtra poteſtate. Hæreſes verò mortem æternam & maioris ignis ardorem inferentes, malunt quidam mirari, quòd hoc poſſint, quàm vitare, ne poſſint: cùm habeant deuitandi poteſtatem.*

Tertium abſurdum. AD HÆC *quòd interdum magni etiam viri, qui prudentes & fideles ac rerum maximè periti videntur, hæreſi capiantur; non conce-*

concedit Tertullianus, eos aut prudentes aut fideles, aut vſitatos æſtimandos eſſe, quos hæreſes potuerunt demutare. Licet alioqui, (vt Vincentio Lyrinenſi videtur) magna ſit tentatio, cùm iſte, quem tu prophetam, quem prophetarum diſcipulũ, quem Doctorem & aſſertorem veritatis putes, quem ſumma veneratione & amore complexus ſis; is ſubitò latenter noxios ſubinducat errores; quos nec citò deprehendere valeas, dùm antiqui Magiſtri dúceris præiudicio, nec facilè damnare fas dûcis, dùm Magiſtri veteris impediris affectu: ſed hoc totum, (vt ſanctus Propheta Moyſes teſtatur) ex diuina potentia ideò ſubinde permittitur, quòd tentat nos Dominus; vt palàm fiat; vtrum diligamus eum, an non, in toto corde, & in tota anima noſtra.

Tertullian. de præſcrip. hæretic.

Vincen. Lyrin. aduerſ. prophan. hæreſ. nouitates.

Quibus iterum aſtipulatur D. Cyprianus, dum ait: Nec quiſquam miretur dilectiſſimi fratres, etiam de confeſſoribus quoſdam ad iſta procedere; inde quoque aliquos tam nefanda, quàm grauia peccare. Neque enim cõfeſſio immunem facit ab inſidiis Diaboli, aut contra tentationes & pericula, &

Cyprian. de vnitate Eccleſiæ.

incurſus atque impetus ſeculares, adhuc in ſeculo poſitum perpetua ſecuritate defendit. Cæterùm nunquam in confeſſoribus fraudes, & ſtupra, & adulteria poſtmodum videremus, quæ nunc in quibuſdam videntes ingemiſcimus, & dolemus. Quiſquis ille confeſſor eſt, Salomone maior aut melior, aut Deo charior non eſt, qui tamen, quàm diu in viis Domini ambulauit, tamdiu gratiam, quam à
3.Reg.3. *Domino fuerat cõſecutus, obtinuit. Poſtquàm*
3.Reg.11. *dereliquit Domini viã, perdidit & gratiam Domini.*

Cypria.li.1. Epiſt. 3. ad Cornelium. *Adhuc clariùs & apertiùs multò idipſum alibi etiam idem ediſſerit Cyprianus, Nec quenquam fidelem, inquit, & Euangelij memorem, atque Apoſtoli præmonentis mandata retinentem mouêre debet, frater chariſſime, ſi quidam in extremis temporibus ſuperbi, & contumaces, & ſacerdotum Dei hoſtes, aut de Eccleſia recedunt; aut contra Eccleſiam faciunt; quandò tales nunc futuros &* Matth.24. 2.Timot.3. 2.Petr.2. Iud.in epiſt. vnica. *Dominus, & Apoſtoli eius antè prædixerint. Nec præpoſitum ſeruum deſeri à quibuſdam miretur aliquis, quandò ipſum Dominum magnalia & mirabilia ſumma facientem, & virtu-*

virtutes Dei Patris factorum ſuorum teſtimonio comprobantem, diſcipuli ſui reliquerint. Et tamen ille non increpauit recedentes, aut grauiter comminatus eſt, ſed magis conuerſus ad Apoſtolos ſuos dixit: Nunquid & vos vultis ire? ſeruans ſcilicet legem, qua homo libertati ſuæ relictus, ſibimet ipſi vel mortem appetit, vel ſalutem. Ioan. 6. Liberum arbitrium.

Ex quibus ſanè omnibus perſpicuè ſatis declaratur illud, quod Moyſes ait: Quia ſcilicet, ſi quandò Eccleſiaſticus aliquis Magiſter & ipſe in Prophetarum myſteriis interpretandis Propheta noui quiddam in Eccleſia Dei tentet inducere, ad tentationem id noſtram fieri prouidētia diuina patiatur. Vnde etiam diligenter hîc eſt retinenda eiuſdem Lyrinenſis regula, quæ piè quidem & prudenter admodum monet: Vt omnes ferè Catholici nouerint, ſe cum Eccleſia Doctores recipere; non cum Doctoribus Eccleſiæ fidem deſerere debêre. Deut. 13. Lyrinen. aduerſ. hæreſ.

DENIQVE *licet viri conſtantes his rebus nihil moueri, neq; offendi aut ſcandalo affici debeant, non ſunt tamen hæreticorum fraudes, & doli omninò ſilentio prætereundi, aut* Quartum abſurdum.

contemnendi, ne ex hac negligentia aut vires adquirant, aut pro veritate habeantur; id quod facilè fit, vbi ſeculi huius prudentuli facilè nimis ad omnia conniuêre ſolent. A quo vitio homines Chriſtianos tàm decet eſſe alienos, quàm pio cuique ſalus & vita ſua cordi eſſe debet. Cùm verò contra hunc grauiſſimum hæreſeos morbum remedia ſint plurima, tùm illud omnium eſt facilè primum: vt hæreſes quiſq; veluti ſummum exitiũ, quàm poteſt longiſſimè fugiat; ac ſolam puram et Catholicam ſequatur veritatẽ. Virtus enim eſt, vitium fugere; & ſtultitiâ caruiſſe, ſapientia prima. Quò pertinet ſanè illa diuina & omnibus cognita regula: à malo declinandum primò; ac deinde bona etiam eſſe facienda.

Contra hæreſeos morbum validiſſimũ remedium fuga.

Horat.

Pſal. 33.

ET PRIMO *quidam ad hanc fugam nos non rationes tantùm, ferè infinitæ; ſed ipſa etiam diuinarum literarum mouet authoritas. Cauete, ait Chriſtus, videte, attendite, orate, vigilate. Cauete, inquam, à fermento Phariſæorum, & Saducæorum. Videte, ne quis vos ſeducat. Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis*

Matth. 16.

Matth. 24.

Matth. 7.

mentis ouium. Orate ne intretis in tentationem. Vigilate, orantes omni tempore, ſtantes in fide. Nolite exire; nolite credere; ſed probate ſpiritus, ſi ſint ex Deo: quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc quidem cognoſcitur ſpiritus Dei; vt omnis, qui confitetur IESVM *Chriſtum in carne veniſſe, ſit ex Deo; & omnis ſpiritus, qui ſoluit* IESVM, *ex Deo non ſit. Soluit autem (D. Auguſtino teſte)* IESVM, *qui vel Eccleſiam à capite ſuo Chriſto; vel ſeipſum ab Eccleſia; vel Eccleſiam in ſeipſa ſeparat, ac diuidit.* Matth.26. Luc.21. 1.Cor.16. Matth.24. 1.Ioan.4. Auguſt. in tractat.6. in Epiſt. Ioan.

Eodem modo D. etiam Paulus rogat, vt obſeruemus eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam didicerimus, faciũt; ac ob id declinare iubet ab illis. Huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro nõ ſeruiũt, inquit; ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentiũ. Qui vult etiam, hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionem omninò vitandum eſſe; quòd peruerſus ſit, qui eiuſmodi eſt; & delinquat, ac proprio iudicio ſit condemnatus. Idq́; non ſemel, nec obiter, ſed Rom.16. Tit.3.

ſed ſeriò ferè ſemper Paulum egiſſe, vel ex eo
Galat. 1. *conſtat; quod ad Galatas ſcripſit: Vbi anathemate grauiſſimè perſtringit etiam ſeipſum aut Angelum de cœlo, ſi euangelizet præterquàm, quod anteà euangelizauerat.*

Hereſes quæ ſunt fugiendę.

QVÆ verò cauſæ nos ad hanc hæreſes fugiendi rationem permouêre debeant, & quis in hac fuga retinendus ſit modus, ea omnia latiſſimè in hoc ſecundo Mallei noſtri libro ſancti Patres proſequuntur. Inter quæ poſtremum non eſt, quòd D. Ignatius, B. Ioannis Apoſtoli diſcipulus, hæreſes dicat eſſe inuentionem ſerpentis illius omnium malorum authoris Diaboli; quas ob id cum omni mala ſobole, Simone, videlicet; Menandro, Baſilide; Ebionitis; & Nicolaitis; quaſi non plantationem Dei Patris; ſed maledicti progenies fugiendas præcipit. Diabolus enim (vt D. ait Auguſtinus) cùm Idololatria Chriſtianos fallere non poſſet, lites inter eos immiſit; ſectas multiplicauit; errores ſeminauit; hæreſes inſtituit: quas etiam Tertullianus nihil ab idololatria diſtare iudicauit.

Ignatius in epi. ad Trallianos.
Hæreſis inuentio Diaboli.
Auguſt. in tractat. de vtilitate ieiunij.
Tertull. de præſcriptio. hæret.
Clē. de apo. conſtit. li. 6. cap. 18.
B. Thom. 4. ſent. d. 13. q. 2. art. 2.

Beatus etiam Clemens & poſt eum præclarus Eccleſiæ Doctor D. Thomas conſtanter affir-

affirmant, hæreticos eſſe eos, de quibus ſeuerè Dominus pronunciauit, eſſe Pſeudochriſtos, & falſos Magiſtros, qui in ſpiritum gratiæ blaſphemi fuerunt; & donum eius poſt gratiam contumelioſè aſpernati ſunt: quibus neque in hoc ſeculo, neque in futuro remittitur. Qui nimirùm magis impij ſint, quàm Iudæi; & magis ſine Deo, quàm gentiles, quòd ſummum Deum vniuerſi præſidem blaſphemiis inſectantur; & filium eius conculcant; ac in doctrinam Spiritus ſancti deſpuunt. Hæreſin eſſe peccatum in Spiritũ ſanctum.

Hinc ſanctiſſimi Patres D. Athanaſius, Cyprianus, Ignatius, Auguſtinus & Tertullianus hæreticos Chriſtianos eſſe negant. Alij verò, vt inprimis B. Ioannes Euangeliſta, Hilarius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ambroſius, quod grauius eſt, eos potiùs Antichriſtos dici volunt. Quo nomine ab illis etiam cenſentur omnes ficti Chriſtiani; qui praua nos interpretatione ſeducunt; quibus in vno nomine Chriſti non placet Eccleſiæ Catholicæ ſimplicitas; qui aut ſub laude vituperant; aut inimicitiam apertè exercent. De quib. vide Catechiſ. Caniſij cum author: in principio. 1. Ioan. 4. Hilarius ad Conſtant. Auguſt. Aug. in tractat. 3. in epiſtol. Ioan. Chryſoſt. in expoſ. Pſã. 9. Ambroſ. li. 10. in Lucã cap. 21.

Præterea quàm ingens ac deteſtabile ſit hæreſeos crimen, id etiã variæ tam hæreſûm, Hæreſis qualè & quantũ ſit crimen.

quàm

quàm hæreticorum teſtantur appellationes; quibus & in diuinis literis, & ſanctorum Patrum monumentis mirificè deſcribũtur: vbi hæreſes vocantur plerunque zizania; maledictæ progenies; inuentio Diaboli; fermẽtum Phariſæorum, Pſeudoeuangelium, ſectæ perditionis; abominatio deſolationis; doctrina falſa, adulterata & damnatitia; Bellonæ, Furiæ, blaſphemiæ, infidelitas, Atheiſmus, idololatria, & omnium omninò malorum compendium.

Variæ hæreticorum appellationes. *Hæretici verò ipſi frequenter comparantur aut brutis animalibus, aut rebus inanimis, aut interdum etiam hominibus quidem,*
Matth. 7. *ſed non niſi improbiſſimis, & dicuntur, vt communiter; lupi rapaces, qui ſub vellere ouili inſidiantur gregi Chriſtiano; vulpes item, Cyniphes, ſerpentes, viperæ, & genimina viperarum, Pſeudochriſti; Pſeudoapoſtoli,* Matth. 24.
Pſeudoprophetæ, aduerſarij & inſidiatores, caupones adulteræ doctrinæ, ſeductores &
2. Tim. 3. *corruptores: Homines præterea ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, & incontinentes, immites,*

tes, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatū amatores magis, quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Magiſtri 2. Petr. 2. *etiam mendaces; qui introducunt ſectas perditionis, negantes Dominum, qui eos redēmit, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem; quorum luxurias multi ſequuntur, per quos via veritatis blaſphematur, & qui in fictis verbis de nobis negociantur; quibus iudicium iam olim non ceſſat; & perditio eorum non dormitat. Homines, inquam, (qui* Iud. in epiſt. vnic. *olim præſcripti ſunt in hoc iudicium) impij, Domini noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem & Dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM *negantes: qui in epulis ſuis ſunt maculæ conuiuantes; ſine timore ſemetipſos paſcentes; nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ; fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones; ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.*

Taceo

Taceo hic alia id genus hæreſûm ac hæreticorum attributa penè infinita, cuiuſmodi ex hoc libello vno quibus eſt integrum, aliquot claſſes colligere licebit: quorum ſi quis ſingulorum exactam inueſtiget rationẽ, tantam reperiet totius hæreticæ impietatis colluuiem atque tam horrendã rerum omnium confuſionẽ, vt ea nihil in toto terrarum orbe ſordidam nec impium magis inueniri, aut excogitari queat. Quam abominationem diuinus Propheta Ieremias, ex ore Dei, his aliquandò deplorauit verbis: Obſtupeſcite, in-

Ierem. 2. *quit, cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus: Duo enim mala fecit populus meus; Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, non continentes aquas. Itáque non admirãdæ, ſed fugiendæ ſunt hæreſes; quæ vt ex Tertulliano repoſitum eſt, nihil valebunt, ſi illas tantùm valêre non mirentur homines. Dum enim mirantur, placêre; dum vitantur, diſplicêre incipiunt; atque ſic admirantes cupiunt; à fugientibus verò recedunt. Fuga nempe, multorum malorum optimum eſt remedium.*

QVIS

QVIS autem in hac ipſa hæreſes vitandi fugiendíque ratione ſeruandus ſit modus, id etiam facilè æſtimare poterit, qui eàrum, cùm naturam atque malitiam; tum impietatem & crudelitatem, rectè ſecum expendere voluerit. Nam vti mali cuiuſq; natura hæc eſt, vt eundo vires adquirat: ita hæreſum improba fraudulentia nunquam eſt ocioſa; quæ ſe primùm ceu ſerpens hominum ingerit animis, quò eos decipiat; deinde veluti cancer ſerpit, vt totum hominem inficiat; ac deniq; viperarum more, ruptis animæ viſceribus, erumpit, & infinitas ſecum producit ſectas. Quarum nunc quidem eo vſque progreſſa eſt impietas, vt non ſolùm vniuerſam Dei Eccleſiam crudeliter infeſtare, ſed illius etiam caput Chriſtũ Dominum ipſum ex ſede Maieſtatis ſuæ violenter exturbare conentur. Vnde rectè admodum vir ſanctiſſimus Cardinalis Hoſius, hæreticos crudeliores eſſe ait, ipſis militibus, Chriſtum cruci affigentibus. Venerunt enim, inquit, impij illi, & non fregerunt crura Chriſto; veniſtis vos (hæretici) ſpeciem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes, & dirupiſtis, ac in multas

Quanto ſtudio hæreſei ſint fugiendæ.

Hoſius à diuerſ. Prolego. Brentij.

Q partes

partes cõcidiſtis totum corpus Chriſti vnam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.

Iſtorum certè, ac tantorum malorũ atrocitas facilè indicat, quàm ſedula hîc cura adhibenda ſit homini verè Chriſtiano, vt non obiter, neque leuiter aut ſegniùs hæreſes; ſed
Iren. lib. 3. cap. 3. *ſeriò, ſed citò, ſed ex toto animo fugiat, abiiciatq́;. Cùm ipſi etiam Apoſtoli hæreticos, proteruos ac pertinaces, & fugerint ipſi, & à nobis adeò vitandos eſſe monuerunt, vt eis ne*
Ioan. epi. 2. *quidem,* AVE, *dicendum eſſe putârint. Vnde mirandum eſt ſanè vehementer, vſque adeò nunc propensè aliquos, hæreticis non tantùm fauere, ſed etiam patrocinari, vt in vna non tantùm ciuitate, ſed vna etiam domo, & lecto in vno plures religiones, quantumuis contrarias atque diſſectas, æquanimiter omninò ferendas ac tuendas eſſe contendant. In eo quidem hæreticis (qui id permittendum eſſe ſæpe negant ipſi) tantò iniquiores, quantò magis Deus Opt. Max. tantam impietatem abominatur.*

Perfectæ ſapientiæ gradus. *Atque hæc ſunt, quæ de primo ſapientiæ gradu præfari oportuit, qui propriè in erro-*

ris

ris declinatione conſiſtit: ſecundus verò gradus, qui ad perfectam tendit ſapientiam, potiſſimùm in eo nunc verſatur; vt repudiata prorſus omni hæreſum falſitate, animum noſtrum ad veritatis rationem cognitionemq́; conuertamus. Cuneo enim veritatis (vt ait Tertullianus) facilè omnis extruditur hæreſis; verùm quando etiam D. Hilario teſte non rarò mendacij authoritas ab ipſa ſumitur veritate, quam variè hactenus Diabolus æmulatus eſt, eamq́; affectauit aliquandò defendendo concutere; rurſus cauendum hìc eſt ſummoperè, ne quis ſub veritatis imagine decipiatur. Quod euitabit dubio procul commodiſſimè, ſi duarum rerũ meminiſſe velit: Primum eſt, vt intelligat, vnam duntaxat veritatis eſſe viam, qua incedendum eſſe præſcribit Eſaias, ne declinemus, vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram. Alterum verò eſt, vt certò quiſque apud ſe ſtatuat, hanc viam non alibi rectiùs quæri, aut inueniri poſſe, quàm in illa vnica, vera, ſancta, Catholica & Apoſtolica Eccleſia; in quam Apoſtoli doctrinam ſuam omnem, velut in ditiſſimum quoddam depoſitorium contulerunt.

Tertull. lib. 4. aduerſ. Marcio.

Hilar. lib. 7. de Trinitat.

Tertull. aduerſ. Prax. in principio.

Eſai. 30.

Iere. li. 3. c. 4.

Vnde quilibet homo Chriſtianus pro ſuo captu vſuq́ tantùm haurire poſsit; quantùm ad ſuam inſtructionem ſalutemque ſit neceſſarium.

Iam verò, ſi quis hæc paulò explicatiùs dici, ac porrò id etiam intelligere cupiat, vbi nunc illa ſit Eccleſia, ex qua potiſsimùm veritas ſit repetenda, vel quæ certa ſit eius inquirendæ ratio, & quædam quaſi norma aut regula; qua per ſe quiſq́ ſine dubio cognoſcere poſsit, quid cuiq́ homini tenendum ſit, atq́ credendum: is hac de re vno verbo audiat Vincentium Lyrinenſem:

Certiſsima fidei Catho. REGVLA.

In ipſa, inquit, Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Quæris quomodo id fiat? audi porrò: ſed hoc ita demum fit; ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Si verò ne id quidem capis, audire pergas: Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hãc vnam fidem veram eſſe fateamur; quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia. Antiquitatem verò ita; ſi ab his nullatenus ſenſibus

Vincen. Lyrinẽ. aduerſ. prophanas hæreſ. nouitates.

Veri cultus nota.

1. Vniuerſitas.

2. Antiquitas.

ſenſibus recedamus; quos ſanctos Maiores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiasq́; ſectemur. 3.Cōſenſio.

Nam hæ ſunt non tantùm Eccleſiæ ſed etiam fidei, religionis, doctrinæ & omnis adeò pietatis certiſſimæ notæ, quibus hæreticorum laquei facilè cognoſci & vitari queant. Illa enim ſola eſt vera fidei ac religionis doctrina, quæ vniuerſalis eſt; quæ perpetua eſt; & quæ omnium populorum conſenſu primùm recepta; poſtea verò ad nos etiam propagata, & longiſſima temporis præſcriptione confirmata eſt. Quo fieri videmus, vt quocunque ſe vertant hæretici, nunquam tamen ſuam Synagogam veram eſſe Eccleſiam, efficere poſſint.

Nam primùm quòd Catholica debeat eſſe, ſancta Dei & vnica illa Eccleſia, quæ veram profitetur fidem atque religionem, iam olim in Spiritu ſancto prævidit Regius Propheta David: Exaltatus eſt, inquit, ſuper omnes Eccleſiā eſſe vniuerſam credentium multitudinem viſibilē & cōſpicuā. Pſal.56.

Q 3 cælos

cælos Deus noſter, & ſuper omnem terram gloria eius. Si ergo credimus primam huius vaticinij conditionem expletam eſſe, Chriſtumq́; Dominum ſedere nunc ad dexteram Patris; quæ veſania eſt, aut impietas, quæſo, non illud etiam velle concedere, gloriam eius nunc ſuper omnem terrram eſſe diffuſam? Eiuſmodi enim cæcitatem olim etiam Diuus Auguſtinus exprobrauit ſuorum temporum ſectis, inprimis Donatiſtarum. O hæretica inſania, inquit, quod non vides, credis mecum: quod vides, non credis mecum. Credis, credis mecum exaltatum CHRISTVM *ſuper cælos, quod non vidimus: & negas gloriam eius ſuper omnem terram, quod videmus.*

August. de vnitate Ecclesiæ ca.6.

Vbi hoc agit Auguſtinus, vt veram Chriſtus Eccleſiam probet illuſtrem & conſpicuam credentium eſſe multitudinem, à ſolis ortu ad occaſum vſque, fidei ſplendore toto orbe diffuſam; cuius cor vnum & anima ſit vna; eamq́; nullibi rectiùs quæri aut inueniri poſſe, quàm in ſacris Bibliorum libris. Vt is non tantùm ex legibus, Pſalmis & Prophetis diuinis;

uinis, ſed etiam Apoſtolicis ſcriptis ad longum demonſtrat in eo libro, quem de Eccleſiæ vnitate ſcriptum reliquit.

Ex Euangelio certè conſtat apertè, hanc Eccleſiam ſolam eſſe eam fidelium ſocietatem, ad quam Dominus omnes fidei controuerſias dirimendas remiſit; & quam ſub anathematis nota ſemper audiendam eſſe præcepit. Quæ cùm diuinitùs ſit conſtituta; miraculis aucta; ſpe nutrita; & variis fidei Sacramentis perfecta; ac ob id etiam ſola habeat à Chriſto Domino ſponſo & capite ſuo iſtam promiſsionem; quòd eam nunquam deſerere, ſed ei ad extremum vſque diem ſemper adeſſe, Spiritumq́; ſuum ſanctum mittere velit, qui eam in omnem ducat veritatem; mirum ſanè videri non debet, quòd Eccleſia deficere non queat; quòd fallere neſciat; quòd errare non valeat; quòd ſine hac nemo ſanus, nemóque beatus dici aut haberi poſſit. Matth. 18. Ioan. 14. Matth. 28. Ioan. 16.

Quarè, vt olim Diuus Auguſtinus non audiendos monuit eos, qui Sanctam Eccleſiam, quæ vna & Catholica eſt, negabant per

contemnendi, ne ex hac negligentia aut vires adquirant, aut pro veritate habeantur; id quod facilè ſit, vbi ſeculi huius prudentuli facilè nimis ad omnia conniuère ſolent. A quo vitio homines Chriſtianos tàm decet eſſe alienos, quàm pio cuique ſalus & vita ſua cordi eſſe debet. Cùm verò contra hunc grauiſſimum hæreſeos morbum remedia ſint plurima, tùm illud omnium eſt facilè primum: vt hæreſes quiſq; veluti ſummum exitiũ, quàm poteſt longiſſimè fugiat; ac ſolam puramet Catholicam ſequatur veritatẽ. Virtus enim eſt, vitium fugere; & ſtultitiâ caruiſſe, ſapientia prima. Quò pertinet ſanè illa diuina & omnibus cognita regula: à malo declinandum primò; ac deinde bona etiam eſſe facienda.

Contra hæreſeos morbum validiſſimũ remedium fuga.

Horat.

Pſal. 33.

ET PRIMO *quidam ad hanc fugam nos non rationes tantùm, ferè infinitæ; ſed ipſa etiam diuinarum literarum mouet authoritas. Cauete, ait Chriſtus, videte, attendite, orate, vigilate. Cauete, inquam, à fermento Phariſæorum, & Saducæorum. Videte, ne quis vos ſeducat. Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis*

Matth. 16.

Matth. 24.

Matth. 7.

mentis ouium. Orate ne intretis in tentationem. Vigilate, orantes omni tempore, ſtantes in fide. Nolite exire; nolite credere; ſed probate ſpiritus, ſi ſint ex Deo: quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc quidem cognoſcitur ſpiritus Dei; vt omnis, qui confitetur IESVM *Chriſtum in carne veniſſe, ſit ex Deo; & omnis ſpiritus, qui ſoluit* IESVM, *ex Deo non ſit. Soluit autem (D. Auguſtino teſte)* IESVM, *qui vel Eccleſiam à capite ſuo Chriſto; vel ſeipſum ab Eccleſia; vel Eccleſiam in ſeipſa ſeparat, ac diuidit.* Matth. 26. Luc. 21. 1. Cor. 16. Matth. 24. 1. Ioan. 4. Auguſt. in tractat. 6. in Epiſt. Ioan.

Eodem modo D. etiam Paulus rogat, vt obſeruemus eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam didicerimus, faciūt; ac ob id declinare iubet ab illis. Huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro nō ſeruiūt, inquit; ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentiū. Qui vult etiam, hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionem omninò vitandum eſſe; quòd peruerſus ſit, qui eiuſmodi eſt; & delinquat, ac proprio iudicio ſit condemnatus. Idq́; non ſemel, nec obiter, Rom. 16. Tit. 3.

ſed

ſed ſeriò ferè ſemper Paulum egiſſe, vel ex eo
Galat. 1. *conſtat; quod ad Galatas ſcripſit: Vbi anathemate grauiſſimè perſtringit etiam ſeipſum aut Angelum de cœlo, ſi euangelizet præterquàm, quod anteà euangelizauerat.*

Hereſes quare fugiendæ. *QVÆ verò cauſa nos ad hanc hæreſes fugiendi rationem permouêre debeant, & quis in hac fuga retinendus ſit modus, ea omnia latiſſimè in hoc ſecundo Mallei noſtri libro ſancti Patres proſequuntur. Inter quæ poſtremum non eſt, quòd D. Ignatius, B. Ioannis Apoſtoli diſcipulus, hæreſes dicat eſſe inuentionem ſerpentis illius omnium malorum authoris Diaboli; quas ob id cum omni mala ſobole, Simone, videlicet; Menandro, Baſilide; Ebionitis; & Nicolaitis; quaſi non plantationem Dei Patris; ſed maledicti progenies fugiendas præcipit. Diabolus enim (vt D. ait Auguſtinus) cùm Idololatria Chriſtianos fallere non poſſet, lites inter eos immiſit; ſectas multiplicauit; errores ſeminauit; hæreſes inſtituit: quas etiam Tertullianus nihil ab idololatria diſtare iudicauit.*

Ignatius in epi. ad Tralianos.
Hæreſis inuentio Diaboli.
Auguſt. in tractat. de vtilitate ieiunij.
Tertull. de præſcriptio. hæret.
Clē. de apo. conſtit. li. 6. cap. 18.
B. Thom. 4. ſent. d. 13. q. 2. art. 2.

Beatus etiam Clemens & poſt eum præclarus Eccleſiæ Doctor D. Thomas conſtanter affir-

affirmant, hæreticos eſſe eos, de quibus ſeuerè Dominus pronunciauit, eſſe Pſeudochriſtos, & falſos Magiſtros, qui in ſpiritum gratiæ blaſphemi fuerunt; & donum eius poſt gratiam contumelioſè aſpernati ſunt: quibus neque in hoc ſeculo, neque in futuro remittitur. Qui nimirùm magis impij ſint, quàm Iudæi; & magis ſine Deo, quàm gentiles, quòd ſummum Deum vniuerſi præſidem blaſphemiis inſectantur; & filium eius conculcant; ac in doctrinam Spiritus ſancti deſpuunt. Hæreſin eſſe peccatum in Spiritū ſanctum.

Hinc ſanctiſſimi Patres D. Athanaſius, Cyprianus, Ignatius, Auguſtinus & Tertullianus hæreticos Chriſtianos eſſe negant. Alij verò, vt inprimis B. Ioannes Euangeliſta, Hilarius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ambroſius, quod grauius eſt, eos potiùs Antichriſtos dici volunt. Quo nomine ab illis etiam cenſentur omnes ficti Chriſtiani; qui praua nos interpretatione ſeducunt; quibus in vno nomine Chriſti non placet Eccleſiæ Catholicæ ſimplicitas; qui aut ſub laude vituperant; aut inimicitiam apertè exercent. De quib. vide Catechiſ. Caniſij cum author. in principio. 1. Ioan. 4. Hilarius ad Conſtant. Auguſt. Aug. in tractat. 3. in epiſtol. Ioan. Chryſoſt. in expoſ. Pſa. 9. Ambroſ. li. 10. in Lucā cap. 21.

Præterea quàm ingens ac deteſtabile ſit hæreſeos crimen, id etiā variæ tam hæreſûm, Hæreſis qualε & quantū ſit crimen.

quàm

quàm hæreticorum teſtantur appellationes; quibus & in diuinis literis, & ſanctorum Patrum monumentis mirificè deſcribũtur: vbi hæreſes vocantur plerunque zizania; maledictæ progenies; inuentio Diaboli; fermẽtum Phariſæorum, Pſeudoeuangelium, ſectæ perditionis; abominatio deſolationis; doctrina falſa, adulterata & damnatitia; Bellonæ, Furiæ, blaſphemiæ, infidelitas, Atheiſmus, idololatria, & omnium omninò malorùm compendium.

Variæ hæreticorum appellationes.

Hæretici verò ipſi frequenter comparantur aut brutis animalibus, aut rebus inanimis, aut interdum etiam hominibus quidem, ſed non niſi improbiſsimis, & dicuntur, vt communiter; lupi rapaces, qui ſub vellere ouili inſidiantur gregi Chriſtiano; vulpes item, Cyniphes, ſerpentes, viperæ, & genimina viperarum; Pſeudochriſti; Pſeudoapoſtoli, Pſeudoprophetæ, aduerſarij & inſidiatores, caupones adulteræ doctrinæ, ſeductores & corruptores: Homines præthereà ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, & incontinentes, immites,

Matth. 7. Matth. 24. 2. Tim. 3.

tes, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatũ amatores magis, quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Magiſtri etiam mendaces; qui introducunt ſectas perditionis, negantes Dominum, qui eos redẽmit, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem; quorum luxurias multi ſequuntur, per quos via veritatis blaſphematur, & qui in fictis verbis de nobis negociantur; quibus iudicium iam olim non ceſſat; & perditio eorum non dormitat. Homines, inquam, (qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium) impij, Domini noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem & Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM *negantes: qui in epulis ſuis ſunt maculæ conuiuantes; ſine timore ſemetipſos paſcentes; nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ; fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones; ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.*

2. Petr. 2.

Iud. in epiſt. vnic.

Taceo

Taceo hîc alia id genus hæreſûm ac hæreticorum attributa penè infinita, cuiuſmodi ex hoc libello vno quibus eſt integrum, aliquot claſſes colligere licebit: quorum ſi quis ſingulorum exactam inueſtiget rationẽ, tantam reperiet totius hæreticæ impietatis colluuiem atque tam horrendã rerum omnium confuſionẽ; vt ea nihil in toto terrarum orbe ſordidum nec impium magis inueniri, aut excogitari queat. Quam abominationem diuinus Propheta Ieremias, ex ore Dei, his aliquandò deplorauit verbis: Obſtupeſcite, inquit, cœli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus: Duo enim mala fecit populus meus; Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ; & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, non continentes aquas. Itáque non admirãdæ, ſed fugiendæ ſunt hæreſes; quæ vt ex Tertulliano repoſitum eſt, nihil valebunt, ſi illas tantùm valêre non mirentur homines. Dum enim mirantur, placêre; dum vitantur, diſplicêre incipiunt; atque ſic admirantes cupiunt; à fugientibus verò recedunt. Fuga nempe, multorum malorum optimum eſt remedium.

Ierem. 2.

QVIS

QVIS autem in hac ipſa hæreſes vitandi fugiendíque ratione ſeruandus ſit modus, id etiam facilè æſtimare poterit, qui earum, cùm naturam atque malitiam; tum impietatem & crudelitatem, rectè ſecum expendere voluerit. Nam vti mali cuiuſq; natura hæc eſt, vt eundo vires adquirat: ita hæreſûm improba fraudulentia nunquam eſt ocioſa; quæ ſe primùm ceu ſerpens hominum ingerit animis, quò eos decipiat; deinde veluti cancer ſerpit, vt totum hominem inficiat; ac deniq; viperarum more, ruptis animæ viſceribus, erumpit, & infinitas ſecum producit ſectas. Quarum nunc quidem eo vſque progreſſa eſt impietas, vt non ſolùm vniuerſam Dei Eccleſiam crudeliter infeſtare, ſed illius etiam caput Chriſtũ Dominum ipſum ex ſede Maieſtatis ſuæ violenter exturbare conentur. Vnde rectè admodum vir ſanctiſſimus Cardinalis Hoſius, hæreticos crudeliores eſſe ait, ipſis militibus, Chriſtum cruci affigentibus. Venerunt enim, inquit, impij illi, & non fregerunt crura Chriſto; veniſtis vos (hæretici) ſpeciem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes, & dirupiſtis, ac in multas

Quanto ſtudio hæreſes ſint fugiendæ.

Hoſius àduerſ. Prolego. Brentij.

partes cõcidiſtis totum corpus Chriſti vnam, ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.

Iſtorum certè, ac tantorum malorũ atrocitas facilè indicat, quàm ſedula hîc cura adhibenda ſit homini verè Chriſtiano, vt non obiter, neque leuiter aut ſegniùs hæreſes; ſed
Iren. lib. 3. cap. 3. *ſeriò, ſed citò, ſed ex toto animo fugiat, abiiciatq́ꝫ. Cùm ipſi etiam Apoſtoli hæreticos, proteruos ac pertinaces, & fugerint ipſi, & à nobis adeò vitandos eſſe monuerunt, vt eis ne*
Ioan. epi. 2. *quidem, AVE, dicendum eſſe putârint. Vnde mirandum eſt ſanè vehementer, vſque adeò nunc propenſè aliquos, hæreticis non tantùm fauere, ſed etiam patrocinari, vt in vna non tantùm ciuitate, ſed vna etiam domo, & lecto in vno plures religiones, quantumuis contrarias atque diſſectas, æquanimiter omninò ferendas ac tuendas eſſe contendant. In eo quidem hæreticis (qui id permittendum eſſe ſæpe negant ipſi) tantò iniquiores, quantò magis Deus Opt. Max. tantam impietatem abominatur.*

Perfectæ ſapientiæ gradus. *Atque hæc ſunt, quæ de primo ſapientiæ gradu præfari oportuit, qui propriè in erro-*

ris

ris declinatione conſiſtit: ſecundus verò gradus, qui ad perfectam tendit ſapientiam, potiſſimùm in eo nunc verſatur; vt repudiata prorſus omni hæreſum falſitate, animum noſtrum ad veritatis rationem cognitionemq́ue conuertamus. Cuneo enim veritatis (vt ait Tertullianus) facilè omnis extruditur hæreſis; verùm quando etiam D. Hilario teſte non rarò mendacij authoritas ab ipſa ſumitur veritate, quam variè hactenus Diabolus æmulatus eſt, eamq́ue affectauit aliquandò defendendo concutere; rurſus cauendum hîc eſt ſummoperè, ne quis ſub veritatis imagine decipiatur. Quod euitabit dubio procul commodiſſimè, ſi duarum rerũ meminiſſe velit: Primum eſt, vt intelligat, vnam duntaxat veritatis eſſe viam, qua incedendum eſſe præſcribit Eſaias, ne declinemus, vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram. Alterum verò eſt, vt certò quiſque apud ſe ſtatuat, hanc viam non alibi rectiùs quæri, aut inueniri poſſe, quàm in illa vnica, vera, ſancta, Catholica & Apoſtolica Eccleſia; in quam Apoſtoli doctrinam ſuam omnem, velut in ditiſſimum quoddam depoſitorium contulerunt.

Tertull. lib. 4. aduerſ. Marcio.

Hilar. lib. 7. de Trinitat.

Tertull. aduerſ. Prax. in principio.

Eſai. 30.

Iere. li. 3. c. 4.

Vnde quilibet homo Chriſtianus pro ſuo captu vſq; tantùm haurire poſſit; quantùm ad ſuam inſtructionem ſalutemque ſit neceſſarium.

Certiſsima fidei Catho. REGVLA.

Iam verò, ſi quis hæc paulò explicatiùs dici, ac porrò id etiam intelligere cupiat, vbi nunc illa ſit Eccleſia, ex qua potiſſimùm veritas ſit repetenda, vel quæ certa ſit eius inquirendæ ratio, & quædam quaſi norma aut regula; qua per ſe quiſq; ſine dubio cognoſcere poſſit, quid cuiq; homini tenendum ſit, atq; credendum: is hac de re vno verbo audiat Vincentium Lyrinenſem:

Vincen. Lyrinẽ. aduerſ. prophanas hæreſ. nouitates.

Veri cultus nota.

In ipſa, inquit, Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Quæris quomodo id fiat? audi porrò: ſed hoc ita demum fit; ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Si verò ne id quidem capis, audire pergas: Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hãc vnam fidem veram eſſe fateamur; quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia.

1. Vniuerſitas.

Antiquitatem verò ita; ſi ab his nullatenus

2. Antiquitas.

ſenſibus

ſenſibus recedamus; quos ſanctos Maiores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt. Conſenſionem itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiasq́; ſectemur. 3. Cõſenſio.

Nam hæ ſunt non tantùm Eccleſiæ ſed etiam fidei, religionis, doctrinæ & omnis adeò pietatis certiſſimæ notæ, quibus hæreticorum laquei facilè cognoſci & vitari queant. Illa enim ſola eſt vera fidei ac religionis doctrina, quæ vniuerſalis eſt; quæ perpetua eſt; & quæ omnium populorum conſenſu primùm recepta; poſtea verò ad nos etiam propagata, & longiſſima temporis præſcriptione confirmata eſt. Quo fieri videmus, vt quocunque ſe vertant hæretici, nunquam tamen ſuam Synagogam veram eſſe Eccleſiam, efficere poſſint.

Nam primùm quòd Catholica debeat eſſe, ſancta Dei & vnica illa Eccleſia, quæ veram profitetur fidem atque religionem, iam olim in Spiritu ſancto præuidit Regius Propheta David: Exaltatus eſt, inquit, ſuper omnes Eccleſiã eſſe vniuerſam credentium multitudinem viſibilẽ & cõſpicuã. Pſal.56.

Q 3 cælos

cælos Deus noſter, & ſuper omnem terram gloria eius. Si ergo credimus primam huius vaticinij conditionem expletam eſſe, Chriſtumq́ Dominum ſedere nunc ad dexteram Patris; quæ veſania eſt, aut impietas, quæſo, non illud etiam velle concedere, gloriam eius nunc ſuper omnem terrram eſſe diffuſam? Eiuſmodi enim cæcitatem olim etiam Diuus Auguſtinus exprobrauit ſuorum temporum ſectis, inprimis Donatiſtarum. O hæretica inſania, inquit, quod non vides, credis mecum: quod vides, non credis mecum. Credis, credis mecum exaltatum CHRISTVM *ſuper cælos, quod non vidimus: & negas gloriam eius ſuper omnem terram, quod videmus.*

Auguſt. de vnitate Eccleſiæ ca. 6.

Vbi hoc agit Auguſtinus, vt veram Chriſtus Eccleſiam probet illuſtrem & conſpicuam credentium eſſe multitudinem, à ſolis ortu ad occaſum vſque, fidei ſplendore toto orbe diffuſam; cuius cor vnum & anima ſit vna; eamq́ nullibi rectiùs quæri aut inueniri poſſe, quàm in ſacris Bibliorum libris. Vt is non tantùm ex legibus, Pſalmis & Prophetis diuinis;

uinis; ſed etiam Apoſtolicis ſcriptis ad longum demonſtrat in eo libro, quem de Eccleſiæ vnitate ſcriptum reliquit.

Ex Euangelio certè conſtat apertè, hanc Eccleſiam ſolam eſſe eam fidelium ſocietatem, ad quam Dominus omnes fidei controuerſias dirimendas remiſit; & quam ſub anathematis nota ſemper audiendam eſſe præcepit. Quæ cùm diuinitùs ſit conſtituta; miraculis aucta; ſpe nutrita; & variis fidei Sacramentis perfecta; ac ob id etiam ſola habeat à Chriſto Domino ſponſo & capite ſuo iſtam promiſſionem; quòd eam nunquam deſerere, ſed ei ad extremum vſque diem ſemper adeſſe, Spiritumq́ ſuum ſanctum mittere velit, qui eam in omnem ducat veritatem; mirum ſanè videri non debet, quòd Eccleſia deficere non queat; quòd fallere neſciat; quòd errare non valeat; quòd ſine hac nemo ſanus, nemóque beatus dici aut haberi poſſit.

Matth. 18. Ioan. 14. Matth. 28. Ioan. 16.

Quarè, vt olim Diuus Auguſtinus non audiendos monuit eos, qui Sanctam Eccleſiam, quæ vna & Catholica eſt, negabant per

Auguſtin. de tempore Serm. 131. *orbem eſſe diffuſam; ſed in ſola Africa, hoc eſt in parte aut ſecta Donati pollêre arbitrabantur: ita ſanè minimè decet, nunc audire horum temporum Sectas, quæ nouas ſibi indies fingunt fides, atque religiones; quibus* Auguſt. de vtilitate credendi ca. 7. *ab Authoribus diuerſa imponunt nomina: quæ re vera Catholicæ dici non poſſunt, cùm nec loco, nec tempore, nec moribus, nec doctrina, nec fide, nec religione conueniant; ſed ſexcentas ferè in partes ſint diſſecta.*

Eccleſiæ Catholicæ antiquitas. *Altera æquè illuſtris & perſpicua Eccleſiæ eſt nota, quòd ſit perpetua, hoc eſt, à Chriſto & Apoſtolis, eorumq́ue diſcipulis, viris videlicet Apoſtolicis, eorumq́ue ſucceſſoribus, continua ſerie, ac veluti perpetuo quodam ductu, ad nos vſque ſit profecta. Quam ob cauſam hac in re ſumma ſemper veneranda antiquitati habita eſt fides, authoritas verò maxima. Vnde etiam Tertullianus ex ſimi-* Tertull. de præſcriptio. hæret. *litudine illa Euangelica de ſemine bono & malo, non dubitauit affirmâre, illam veram eſſe fidei doctrinam, quæ tum fuerit, antequam hæreſes eſſent: atque ſic ordine temporum manifeſtari, quid dominicum & ve-*

rum

rum, (cuiuſmodi erat ſemen illud prius bonum) aut quid extraneum ſit & falſum, velutiſemen poſterius zizaniorum, quod inimici homines, hæretici Diaboli inſtinctu, ſuperſeminauerant.

E contrà verò, quàm grauis & periculoſa ſit antiquæ fidei cum noua commutatio, eruditè admodum & piè monuit Vincentius Lyrinenſis. Magno igitur, inquit, metu nobis immutatæ fidei ac temeratæ religionis piaculum pertimeſcendum eſt, à quo nos, non ſolùm conſtitutionis Eccleſiaſticæ diſciplina; ſed etiam cenſuræ Apoſtolicæ deterret authoritas. Scitum enim cunctis eſt, quàm grauiter, quàm ſeuerè, quàm vehementer inuehatur in quoſdam beatus Apoſtolus Paulus, qui mira leuitate nimiùm citò tranſlati fuerant ab eo, qui eos vocauerat in gloriam Chriſti, in aliud Euangelium, quod non eſt aliud: qui coaceruarant ſibi Magiſtros ad ſua deſideria, à veritate quidem auditum auertentes, conuerſi verò ad fabulas habentes condemnationem, quòd primam fidem irritam feciſſent. Vincen. Lyrinẽ. aduerſ. hæreſes. Galat. 1.

Quod cùm poſteà omnibus etiam aliis hæreticis fieret commune, rectè D. Hilarius, inde tandem fidei ſcribendæ innouandæqúe vſum inoleuiſſe affirmat. Qui poſtquam noua potiùs cœpit condere, quàm accepta retinêre; nec veterata defendit; nec innouata firmauit; & facta eſt fides temporum potiùs, quàm Euangeliorum: dum & ſecundùm annos ſcribitur; & ſecundùm confeſſionem baptiſmi nõ tenetur. Vbi nouatores horum temporum varios & pernicioſos, ita graphicè deſcribi, ac ad viuum depingi videmus, vt vix rectiùs aliquid in eos dici poſſit, quàm illud Diui Hieronymi. Quiſquis es, inquit, aſſertor nouorum dogmatum, quæſo te, vt parcas Romanis auribus; parcas fidei, quæ Apoſtolorum ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docêre nos niteris, quod antè neſciuimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? vſque ad hunc diem ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit.

Hilarius ad Conſtant. Auguſtum.

Fides temporum.

Hieron. ad Pammach. & Oceanum de errorib9 Origen.

Pro tertio denique fidei noſtræ firmamento, nouarum religionum amatoribus meritò etiam vniuerſum opponimus conſenſum ſan-

Conſenſio populorum atque gentium.

ctorum

ctorum Eccleſiæ Patrum, qui ſummo ſtudio ſemper iſtis nouellis reſtiterunt adinuentionibus. Intelligebant enim viri prudentes & religioſi, nihil (vt Lyrinenſis ait) rationem pietatis admittere aliud, niſi vt omnia, quæ fide à Patribus accepta forent, eâdem fide filiis conſignarentur: noſq; religionem, non quâ vellemus ducere, ſed potiùs, quâ illa duceret, ſequi oportere; idq; eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ et grauitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à maioribus accepta ſeruare. Vincen. Lyr. aduer. hereſ.

Hanc populorum atque gentium conſenſionem, tanti Maiores noſtri fecerunt ferè ſemper, vt teſtetur Vincentius Lyrinenſis eam nullo modo vnquam deſtrui potuiſſe; ſed huius vi hæreticos ſæpe ad Fidem Catholicam eſſe conuerſos. Vt de ſeipſo etiam D. fatetur Auguſtinus. Multa ſunt, inquit, quæ me in Eccleſiæ gremio iuſtiſſimè tenent. Tenet me conſenſio populorum atq; gentium; tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcēdas oues ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendauit, vſq; ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Ibidem. Aug. aduer. Epiſt. Manichæi, quam vocant fundamenti.

ſacer-

Sacerdotum. Tenet ipſum poſtremò Catholicæ nomen; quod non ſine cauſa, inter tam multas hæreſes ſola obtinuit.

Eſt ſanè, præter hæc omnia, ſumma etiam in diuina Scriptura, in Apoſtolicis item traditionibus, & in ſacris Oecumenicorum Conciliorum ſanctionibus poſita vis, & authoritas; ſed ea ſine Eccleſiæ cenſura & iudicio aut nulla aut certè parum efficax eſſe poteſt. Cùm idem D. Auguſtinus apertè proteſtetur, ſe neque Euangelio facilè crediturum fuiſſe, niſi eum Eccleſiæ mouiſſet authoritas. Quæ certè tam auguſta eſt & ampla, vt in ſe complectatur omnia, quæ ad ſolidam veritatis cognitionem, perfectamq́; ſapientiam & beatitudinem pertinêre videntur.

August. contra Epiſtol. fundamenti cap. 5.

In his enim tribus veluti principiis & fundamentis, vniuerſitate, inquam, antiquitate & conſenſione, vniuerſa continetur fidei Catholicæ REGVLA. *Cuius vis atque ratio omnis in eo præcipuè verſatur, quòd nulla fides, nulla religio, nulla doctrina ſit admittẽda, vel retinẽda; niſi quæ cum Catholica conſpiret Eccleſia; hoc eſt, quæ vbique, quæ ſemper, & quæ ab omnibus ſit ſeruata.*

Cùm

Cùm itaque in toto orbe Chriſtiano, nulla aliâ hominum multitudo, tam illuſtris & conſpicua demonſtrari queat, in qua hæc omnia manifeſtiùs appareant, quàm in antiquiſſima & perpetua Romanæ & Apoſtolicæ ſedis ſucceſſione, certum eſt, omninò eam eſſe illam veram Eccleſiam, ad quam, (vt D. Irenæi verbis vtar) propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio.

Romanam Eccleſiã propter Catholicæ fidei pfeſsionem veram eſſe Eccleſiam.

Quin & illud ſequitur neceſſariò, ad Romanam & non aliam reſpicere hominum ſocietatem, quæcunque ſancti Patres vnquam de vera ſcripſerunt Eccleſia, vt eſt, exempli gratia, illud Auguſtini: Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque ille eſt, Chriſtianus non eſt; qui in Chriſti Eccleſia non eſt. D. item Cyprianus: Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus, adulteræ iungitur; à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur; nec pertinet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt Deum Patrem

Iren. aduerſ. hæreſ. lib. 3. cap. 3.

Auguſt. de temp. 181.

Cyprian. de vnitate Eccleſiæ.

Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem: & alia id generis propè infinita, ex quibus facilè conſtat, quod ſcripſit Euſebius Pont. Romanus: Prima ſalus eſt, rectè fidei regulam cuſtodire; & à Cõſtitutis Patrum nullatenus deuiare.

Epiſt. 3. ad Epiſcopos et Diaconos Tuſciæ & Campaniæ.

QVÆ cùm ita ſint, vt nemo bonus iurè ſaltem negare poſſit, videant nunc iſti nouarum religionum (vt Tertullianus vocat) miriones, quàm nihil ſit in hæreſibus admiratione, nihil laude, nihil fauore; ſed odio potiùs ſed abominatione, ſed perpetua damnatione dignum, atque adeò hæreſes ſemper aut peſte, aut clade quauis magis eſſe fugiendas atque vitandas.

Cognoſcant Nouatorum diſcipuli, eorúmque fautores miſerè decepti, quàm vanam, quàm pernicioſam, quàm execrabilem fecerint commutationem; qua ſe à ſuauiſſima Eccleſiæ vnitate; à certiſſima fidei regula; à ſumma animi tranquillitate, in tot, tamq; horrenda ſectarum portenta, in tantam rerum omnium confuſionem; in grauiſſimum conſcien-

conſcientiæ diſcrimen abduci permiſerint; vnde ſe nullis, neque rationibus, neque conſiliis extricare poſſint vnquam, niſi ad hanc ipſam Catholicam Eccleſiam atque ad eam prorſus redeant fidem ac religionem; quam Romana & Apoſtolica profitetur ECCLESIA, *ſi modò ſani & ſalui eſſe velint.*

Intelligant, ſi ſapiunt, qui adhuc ſtare aut aliquo modo nutare, ac titubare videntur, religionem veram ipſo etiam Diuo Auguſtino teſte, neque in confuſione paganorum; neque in purgamentis hæreticorum; neque in languore ſchiſmaticorum; neque in cæcitate Iudæorum quærendam eſſe; ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici & Orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes: Cùm minimè deceat, nec, ſi D. Irenæo credimus, oporteat quidem adhuc apud alios veritatem quærere, quam facilè eſt ab Eccleſia ſumere; in quam, (vt dictum eſt) Apoſtoli, quaſi in depoſitorium diues pleniſſimè doctrinã ſuam omnem contulerunt.

Auguſt. de vera religione lib. 1. c. 5.

Iren. aduer. hæreſ. lib. 3. ca. 4.

Atten-

Apud nouatores iſtos Eccleſiã eſſe non poſſe.

Attendant porrò hi omnes, quòd ſi has nouas nouorum hominum religiones atque ſectas, cum hac ipſa Catholicæ Fidei regula, cúmque his notis rectè conferant, eas certè ad Eccleſiam veram minimè pertinêre. Vt hîc infrà ex grauiſſimis patebit Sanctorum PATRVM *cenſuris; quæ his duobus continentur libris, cuiuſmodi ferè hæ ſunt.*

Thomas Stapletonus in demonſtratione Principiorum li. 4. c. 7. 8. 9 & 12. cum ſequent.

Quòd nouatores iſti non cum omnibus conueniant gentibus, CHRISTI *nomen profitentibus: quòd non ab Eccleſia Catholica ſed à parte nomen habeant, & recenter exorti ſint: quòd illorum Eccleſiæ non ſint conſpicuæ, niſi ab annis paucis, & careant ſucceſſione: Quòd illorum ſocietas non ſit Apoſtolica: Quòd nullam habeant fidei aut religionis vnitatem: quòd ſeipſos prodant hæreticos eſſe; dum* ECCLESIÆ *alias affingunt notas, quàm quæ vel in Symbolo Apoſtolico; vel in Sacris literis ſunt expreſſæ: dum titulum* CATHOLICÆ *aut negligunt, aut inuertunt, aut derident: dum Eccleſiæ membrorum paucitatem adeò dili-*

diligenter defendunt, dùm durationem Eccleſiæ negant, dùm Eccleſiæ authoritati derogant, dùm hæreſis nomen expungunt, turpitudinem cælant, & ſupplicium damnãt, dùm in conciliis edendis nullam operam nauant, ſed eorum authoritatem conuellunt, dùm de ſeipſis tanquam de parte ſemper loquuntur, dùm ſibi quotidiè ferè nouas & alij alias fingunt confeſſiones, dùm ſingulæ religiones non ab Eccleſia Catholica, ſed à ſuis quæq; Authoribus & ſectis denominantur: dùm eos, qui Catholicam profitentur fidem, velut impios condemnant, ac igne, ferro, exilioq; perſequuntur.

Non hæc contemnant, quæſo, ipſi nouatores, ſed tandem etiam vel cum Phrygibus ſerò ſapiant; & ſecum diligenter expendant, cùm iamdudũ toti orbi proditum cognitumq; ſit, eos infinitos penè grauiſſimos & atrociſſimos alere errores; quàm ob id Deo non de ſua tantũ perfidia, ſed tãta etiam tot animarum iactura, quantam nulla mens humana ſatis poteſt aſſequi, ſeueram aliquando rationem ſint reddituri. Cùm Chriſtus ipſe teſtetur, dũ cæcus cæcum ducit, nihil aliud expectandum

eſſe, quàm vt ambo in foueam cadãt, ac oportêre quidem ſcãdala venire, ſed ei, per quem veniant, ſatius eſſe, vt ingenti appenſa mole, in profundum maris demergatur.

Matth. 18.

Reſtat verò illis vnica ad ſalutem via, vt, niſi proprio iudicio cõdemnari velint, ad tutiſsimum protinus portum Eccleſiæ Catholicæ confugiant. Hanc intueantur, hanc implõrent, in hac adquieſcant, huic & ſe totos, & ſalutem ſuam omnem credere ac committere non dubitent. Quod illis tanta precor animi conſtantia, vt Deus mihi nunquam ſit propitius, ſi non huius rei cauſa pro ſalute illorum, vbi ſit opus, vel cum D. Paulo anáthema fieri, vel etiam mortis diſcrimen ſubire atque ſufferre ſim paratus. Vale.

NON

NON OPORTERE NOS HÆRESES ADMIRARI, SED VITARE.

CAPVT I.

I. *Tertullianus de præſcriptionibus hæreticorum.*

CONDITIO præſentium temporum, fratres, etiam hanc admonitionem prouocat noſtram, non oportere nos admirari ſuper hæreſes iſtas, ſiue quia ſunt; futuræ enim prænunciabantur: ſiue quia fidẽ quorundam ſubuertunt; ad hoc enim ſunt, VT FIDES HABENDO TENTATIONEM, HABERET ETIAM PROBATIONEM. Hæreſum tentatione probatur cuiusq; fides.

VANE ergo & inconſideratè pleriq; hoc ipſo ſcandalizantur, quòd tantùm hæreſes valeant, quantum nõ valerent, ſi nõ fuiſſent; quum quod ſortitum eſt, vt omni modo ſit, ſicuti cauſam accipit ob quam ſit, ſic vim conſequitur, Hæreſum natura.

per quam ſit, ne eſſe non poſſit. Febrem denique inter cæteros mortiferos, & cruciarios exitus erogando homini deputatam, neque quia eſt miramur, eſt enim; neque quia erogat hominem; ad hoc enim eſt.

A ſimili.

Hæreſes ad languorem fidei productæ.

PROINDE ad languorem & interitum fidei productas, ſi expaueſcimus, hoc eſſe poſſe; prius eſt, vt expaueſcamus hoc eas eſſe. Sed enim febrem vt malum, & de cauſa, & de potentia ſua, (vt notum eſt) abominamur potiùs, quàm miramur, &, quantum in nobis eſt, præcauemus, non habentes abolitionem eius in noſtra poteſtate. Hæreſes verò mortem æternam, & maioris ignis ardorem inferentes malunt quidam mirari, quòd hoc poſſint; quàm vitare, ne poſſint; quum habeant deuitandi poteſtatem.

Hereſes mortem æternã inferunt.

CÆTERVM nihil valebunt, ſi illas tantùm valere nõ mirentur. Aut enim, dum mirantur, in ſcandalum ſubminiſtrantur: aut quia ſcandalizantur, ideò mirantur, quia tantùm valeant; quaſi ex

Hæreſes in modicæ infirmeque fidei homines valêre plurimum.

ex aliqua veritate veniant. Mirum ſcilicet, vt malum vires ſuas habeat; NISI QVOD HÆRESES APVD EOS MVLTVM VALEANT, QVI IN FIDE NON VALENT.

IN PVGNA pugilum & gladiatorum (Aliud ſimile.) plerunq; non quia fortis eſt, vincit quis, aut quia non poteſt vinci; ſed quoniam ille, qui victus eſt, nullis virib. fuit; adeò idem ille victor benè valenti poſteà cõparatus, (In fortes nihil.) etiam ſuperatus recedit: Non aliter hæreſes, de quorundam infirmitatibus habent, quòd valent, nihil valentes, ſi in benè valentem fidem incurrant.

II. *Cypria. li.* I. *epiſt.* 3. *ad Cornel.*

NEC quenquam fidelem & Euangelij memorem atque Apoſtoli præmonentis mandata tremente mouere debet, frater chariſſime, ſi quidam in extremis temporibus ſuperbi, & contumaces, & ſacerdotum Dei hoſtes, aut (1. Tim. 2. Hæretici cõtumaces ac Dei ſacerdotum hoſtes.) de Eccleſia recedunt; aut contra Eccleſiam faciunt; quãdò tales nunc futuros & Dominus, & Apoſtoli eius antè præ-

dixerint. Nec præpoſitum ſeruũ deſeri à quibuſdam miretur aliquis, quandò ipſum Dominũ magnalia & mirabilia ſumma facientẽ, & virtutes Dei Patris factorũ ſuorũ teſtimonio comprobantem, diſcipuli ſui reliquerint. Et tamen ille non increpuit recedentes, aut grauiter cõminatus eſt; ſed magis conuerſus ad Apoſtolos ſuos dixit: Nunquid & vos vultis ire? ſeruans ſcilicet legem, qua homo libertati ſuæ relictus, & in arbitrio proprio cõſtitutus ſibimet ipſe vel mortem appetit, vel ſalutem.

Ioan. 6. LIBERVM arbitrium.

Matth. 16. PETRVS tamen, ſuper quẽ ædificata ab eodẽ Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſię voce reſpondens ait; Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credimus, & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui, ſignificans ſcilicet, & oſtendens EOS, QVI A CHRISTO RECESSERINT, CVLPA SVA PERIRE. Eccleſiam tamẽ quæ in Chriſtũ credat, & quæ ſemel id, quod cognouerit, teneat; nunquã ab eo omninò diſcedere, & eos

Super Petrũ ædificata eſt à Domino Eccleſia.

Sua culpa pereunt qui à Chriſto recedunt.

& eos eſſe Eccleſiam, QVI IN DOMO DEI PERMANENT. Plantationē verò plantatam à Deo Patre non eſſe, quos videmus non frumenti ſtabilitate ſolidari, ſed tanquam paleas diſſipātis inimici ſpiritu vētilari: de quibus & Ioan. in Epiſt. ſua dicit: Ex nobis exierūt, ſed non fuerunt ex nobis: Si enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Qui ſint Ecclesia. 1. Ioan. 1.

ITEM Paulus monet nos, cùm mali de Eccleſia pereunt, non moueri, nec recedentibus perfidis fidē minui: Quid enim, inquit, ſi exciderunt à fide quidā eorum, nunquid infidelitas illorum fidē Dei euacuabit? abſit; eſt enim Deus verax, omnis autē homo mēdax. Quod ad nos attinet, conſcientiæ noſtræ conuenit, frater chariſſime, dare operam, NE QVIS CVLPA NOSTRA DE ECCLESIA PEREAT. Si autem qui vltrô, & crimine ſuo perierit, & pœnitentiam agere, atque ad Eccleſiam redîre noluerit, nos in die iudicij inculpatos futuros, qui conſuluimus ſanitati: illos ſolos in pœnis remanſuros, qui noluerunt conſilij noſtri ſalubritate ſanári. Rom. 3. Perfidia hereticorum fides nō minuitur. Pſal. 115. Vt conſcientiam noſtrā aduersùs hereticos tueri poſſimus.

Cõuicia hæreticorũ contemnenda. NEC MOVERE nos debent conuicia perditorum, quò minùs à via recta & à certa regula non recedamus, quandò & Apoſtolus inſtruit dicens: ſi hominibus placerem, Chriſti ſeruus non Galat. 1. eſſem. Intereſt, vtrum quis homines promereri, an Deum cupiat. SI HOMINIBVS PLACETVR, DOMINVS OFFENDITVR. Si verò id enitimur, & elaboramus, vt poſſimus Deo placere: & conuicia & maledicta debemus humana contemnere.

NEQVE ID PORRO DEBERE MIRVM VIDERI, SI INTERDVM ETIAM, QVI prudentes & fideles ac rerum Eccleſiaſticarum periti videntur, hæreſi capiantur.

CAPVT II.

TERTVLLIANVS *de præſcriptionibus hæreticorum.* Solẽt quidem iſti miriones etiam Miriones. de quibuſdam perſonis ab hęreſi captis ędificari in ruinam. Quare vel

vel illa vel ille fideliſſimi, prudentiſſimi & vſitatiſſimi in Eccleſia, in illam partem tranſierunt? Quis hoc dicens non ipſe ſibi reſpondet, NEQVE PRVDENTES, NEQVE FIDELES, NEQVE VSITATOS ÆSTIMANDOS, QVOS HÆRESES POTVERINT DEMVTARE? Et hoc mirum (opinor) vt probatus aliquis retrò poſteà excidat? Saul bonus præ cæteris, liuore poſteà euertitur. Dauid vir bonus ſecundùm cor Domini, poſteà cædis & ſtupri reus eſt. Salomon omni gratia & ſapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. SOLI ENIM DEI FILIO SERVABATVR, SINE DELICTO PERMANERE.

Qui hæreſi capiunt pru dentes & fideles nō eſſe.

Etiam probatos excidere poſſe.

QVID ergo ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi Doctor, ſi etiam martyr lapſus à regula fuerit, ideò hæreſes veritatem videbuntur obtinêre? EX PERSONIS PROBAMVS FIDEM, AN EX FIDE perſonas? Nemo ſapiens eſt, niſi fidelis; nemo maior, nemo Chriſtianus, nemo autem Chriſtianus, niſi

Ex fide probātur perſonæ.

qui ad finem vſque perſeuerauerit. Tu, vt homo, extrinſecùs vnumquemque noſti; putas quod vides: vides autem quouſq; oculos habes. Sed oculi, inq̃t, Dñi alti, homo in faciem, Deus in pręcordia cõtemplatur. Et ideò cognoſcit Dominus, qui ſunt eius, & plantam, quã non plantauit Pater, eradicat: & de primis nouiſſimos oſtendit; & palàm in manu portat ad purgandũ aream ſuam.

Ab Eccleſia non recedũt niſi qui leuis ſunt fidei.

AVOLENT quantùm volent paleæ leuis fidei, quocunque afflatu tentationũ, eò purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur. Nõne ab ipſo Domino quidam diſcentium ſcandalizati diuerterunt? Nec tamen propterea cęteri quoq; diſcedendum à veſtigiis eius putauerunt; ſed qui ſcierunt illum vitæ eſſe verbũ, & à Deo veniſſe perſeuerauerunt in comitatu eius vſq; ad finem: cùm illis ſi vellent & ipſis diſcedere placidè obtuliſſet. Minus eſt, ſi & Apoſtolũ eius aliq̃ Phygelus, & Hermogenes, & Philetus, & Hymenæus reliquerunt: ipſe traditor Chriſti de Apoſtolis fuit.

I. *Non*

I. *Non eſſe mirandum, etiam de confeſſoribus quoſdam ad hæreſes procedere.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Nec quiſquam miretur, dilectiſſimi fratres, etiam de cõfeſſoribus quoſdam ad iſta, inde quoq; aliquos tam nefanda quàm grauia peccare. NEQVE ENIM CONFESSIO IMMVNEM FACIT AB INSIDIIS DIABOLI, aut cõtra tentationes, & pericula, & incurſus atq; impetus ſeculares adhuc in ſeculo poſitũ, ꝑpetua ſecuritate defendit. Cæterũ nunquam in confeſſorib. fraudes & ſtupra, & adulteria poſtmodum videremus, quæ nũc in quibuſdam videntes ingemiſcimus & dolemus. Quiſquis ille confeſſor eſt, Salomone maior, aut melior, aut Deo charior non eſt, qui tamẽ, quamdiu in viis Domini ambulauit, tamdiu gratiã, quã de Dño fuerat cõſecutus, obtinuit. Poſtquã dereliquit Dñi viã, perdidit & gratiã Dñi. Et ideo ſcriptum eſt. TENE QVOD HABES, NE ALIVS ACCIPIAT CORO-

In ſeculo poſiti tentationibus ſubiecti.

Apocal. 3.

CORONAM TVAM. Quod vtiq; Dn̄s nō minareturauferri poſſe coronā iuſtitię, NISI QVIA RECEDENTE IVSTITIA, RECEDAT NECESSE EST ET CORONA.

CONFESSIO fidi. CONFESSIO exordium gloriæ eſt, non meritum iam coronæ; nec perficit laudem, ſed initiat dignitatem, cumq́; ſcriptum ſit; Qui perſeuerauerit vſque

Matth. 10. ad finem, hic ſaluus erit: QVICQVID ANTE FINEM FVERIT, GRADVS EST, quo ad faſtigium ſalutis aſcenditur; nō terminus, quo iam culminis ſumma teneatur. Confeſſor eſt, ſed poſt cōfeſſionem periculum maius eſt, quia plùs aduerſarius prouocatus eſt. Confeſſor eſt, hoc magis ſtare debet cum Domini Euangelio, per Euangelium gloriam

Luc. 12. conſecutus à Domino. Ait enim Dominus; cui multum datur, multū quæritur ab eo; & cui plus dignitatis adſcribitur, plus de illo exigitur ſeruitutis.

NEMO PER confeſſoris exemplū pereat. Nemo iniuſtitiam, nemo inſolentiam, nemo perfidiam de confeſſoris moribus diſcat. Confeſſor eſt, ſit humilis

milis & quietus, ſit in actu ſuo cũ diſci-
plina modeſtus; VT QVI CHRISTI Luc. 18.
CONFESSOR DICITVR, CHRISTVM,
QVEM CONFITETVR, IMITETVR.
Nam cùm dicat ille; qui ſe extollit hu-
miliabitur; & qui humiliat ſe, exaltabi-
tur; & ipſe à patre exaltatus ſit, quia ſe
in terris ſermo & virtus, & ſapiẽtia Dei
Patris humiliauit; quomodò poteſt ex-
tollentiam diligere, qui & nobis humi-
litatem ſua lege mandauit, & ipſe à Pa-
tre ampliſſimum nomen præmio hu-
militatis accepit? Confeſſor eſt Chri-
ſti, ſed ſi non poſteà blaſphemetur ma-
ieſtas & dignitas Chriſti.

II. *Cur magni ſæpe viri, rerum in Eccleſia nouarum authores fieri diuinitùs permittantur.*

*V*INCENTIVS *Lyrinenſis aduerſ. prophanas hæreſum nouitates*. Sed dicet ali-
quis, cur ergo perſæpe diuinitùs ſinun-
tur excellentes quędam perſonę in Ec-
cleſia

cleſia conſtitutæ res nouas Catholicis adnunciare? Recta interrogatio, & digna, quæ diligentiùs atq; vberiùs pertractetur; cui tamen nõ ingenio ꝓprio, ſed diuinæ legis authoritate, Eccleſiaſtici magiſtri documentò ſatisfaciundũ eſt.

AVDIAMVS ergò ſanctũ Moyſen, & ipſe nos doceat, cur docti viri, & qui ꝓpter ſcientiæ gratiã ab Apoſtolo etiam Prophetæ nũcupantur, proferre interdum permittantur noua dogmata, quæ vetus teſtamentũ allegorico ſermone DEOS ALIENOS appellare cõſueuit, eò quòd ſcilicet ita ab hæreticis ipſorum opiniones, ſicut à gentilib. dij ſui obſeruẽtur. Scribit ergo in Deut. B. Moyſes: Si ſurrexerit, inquit, in medio tui Propheta, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat; id eſt, Magiſter in Eccleſia conſtitutus, quem diſcipuli vel auditores ſui ex aliqua reuelatione docêre arbitrentur.

Dij alieni noua dogmata. Deut. 13.

QVID DEINDE? Et prædixerit, inquit, ſignum atq; portentum, & euenerit quod locutus eſt, Magnus profectò neſcio quis ſignificatur Magiſter; & tã-

tæ

tæ ſcientiæ, qui ſectatoribus propriis, non ſolùm, quę humana ſunt, noſſe; verùm etiam, quæ ſupra hominem ſunt, prænoſcere poſſe videatur, quales ferè diſcipuli ſui iactitant fuiſſe Valentinũ, Donatum, Photinum, Apollinarem, cæteroſque eiuſmodi.

Qvid poſtea? Et dixerit, inquit, tibi; eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis. Qui ſunt Dij alieni, niſi errores extranei, quos ignorabas, id eſt, noui & inauditi? Et ſeruiam' eis, id eſt, credam' eis, ſequamur eos.

Dij alieni errores extranei.

Qvid ad extremum? Non audies, inqt, verba Prophetę illius, aut ſomniatoris. Et quare, orò te, à Deo non prohibetur doceri, quod à Deo ꝓhibetur audiri? Quia, inquit, tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima veſtra. Luce clarius aperta cauſa eſt, cur interdũ diuina prouidentia quoſdam Eccleſiarũ Magiſtros noua quædã dogmata prædicare patiatur, vt tentet vos, inquit, Dñs Deus veſter.

NOTA.

Hæreſes cur Deus patiatur.

Et

Tentatio maxima.

ET PROFECTO magna tentatio eſt, cùm ille, quem tu Prophetam, quem prophetarum diſcipulum, quem Doctorem & aſſertorem veritatis putes, quem ſumma veneratione & amore complexus ſis; is ſubitò latenter noxios ſubinducat errores, quos ne citò deprehendere valeas, dum antiqui magiſterij dúceris præiudicio; nec facilè damnare fas dûcis, dum Magiſtri veteris impediris affectu.

Hæretici cur difficilè conuertantur.

III. *Quomodò Doctores in Eccleſia recipiēdi; & quis verus ac germanus ſit Catholicus.*

VINCENTIVS *Lyrinen. aduer. hæreſ.* Magna profectò res & ad diſcendum vtilis, & ad recolendū neceſſaria, quam etiam atque etiam exemplorum molibus illuſtrare, atq; inculcare debemus, vt omnes verè Catholici nouerint, SE
„ CVM ECCLESIA DOCTORES RECIPE-
„ RE, NON CVM DOCTORIBVS ECCLE-
„ SIÆ FIDEM DESERERE DEBERE &C.

QVÆ

Qvæ cvm ita ſint, ille eſt verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit; qui diuinę religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit; non hominis cuiuſpiam authoritatem, nõ amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philoſophiã; ſed hęc cuncta deſpiciens, & in fide fixus & ſtabilis permanens, quidquid vniuerſaliter antiquitùs Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendum decernit; quidquid verò ab aliquo deinceps vno, præter omnes, vel cõtra omnes ſanctos nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad tentationem potiùs intelligat pertinere. Verus ac germanus CATHOLICVS quis.

DE HÆRESIBVS ET HÆRETICIS VITANDIS ATQVE FVGIENDIS.

CAPVT III.

I. *Hæreſes cur tantum poßint.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Hoc eò fit, fratres dile-
Tria impedimẽta 1. ctiſſimi, dùm ad veritatis
2. originem non reditur; nec
3. caput quæritur; nec Magiſtri cœleſtis doctrina ſeruatur. Quę ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non eſt. PROBATIO EST AD FINEM FACILIS COMPENDIO VERITATIS.

PETRVS caput Eccleſiæ. Matth. 16.

LOQVITVR Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cœlorũ; & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Et iterum eidem poſt reſurrectionem dicit; Paſce oues meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.

Vnus Eccleſiæ paſtor. Ioan. 21.

ET QVAMVIS Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat, & dicat; Sicut miſit

me

me pater, & ego mitto vos, & accipitę Spiritum ſanctũ; ſi cui remiſeritis peccata, remittuntur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur; tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Ioan. 20.

HOC erant vtiq; & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio prędıti & honoris & poteſtatis, SED EXORDIVM AB VNITATE PROFICISCITVR. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur. Primatus Petro cur datus.

QVAM vnam Eccleſiam etiam in Cantico canticorũ Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat & dicit; vna eſt columba mea, perfecta mea; vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. Hanc Eccleſiæ vnitatẽ qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit; qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Cant. 6. Super Cathedrã Petri fundata eſt Eccleſia.

Eccleſia eſſe confidit? quandò & beatus Apoſtolus Paulus hoc idem doceat & ſacramentum vnitatis oſtẽdat, dicens: Vnum corpus, & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ; vnus Dominus, vna fides, vnũ baptiſma, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenêre, & vindicare debemus, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia pręſidemus, vt epiſcopatum quoque ipſum vnum atque indiuiſum probemus.

Sacramentũ vnitatis.

Epheſ. 4.

Epiſcopi in Eccleſia prę ſident.

II. *Cum hæreticis nullum conſortium eſſe habendum.*

AD TIT. 3. Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita; ſciens quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cùm proprio ſit iudicio condemnatus.

ACT. 20. Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quò vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio quia intrabũt, pòſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, nõ parcentes gregi.

Et

Et ex vobis exurgent viri loquẽtes per-
uerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.

2. IOAN. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere in domũ; nec, Aue, ei dixeritis. Qui enim illi dicit, Aue, communicat operibus eius malignis.

IGNATIVS *ad Smyr:* Nefandas verò hæreſes & ſchiſmata facientes fugite, ſicut principatum malorum. Omnes Epiſcopum ſequimini, ſicut Chriſtus Ieſus Patrem; presbyteros ſicut Apoſtolos; Diaconos autem veneramini ſicut Dei mandato miniſtrantes &c.

Videte ergo, *inquit*, malignos operarios, inimicos crucis Chriſti, quorum finis eſt interitus, quorum Deus venter eſt, quorũ gloria in confuſione eorum, videte canes rabidos, ſerpentes ſuper pectus repentes, dracones ſquamoſos, & aſpides, Baſiliſcos, Scorpiones. Hi ſunt θῶες *(hoc eſt lupi ceruarij & mordaces)* vulpes, & ſimiæ humana imitantes &c.

*M*ARTIAL. *ad Toloſ.* Obſeruate eos, qui in hypocriſi loquuntur mendaciũ, vt vos de via veritatis, quam cum Deo elegiſtis, auertant in ſemitas incõgruas iniquitatum, & negligentiæ; & quantò magis per ipſos pulſat oſtium mentis veſtræ Sathanas volens irrumpere intrò, & germen pietatis in vos obruere; eò magis ſolidi in charitate, & firmi in fide, & alacres in ſpe Dei glorię, talibus reſiſtite viriliter, ſcientes quòd pertrãſibunt ſub omni celeritate: quæ vobis contraria ſunt, Deo pro vobis pugnante: permanebunt autem in æternum quæ per gratiam ſpiritus Dei conſtituta ſunt vobis.

*I*RENÆVS *lib.3.cap.3.* Ioannes diſcipulus Domini in Epheſo iens lauari, cùm vidiſſet intus Cerinthum, exiliuit de balneo non lotus, dicens; quòd timeat, ne balneum concidat, cùm intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Et ipſe autem Polycarpus, Marcioni aliquandò occurrenti, & dicenti ſibi; cognoſce nos, reſpondit, cognoſco te primoge-

mogenitum Sathanæ. Tantum Apoſtoli, & horum diſcipuli habuerunt timorem, vt neque verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerãt veritatem, quemadmodum & Paulus ait; hæreticum autem hominem poſt vnam correptionem deuita, ſciens quoniam peruerſus eſt, qui eſt talis, & à ſemetipſo damnatus eſt. Heretici Sathanæ primogeniti filij.

III. *Hæreticorum perfidiam nõ timendam, ſed potiùs auerſandam.*

Cyprianvs *de vnitate Eccleſiæ.* Non tamen nos moueat, aut turbet, multorum nimia & abrupta perfidia; ſed potiùs fidem noſtram, prænunciante rei veritate, corroboret. Vt quidam tales cœperunt, quia hæc antè prædicta ſunt; ita cæteri fratres ab eiuſmodi caueant; quia & hæc antè prædicta ſunt, inſtruẽte Domino & dicente; vos autem cauete, ecce prædixi vobis omnia. Hæretici vitandi. Marc. 13.

Vitate qværso vos eiuſmodi homines, & à latere atque auribus veſtris

perniciosa colloquia, velut contagium
Eccleſ. 28. mortis arcete, ſicut ſcriptum eſt; Sépi
aures tuas ſpinis, & noli audire linguam
1. Cor. 15. nequam. Et iterum; Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ.

DOCET Dominus, & admonet à ta-
Matth. 15. libus recedendum. Cęci ſunt, inquit, & duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens, ſimul in foueam cadent. Auer-
Tit. 3. ſandus eſt talis atque fugiendus quiſquis ab Eccleſia fuerit ſeparatus. Peruerſus eſt huiuſmodi, & peccat, & à ſeipſo damnatus.

IIII. *Conſilium, vt ſe ab hæreticorũ laqueis ſoluere debeant, qui vel ſimplicitate capti; vel errore inducti; vel aliqua fallentis aſtutiæ calliditate decepti ſunt.*

Eccleſia. CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Opto, dilectiſſimi fratres, & conſulo pariter & ſuadeo, vt, ſi fieri poteſt, nemo de fratribus pereat, & CONSENTIENTIS PO-

PVLI

pvli corpvs vnvm gremio svo gavdens mater inclvdat. Si tamen quoſdam ſchiſmatum duces, & diſſenſionis authores, in cæca & obſtinata dementia permanentes, non potuerit ad ſalutis viam conſilium ſalubre reuocare; cæteri tamen vel ſimplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis aſtutię calliditate decepti, à fallacię vos laqueis ſoluite, vagantes greſſus ab erroribus liberate, iter rectum viæ cœleſtis agnoſcite.

Contestantis Apoſtoli vox eſt; præcipimus, inquit, vobis, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt à nobis. Et iterum dicit; Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea venit ira Dei ſuper filios contumaciæ. Nolite ergo participes eſſe eorum. 2.Theſſ.3. Eſai.5.

Recedendvm eſt à delinquentibus, vel imò fugiendum, ne, dum quis malè ambulantibus iungitur, & per iti-

S 5 nera

nera erroris & criminis graditur, à via veri itineris exerrãs, pari crimine & ipſe teneatur. Deus vnus, & Chriſtus vnus, & Eccleſia vna, & fides vna, & plebs in ſolidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. SCINDI VNITAS NON POTEST, nec corpus vnum diſſidio compaginis ſeparari, diuulſis laceratione viſceribus in fruſta diſcerpi.

QVIDQVID A MATRICE DISCESSERIT, SEORSIM VIVERE ET SPIRARE NON POTERIT; ſubſtantiam ſalutis amittit. Monet nos Spiritus ſanctus, &
Pſal. 33. dicit: Quis eſt homo, qui vult vitam, & amat videre dies optimos? Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquãtur inſidioſè. Declina à malo, & fac bonum; quære pacem, & ſequere eam. Pacem quærere debet, & ſequi filius pacis; à diſſenſionis malo continere linguam ſuam debet, qui nouit & diligit vinculum charitatis. Inter ſua diuina mandata & magiſteria ſalutaria paſſioni iam proximus addidit dicẽs: Pacem
Ioan. 14. dimitto vobis, pacem meam do vobis.

HANC

HANC NOBIS hæreditatem Chriſtus dedit; dona omnia ſuę pollicitationis, & præmia in pacis conſeruatione promiſit. Si hæredes Chriſti ſumus, in Chriſti pace maneamus. Si filij Dei ſumus pacifici eſſe debemus. Beati pacifici, inquit, quoniam ipſi filij Dei vocabũtur. Pacificos eſſe oportet Dei filios; corde mites; ſermone ſimplices; affectione concordes; fideliter ſibi vnanimitatis nexibus cohærentes. Matth. 5.

DE IVSTO VEL INIVSTO VERITATIS INQVIRENDÆ STVDIO.

CAPVT IIII.

I. *Quàm ſæpe intempeſtiuũ quærendi ſtudium; & quæ huius impietatis ſit cauſa.*

HILARIVS *ad Conſtantium Auguſtum. li. 2.* Fides deinde quæritur, quaſi fides nulla ſit; fides ſcribẽda eſt, quaſi in

Impia curioſitas. in corde non ſit. Regenerati per fidem, nunc ad fidem docemur: quaſi regeneratio illa ſine fide ſit. Chriſtum poſt baptiſma diſcim⁹, quaſi baptiſma aliquid eſſe poſſit ſine Chriſti fide: emẽdamus, quaſi in Spiritum ſanctum peccaſſe ſit venia. Sed impietatis ipſius hinc vel præcipuè cauſa perpetua eſt, quòd Fidem Apoſtolicam ſeptuplo proferentes, ipſi tamen fidem Euangelicam nolumus cõfiteri: dum impietates noſtras nobis in populis multiloquiis defendimus, & magniloquentię vanitate aures ſimpliciũ verbis fallentibus illudimus; dum euitamus de Domino Chriſto ea credere, quæ de ſe docuit credenda; & per ſpecioſum pacis nomẽ in vnitatem perfidiæ ſubrepimus; & ſub reiiciendis nouitatibus rurſum ipſi nouis ad Deũ vocibus rebellamus, & ſub Scripturarum vocabulo non ſcripta mentimur, vagi, prodigi, impij, dum & manentia demutamus, & accepta perdimus, & irreligioſa præſumimus.

Eius curioſitatis cauſę.

II. *Nobis*

II. *Nobis poſt Chriſtum Ieſum curioſitate opus non eſſe; nec inquiſitione poſt Euangeliũ.*

TERTVLLIANVS *de præſcriptionibus hæreticorum*. Viderint qui Stoicum & Platonicum, & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt. Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Ieſum, nec inquiſitione poſt Euangeliũ. Cùm credimus nihil deſideramus vltra credere. Hoc enim priùs credimus, non eſſe quod vltrà credere debeamus. Chriſtianiſmus. Credere.

VENIO ITAQVE ad illum articulũ, quem & noſtri prætendunt, ad ineundam curioſitatem; & hæretici inculcãt ad importandam curioſitatem. Scriptũ eſt, inquiunt; quærite, & inuenietis. Matth 7. Quando hanc vocem Dominus emiſit, recordemur. Puto in principiis ipſis doctrinæ ſuæ, cùm adhuc dubitaretur apud omnes, an Chriſtus eſſet. Et cùm adhuc nec Petrus illum Dei filium pronunciaſſet; cùm etiam Ioannes de illo certus eſſe deſiſſet. Meritò ergo tunc

dictum

dictũ eſt, Quęrite & inuenietis quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus nõ erat; & hoc quantùm ad Iudæos. Ad illos enim ꝑtinet totus ſermo ſuggillationis iſtius, qui habebant vbi quęrerẽt Chriſtum. Habent, inquit, Moyſen & Heliam, id eſt, legem & Prophetas, Chriſtum prædicantes &c.

Luc. 16.

CEDO NVNC ſponte de gradu iſto, omnibus dictum ſit, q̃rite & inuenietis; tamen & hic expetit ſenſus certę interpretationis gubernaculum. Nulla vox diuina ita diſſoluta & diffuſa, vt verba tantùm defendãtur, & ratio verborum non conſtituatur.

Non tãtum verbis inhærendum.

SED inprimis hoc propono: vnum vtiq; & certum aliquid inſtitutum eſſe à Chriſto, quod credere omni modo debeant nationes; & idcircò quęrere, vt poſſint, cũ inuenerint, credere. VNIVS PORRO ET CERTI INSTITVTI, INFINITA INQVISITIO NON POTEST ESSE: QVÆRENDVM EST, DONEC INVENIAS; ET CREDENDVM, VBI INVENERIS; & nihil amplius niſi cuſtodiendum

Recta quærendi ratio.

dum, quod credidiſti: dum hoc inſuper credis, aliud non eſſe credendũ, ideoq; nec requirendum; cùm id inueneris & credideris, quod ab eo inſtitutum eſt; qui non aliud tibi mandat inquirendũ, quàm quod inſtituit.

III. *Quid, quandò, & quo vſq; & vbi ſit quærendum.*

Idem ibidem: Ratio autem dicti huius (*quærite, & inuenietis*) in tribus articulis conſiſtit. In re, in tempore, in modo. In re, vt, quid ſit quærendũ, conſideres. In tempore, vt quando. In modo, vt quouſque.

I. Igitur quærendum eſt, quod Chriſtus inſtituit, vtiq; quamdiu non inuenis; & vtiq; donec inuenias. INVENISTI AVTEM, CVM CREDIDISTI; nam non crediddiſſes, ſi non inueniſſes; ſicut nec quęſiſſes, niſi vt inuenires. Ad hoc ergo quæris, vt inuenias; & ad hoc inuenies, vt credas &c. Quid ſit q̃rendum.

II. Semel dixerim, Nemo quærit, niſi qui aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat Quãdiu ſit quærendũ.

derat vnam ex decẽ didrachmis anus illa, & ideò quęrebat; vbi tamẽ inuenit: quærere deſiit. Panem vicinus non habebat, & ideò pulſabat; vbi tamen apertum eſt ei, & accepit, pulſare ceſſauit. Vidua à iudice petebat audiri, quia nõ admittebatur; ſed vbi audita eſt, hactenus inſtitit.

ADEO finis eſt, & quærendi, & pulſandi & petendi. Petenti enim dabitur, inquit, & pulſanti aperietur; & quærẽti inuenietur. Viderit, qui quęrit ſemper, quia non inuenit. Illic enim quęrit, vbi nõ inuenitur. Viderit, qui ſemper pulſat, quia nunquam aperietur. Illic enim pulſat, vbi nemo eſt. Viderit, qui ſemper petit, quia nunquam audietur. Ab eo enim petit, qui non audit.

Veritas apud hereticos nõ eſt quærẽda.

III. Nobis etſi quærendum eſt adhuc, & ſemper, vbi tamen quæri oportet? nõ apud hæreticos, VBI OMNIA EXTRANEA ET ADVERSARIA NOSTRÆ VERITATI, ad quos vetamur accedere. Quis ſeruus cibaria ab extraneo, ne dicã ab inimico Domini ſui ſperat? Quis miles

miles ab infœderatis, ne dicam ab hoſtibus regibus, donatiuũ & ſtipendium captat, niſi planè deſertor, & transfuga, & rebellis? Etiam anus illa intra tectũ ſuum drachmam requirebat; etiam pulſator ille vicinam ianuam tundebat: etiam vidua illa non inimicum, licet durum iudicem interpellabat. NEMO INDE STRVI POTEST, VNDE DESTRVITVR. Nemo ab eo inluminatur, à quo contenebratur.

QVÆRAMVS ergo in noſtro, & à noſtris, & de noſtro: In quo? duntaxat quod ſalua regula fidei poteſt in quæſtionem venire.

IIII. *Fidem non ex nouis hæreticorum ſcriptionibus; ſed ex Dei libris diſcendam, & quærendam eſſe.*

HILARIVS *ad Conſtantium Auguſtum lib.* 2. Fidem Imperator quæris, audi eam non de nouis chartulis; ſed de Dei libris. Scito eam poſſe etiam in

occidente donari, vnde venientes in regno Dei, cum Abraham, & Iſaac, & Iacob recumbent. Memento eam non in quæſtione Philoſophiæ eſſe, ſed in Euangelij doctrina. Non tam mihi rogo audientiam, quàm tibi, atq; Eccleſiis Dei. Ego enim penes me habeo fidem, exteriore non egeo. Quod accepi, teneo; nec demuto, quod Dei eſt.

DE PRÆCIPVO CATHOLICÆ FIDEI FVNDAMENTO, ET RELIGIONIS CHRISTIANÆ origine ac progreſſu.

CAPVT V.

I. *Quæ ſit ſumma fidei Catholicæ, quam vbique incolumem oporteat manere.*

Fundamentũ fidei Catholicæ.

TERTVLLIANVS *de præſcript. hæret.* Regula eſt autem fidei, vt iã hinc, quid defendamus, ꝓfiteamur, illa ſcilicet, qua creditur vnũ omninò Deum eſſe;

eſſe; nec alium præter mundi conditorem, qui vniuerſa ex nihilo produxerit per verbum ſuũ primò omnium emiſſum; id verbum filius eius appellatum; eius in nomine Dei variè viſum Patriarchis; in Prophetis ſemper auditum; poſtremò delatum ex ſpiritu Dei & virtute in virginem Mariam, carnẽ factum in vtero eius; & ex ea natum hominem, & eſſe Ieſum Chriſtum; exinde prædicaſſe nouam legem, & nouam promiſſionem regni cœlorũ, virtutes feciſſe; fixum cruci; tertia die reſurrexiſſe: In cœlos ereptum ſediſſe ad dexteram Patris: miſiſſe VICARIAM VIM SPIRITVS SANCTI, qui credentes agat: venturum cum claritate ad ſumendos ſanctos in vitę ęternę & promiſſorum cœleſtium fructum & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta vtriuſque partis reſuſcitatione cum carnis reſtitutione.

Verbum Dei filius.

Vicaria vis Spiritus ſancti.

HÆC REGVLA à Chriſto, vt probabitur, inſtituta, nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt;

Regula fidei apud Catholicos nullas habet quæſtiones.

& quę hęreticos faciunt. Cæterùm manente forma eius in ſuo ordine, quantumlibet quæras & tractes, & omnem libidinem curioſitatis effundas, ſi quid tibi videtur, vel ambiguitate pendere, vel obſcuritate obumbrari; EST VTIQVE FRATER ALIQVIS DOCTOR GRATIA SCIENTIÆ DONATVS: eſt aliquis inter exercitatos conuerſatus; aliquis tecum curioſus, tecum tamen quærēs; nouiſſimè ignorare melius eſt, ne, quod non debeas, noris; quia, quod
Matth. 9. debeas, noſti. Fides, inquit, tua te ſaluū fecit; non exercitatio ſcripturarum. Fides in regula poſita eſt; habes legem, & ſalutem de obſeruatione legis; exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio.

CEDAT curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti. Certè aut non obſtrepant, aut quieſcant aduersùs regulā: Nihil ſcire,
γνωμή. omnia ſcire eſt. Vt non inimici eſſent veritatis hæretici, vt de refugiendis eis nō præmoneremur. QVALE EST CONFERRE CVM HOMINIBVS, QVI ET

ipsi adhvc se qværere confitentvr? Si enim verè adhuc quærunt, nihil adhuc certi deprehenderunt: & ideò quodcunq; videntur interim tenêre, dubitationem ſuam oſtendunt, quamdiu quærunt. Itaque tu, qui proinde quæris, ſpectans ad eos, qui & ipſi quærunt, dubius à dubiis, incertus ab incertis, cæcus à cæcis in foueam ducaris neceſſe eſt.

Quare inutile ſit de reb. fidei cũ hæreticis conferre.

II. *Chriſtus primò fidem docuit ipſe; deinde Apoſtolos miſit in orbem, vt in ſingulis ciuitatibus conſtitueret Eccleſiam, quæ vocatæ ſunt Apoſtolicæ, & à quib. cæteræ mutuò ſumpſerunt doctrinam fidei.*

Tertvllianvs *de præſcript. hæret.* Chriſtus Ieſus Dominus noſter, permittat dicere interim, quiſquis eſt, cuiuſcunque Dei filius, cuiuſcunque materiæ homo & Deus, cuiuſcunque fidei

Chriſtus Dei filius Homo & Deus.

Fidei præceptor Mercedis promiſſor. præceptor,cuiuſcunque mercedis promiſſor. Quid eſſet; quid fuiſſet; quam Patris voluntatem adminiſtraret; quid homini agendum determinaret; quam diu in terris agebat, ipſe pronunciabat, ſiue populo palã, ſiue diſcentibus ſeorſum. Ex quibus duodecim præcipuos

Apoſtoli Chriſti Legati à latere. LATERI SVO ADLEGERAT DESTINATOS nationibus Magiſtros. Itaque vno eorum decuſſo, reliquos vndecim regrediens ad Patrem poſt reſurrectionem, iuſſit ire,& docere nationes, tingendas in Patrem, & in Filium, & Spiritum ſanctum.

STATIM IGITVR Apoſtoli,quos hæc appellatio miſſos interpretatur, aſſumpto per ſortem duodecimo Mathia in locum Iudę, ex authoritate pro-

Pſal. 108. phetiæ, quæ eſt in Pſalmo Dauid; conſecuti promiſſam vim Spiritus ſancti ad virtutes & eloquiũ, primò per Iudæam conteſtata fide in Ieſum Chriſtum, & Eccleſiis inſtitutis, dehinc in orbem

Qualem doctrinã Apoſtoli ꝓuulgauerint. ꝓfecti, EANDEM DOCTRINAM EIVSDEM FIDEI nationibus prouulgauerunt,

runt,& proinde Eccleſias apud vnamquamq; ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidiè mutuãtur,vt Eccleſię fiant. Ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur,vt SOBOLES APOSTOLICARVM ECCLESIARVM. Eccleſiæ Apoſtolicæ.

III. *Vnam eſſe primam Eccleſiam,à qua cæteræ ſunt omnes.*

IDEM eodem libro. Omne genus ad originem ſuam cenſeatur, neceſſe eſt. Itaque tot ac tantæ Eccleſię,vna eſt illa ab Apoſtolis prima,ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apoſtolicæ; dùm vnam omnes probant vnitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis,& conteſſeratio hoſpitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quàm eiuſdem Sacramenti vna traditio. Omnes Eccleſiæ vnam conſtituunt Eccleſiã Catholicã eiuſdem Sacramenti traditione.

IIII. *Quomodò priores Eccleſiæ dicantur Apoſtolicæ.*

TERTVLLIANVS *de præſcriptionibus hæreticorum.* Cæterùm ſi quæ audent

interſerere ſe ætati Apoſtolicę, vt ideò videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt; poſſumus dicere: Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, QVI TAMEN CVM APOSTOLIS PERSEVERAVERIT, habuerit authorem & anteceſſorem &c.

Prouocatio contra hæreticos.

HOC ENIM modo Eccleſiæ Apoſtolicę cenſus ſuos deferũt; ſicut Smyrneorum Eccleſia habens Polycarpum, à Ioanne conlocatum refert; ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant.

CONFINGANT tale aliquid hæretici. Quid enim illis poſt blaſphemiam inlicitum eſt? Sed etſi confinxerint, nihil promouebunt. Ipſa enim doctrina eorum cum Apoſtolica comparata, ex diuer-

Vnde cõſtet hæreticorũ doctrinam nõ eſſe Apoſtolicam.

diuerſitate & cōtrarietate ſua pronunciabit, nec Apoſtoli alicuius authoris eſſe, neq; Apoſtolici: quia ſicut Apoſtoli non diuerſa inter ſe docuiſſent, ita & Apoſtolici non cōtraria Apoſtolis edidiſſent; niſi illi, qui ab Apoſtolis deſciuerunt, & aliter prædicauerunt.

V. *Vt poſteriores Eccleſiæ probentur eſſe Apoſtolicæ.*

IDEM *Tertull. ibidem.* Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licet nullum ex Apoſtolis vel Apoſtolicis authorem ſuum proferūt, vt multò poſteriores; quæ deniq; quotidiè inſtituuntur; TAMEN IN EADEM FIDE CONSPIRANTES, NON MINVS APOSTOLICÆ DEPVTANTVR, pro conſanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreſes ad vtramque formam à noſtris Eccleſiis prouocatæ, probēt ſe quaquà putāt Apoſtolicos. Sed adeò nec ſunt, nec poſſunt probare, quod nō ſunt; nec recipiuntur in pacem & in communicationem ab Eccleſiis quoquo modo

Propter doctrinā Apoſtolicā etiā poſteriores Eccleſiæ dicuntur Apoſtolicæ.

Diuerſitas Sacramenti ſeparat Eccleſias.

Apoſtolicis: ſcilicet OB DIVERSITATEM SACRAMENTI, nullo modo Apoſtolicæ.

VI. *Quanam doctrina poßit hæretica nuncupari.*

Doctrina hæretica quæ vel ab Apoſtolis deierata, vel ex ea profecta eſt.

TERTVLLIANVS *de præſcriptionibus hæreticorum.* Adhibeo ſuper hæc ipſarum doctrinarum recognitionem, quę tunc ſub Apoſtolis fuerunt, ab iiſdem Apoſtolis & demonſtratæ & deieratæ. Nam & ſic faciliùs traducentur: dùm aut iam tunc fuiſſe deprehenduntur, aut ex illis, quæ iam tunc fuerunt, ſemina ſumpſiſſe.

VII. *Percurrendas eſſe Eccleſias Apoſtolicas, inter quas principem locum obtinet Eccleſia Romana.*

Modus reuincẽdi hæreſes.

TERTVLLIANVS *de præſcriptionibus hæreticorum.* Age iam, qui voles curioſitatem meliùs exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas,

cas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem vniuſcuiuſque. Proxima eſt tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes: Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum: ſi autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque authoritas præſtò eſt.

Veræ Eccleſiæ infallibiles notæ.

Omniũ Eccleſiarũ authoritas ab Eccleſia ROMANA.

FOELIX Eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: Vbi Petrus Paſſioni dominicæ adæquatur; vbi Paulus Ioannis exitu coronatur; vbi Apoſtolus Ioannes poſteà quàm in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.

Romanæ Eccleſiæ laus immortalis.

DE

DE VERA FIDEI CATHOLICÆ DOCTRINA, SIVE DE ARMIS CATHOLICOrum, quibus omnes omnium hæreſes facilè expugnari & conuinci queant.

CAPVT VI.

I. *Præſcriptio ſeu probatio, qua doctrina ſit recipienda, vel reiicienda.*

TERTVLLIANVS *de præſcript. haret.* Hanc igitur dirigimus præſcriptionem: Si Dominus IESVS Chriſtus Apoſtolos miſit ad prędicandum, alios non eſſe recipiendos prędicatores, quã quos Chriſtus inſtituit, quia nec alius Patrem nouit, niſi filius, & cui filius reuelauit; nec aliis videtur reuelaſſe filius, quàm Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, hoc eſt, quid

Qui recipiẽdi ſint prædicatores.

quid illis Chriſtus reuelauerit, & hic præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdē Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſis prædicando, tam viua (quod aiunt) voce, quàm per Epiſtolas poſteà.

Reuelatio diuina quæ, vnde noſcatur.

SI HÆC ITA ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, id ſine dubio retinentē, quod Eccleſię ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit; reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, QVÆ SAPIAT CONTRA VERITATEM ECCLESIARVM.

REGVLÆ examinandi doctrinam fidei Catholicæ.

SVPEREST ergò, vt demonſtremus, an hæc noſtra doctrina, cuius regulam ſuprà edidimus, de Apoſtolorum traditione cenſeatur; & ex hoc ipſo, an cæterę de mendacio veniant. Communicamus cū Eccleſiis Apoſtolicis, QVOD NVLLA DOCTRINA DIVERSA, hoc eſt, teſtimonium veritatis.

Teſtimoniū veritatis Catholicę, quòd in ea nulla doctrina ſit diuerſa.

II. *Illa*

II. *Illa doctrina eſt vera; quæ tū erat, antequàm hæreſes eſſent.*

TERTVLLIANVS *de præſcript. hæret.*

Vnum non erratum, ſed traditum.

Cæterùm quod apud multos vnum inuenitur, nõ eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos erraſſe, qui tradiderunt? quoquo modo ſit

Abſurdum.

erratum, tamdiu vtiq; regnauit error, quamdiu hæreſes non erant. Aliquos Marcionitas, & Valentinianos liberanda veritas expectabat; interea perperam euangelizabatur; perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata; tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot deniq; martyria perperam coronata. Aut ſi nec perperam, nec in vacuum, quale eſt, VT ANTE RES DEI CVRRERENT, QVAM CVIVS DEI NOTVM ESSET? antè Chriſtiani, quàm Chriſtus inuentus; antè hæreſes, quàm vera doctrina? &c.

III. *Or-*

III. *Ordine temporũ manifeſtari, quid dominicũ & verum, aut extraneum ſit & falſum.*

Tertullianus *lib.4.aduer.Marcion.* Ego meum dico verũ, Marcion ſuum; Ego Marcionis affirmo adulteriũ, ille meum. Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio, ei præſcribens authoritatem, quod antiquius reperietur, &ei prȩiudicans vitiationem, quod poſterius reuincitur. In quãtum enim falſum corruptio eſt veri, in tantum præcedat neceſſe eſt veritas falſum. Iudex inter Catholicos & hereticos, temporis ratio.

Idem *de præſcript. hæret.* Sed ab exceſſu reuertar ad principalitatem veritatis, & poſteritatem mendacitatis deputandam ex illius quoque Parabolæ patrocinio, quæ bonũ ſemen frumenti à Domino ſeminatũ primo conſtituit; Matth.13. auenarum aut ſterilis fœni adulterium ab inimico Diabolo poſteà ſuperducit. Propriè enim doctrinarum diſtinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt.

Ita

Id verum quod priꝰ traditum.

ITA EX ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe dominicum & verũ, quod ſit priùs traditum; id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum. Ea ſententia manebit aduersùs poſteriores quaſque hæreſes, quibus nulla conſtantia, de conſcientia competit ad defendendam ſibi veritatem.

Id falſum quod poſteriùs traditũ.

TERTVLLIANVS *li.1.contra Marcion*: Marcion Deum, quem inuenerat, extincto lumine fidei ſuę, amiſit. Non negabũt diſcipuli eius, primam illis fidem nobiſcum fuiſſe, ipſius literis teſtibus: vt hinc iam deſtinari poſſit hæreticus, ꝗ deſerto, quod priùs fuerat, id poſteà ſibi elegerit, quod retrò non erat. In tãtum enim hæreſis deputabitur, quod poſteà inducitur; in quantum veritas habebitur, quod retrò & à primordio traditum eſt.

IIII. *Quibus armis Catholicis contra hæreticos ſit vtẽdum.*

VINCENTIVS *Lyrin. aduerſ. prophanas hæreſum nouitates*. Sæpe igitur magno

ſtudio, & ſumma attẽtione perquirẽns à quamplurimis ſanctitate & doctrina præſtantibus viris, quonam modo paſſim certa quadam & quaſi generali ac ſingulari via, Catholicæ fidei veritatẽ ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernere, huiuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè retuli:

QVOD ſiue ego, ſiue quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueos vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam, Domino adiuuante, deberet. Primò ſcilicet, diuinę legis authoritate; tùm deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione.

Catholicorũ arma: Scriptura. Traditio.

V. *Quis ab initio fuerit ordo doctrinæ.*

STAPLETON. *in demonſtrat. Principiorum lib. 5. c. 5. ex D. Auguſtino.* Scriptura ſanè etſi ſtabilitatem fidei toti corpori Eccleſiæ promittat; tamen vim ſtabiliendi, docendi, confirmandi, in veritatem inducendi, ſolis Eccleſiæ paſto-

Iudicium de fide ad ſolos Epiſcopos pertinet.

Ordo doctrinæ ante legem. tribus aſſignat. Quemadmodum enim ante legem quidem abſque hominum miniſterio, Deus ipſe vel per ſe, vel per Angelos homines docuit: (vt tota Geneſis hiſtoria demonſtrat) Poſt legem. poſt legem verò, vbi illuſtrior eſſe cœpit Eccleſia, in 12. tribubus iam in magnam gentem multiplicatis; ſacerdotiũ Aaronicum inſtitutum eſt; & tribus Leuitica Deo cõſecrata; vnde Paſtores perpetui, certi, & manifeſti crearentur; dati inſuper Prophetarũ tempore. ſuo tempore Prophetæ, qui extra ordinem docerent, aliquo tamen euidenti ſigno ſemper commendati.

Sub ſtatum noui teſtamenti. SIC, cùm Chriſti Eccleſia ſecũdùm noui teſtamenti ſtatum per vniuerſum orbem propaganda eſſet, vt homo fidentiùs, *(ait Auguſtinus)* De ciuitat. Dei lib. 11. cap. 2. ambularet ad veritatem, non ſolùm ipſe Dei filius aſſumpto homine fundauit fidem, vt iter homini ad Deum eſſet homo Deus; ſed prętereà, quam ipſe fundauit, eam propagandi, docendi, explicandi poteſtatem aliis dedit, certò & manifeſtè conſtitutis; vt in libro de vtilitate credẽdi, idem

idem docet Auguſtinus: cô rem diſputando deducens, vt quia in iis, quæ ad Deum pertinent, natura ſtulti ſumus; ſtulto autem nihil optabilius, quàm ſapientum conſilio regi; & quia inter ſinceriſſimam ſapientiã Dei, & ſtultitiam hominis, medium quiddam eſt hominis ſapiẽtia; ideò homini ſtulto ad imitandum ſalubriter, nihil eſt homine ſapiente propinquius: quemadmodum oculis ad commodè videndum aptiora ſunt à ſole illuſtrata, quàm ipſemet ſolis ſplendor. Vt per hominẽ docerẽtur homines, primùm Deus homo fit, authoritate miraculis conciliata; Deinde certis hominibus in Eccleſia cõſtitutis, & ad docendi miniſterium aſſumptis, authoritatem docendi dedit: quia ſola eſt authoritas, quæ commouet ſtultos, vt ad ſapientiam feſtinent. *Hæc ex Auguſtino ſummatim collecta.*

Cap. 14. 15. & 16.

Homo in rebus diuinis ſuâ naturâ ſtultus.

Simile.

Vt homines in diuinis erudiantur

Deus primũ ipſe fit homo.

Deinde aliis authoritatẽ dedit.

VI. *Iudiciũ de doctrina fidei ad Epiſcopos, & non ad Imperat. aut Reges Chriſtianos ptinêre.*

ATHANASIVS *in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes.* Si iudicium eſt Epiſcoporum, quid commune cum eo habeat Imperator? Sin contra iſta minis Cæſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis? Quando à condito æuo auditum eſt iudicium Eccleſiæ ab Imperatore authoritatē ſuam accepiſſe? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum eſt? Plurimæ antè hac Synodi fuêre; multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt; ſed neque Patres iſtiuſmodi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit. Paulus Apoſtolus habebat amicos in Cæſaris familia (eos enim ſalutari iubet ad Philipp. vltimo) non tamen eos in iudicio ſocios aſſumpſit.

Iudicium de fide nunquā fuit apud Imperatores.

AMBROSIVS Epiſt.33. Noli te grauare, Imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, eſto Deo ſubiectus. Scriptum eſt; Quæ Dei Deo; quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem palatia

latia pertinent; ad Sacerdotem Eccle-ſię. Publicorum tibi mœnium ius com-miſſum eſt, non ſacrorum.

HOSIVS Cordubenſis ad Conſtantium Imperatorem. Deſine quęſo, & memineris te mortalem eſſe; reformida diem iudicij, ſerua te in illum diem purum, ne te immiſceas Imperator rebus Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus Imperium commiſit, nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.

Apud Athanaſ. in epiſt. ad ſolitariá vitam agentes.

RVFFINVS de hiſt. Eccle. lib. 1. cap. 2. de Conſtantino Magno Imperatore ſic ſcribit: Cùm ei Epiſcopi, qui Nicææ congregati fuerant, libellos quoſdam protuliſſent, quibus accuſabant ſe inuicem; ſuſcepit à ſingulis libellos, & eos omnes in ſinu ſuo continens, nec quid in eis cõtineretur aperiens, ait ad Epiſcopos: Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et ideò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem nõ poteſtis ab hominibus iudicari, propter quod Dei

Digna vox Imperatore Chriſtiano.

ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia, quæcunque ſint, ad illud diuinum reſeruate examen. Vos etenim à Deo nobis dati eſtis Dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos &c.

Apud Zoſomen. in tripartita li. 4. c. 14. de vita Conſtantin.

VALENTINIANVS quoque Senior Catholicus Imperator rogatus ab Epiſcopis, vt Synodus conuocaretur, reſpondit; Sibi, qui vnus è laicorum numero erat, non licêre eiuſmodi negociis ſe interponere. Et ideò Sacerdotes & Epiſcopi, quibus hæc curę ſunt, ſeorſim per ſe conueniant.

VII. *Fidei ac doctrinæ Chriſtianæ duo eſſe præcipua fundamenta.*

BASILIVS *de Spiritu ſancto cap. 17.*

Fundamenta fidei Scriptura ſacra, & traditio Apoſtolica.

Dogmata, quę in Eccleſia ſeruantur, ac prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata, in miniſterio recepimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo

his

his contradicit, qui vel modicam ſaltem Eccleſiaſticorũ iurium experientiam habet. Si enim adgrederemur nõ ſcripto proditas conſuetudines, velut non magnam vim habentes, reiicere, imprudentes etiam ipſis principalibus Euangelij partibus damnum inferremus; imò potiùs ipſam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus.

Avgvstinvs ad Ianuarium Epiſt. 118. c. 1. & 5. Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſeruantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel ex plenariis Conciliis (quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas) commendata atq; ſtatuta retineri; ſicuti, quod Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio ad cœlum, aduentus Spiritus ſancti anniuerſaria ſolennitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa, quacunque ſe diffundit, Eccleſia.

Vnde traditiones non ſcriptæ tantam habeãt authoritatẽ.

Cõciliorum ſaluberrima authoritas.

DE SCRIPTVRIS SACRIS.

CAPVT VII.

I. *Sacræ ſcripturæ quãta ſit authoritas.*

In ſcripturis Canonicis nullum eſſe errorem.

AVGVSTINVS *Epiſt.19. Hieronymo, in initio, Tom.2.* Solis eis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorẽ honoremq; deferre, vt nullum eorũ auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiter credam. Ac ſi aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrariũ veritati, nihil aliud, quàm mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe non ambigam.

IDEM *contra Fauſtum lib.11.c.5. Tom.6.* Diſtincta eſt à poſteriorum libris excellentia Canonicæ authoritatis veteris & noui teſtamenti, quæ Apoſtolorum confirmatã temporibus, per ſucceſſio-

ceſſionem Epiſcoporum, & propagationes Eccleſiarum, tanquam in ſede quadam ſublimiter conſtituta eſt, cui ſeruiat omnis fidelis & pius intellectus.

II. *Unde ſciamus, quæ Scriptura ſit Canonica.*

*A*VGVSTINVS *contra Fauſt. lib. 13. c. 5. Tom. 6.* Noſtrorum librorum auctoritas, tot gentium conſenſione per ſucceſſiones Apoſtolorũ, Epiſcoporum, Conciliorumque roborata, vobis (ô Manichæi) aduerſa eſt. Authoritas Scripturæ vnde?

*I*DEM *lib. 23. contr. Fauſt. cap. 9. Tom. 6.* Ipſæ (*Eccleſiaſticæ, Canonicæ, Catholicæ literæ*) ſunt, quas recepit & tenet Eccleſia toto orbe diffuſa, quę per illas etiam eſt prophetata, & quemadmodũ promiſſa, ſic reddita.

*I*DEM *lib. 1. de doctrina Chriſtiana ca. 8. Tom. 3.* In Canonicis autem Scripturis, Eccleſiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas Sedes habere, & epiſtolas accipere meruerũt.

Regula diſcernendi & recipiendi Scripturas Canonicas.

Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, vt eas, quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioresq́; accipiunt, eis quas pauciores, minorisq́; auctoritatis Eccleſiæ tenent. Si autẽ alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quanquam hoc inuenire non poſſit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto.

IDEM Sermon. 191. de tempore. Tom. 10. Nouum & vetus teſtamentum recipimus in illo librorum numero, quem ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ tradit authoritas.

III. *Multos eſſe poſſe, eosq́ veros Scripturæ ſenſus.*

AVGVSTINVS de Geneſ. ad lite. imperfect. cap. 2. Tom. 3. Quatuor modi à quibuſdam Scripturarũ tractatoribus traduntur legis exponendæ, ſecundùm hiſtoriam, ſecundùm Allegoriam, ſecundùm

Quatuor modi interpretandi ſacras Scripturas.

cundùm Analogiam, ſecũdùm Ætio-logiam. Hiſtoria cùm ſiue diuinitùs, ſiue humanitùs res geſta commemoratur. Allegoria cùm figuratè dicta intelliguntur. Analogia cùm veteris & noui Teſtamentorum congruentia demonſtratur. Ætiologia cùm dictorum factorumque cauſæ redduntur. Hiſtoria. Allegoria. Analogia. Ætiologia.

IDEM *de Geneſ. ad lite. lib. 1. ca. 21.* Cùm diuinos libros legimus, in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & ſanitate Catholicę fidei muniuntur, id potiùs deligamus, quod certum apparuerit eum ſenſiſſe, quem legimus. Alia regula.

SI AVTEM hoc latet, id certè, quod circumſtantia Scripturæ non impedit, & cum ſana fide concordat. Si autem & Scripturæ circumſtantia pertractari ac diſcuti non poteſt, ſaltem id ſolum, quod fides ſana præſcribit. Aliud eſt enim, quid potiſſimùm ſcriptor ſenſerit, non dignoſcere; aliud autẽ, à regula pietatis errare.

SI VTRVNQVE videtur, perfectè ſe habet fructus legentis. Si verò vtrunq; vitari non poteſt, etiamſi voluntas ſcriptoris incerta ſit, ſanæ fidei congruam non inutile eſt tenuiſſe ſententiam.

IIII. *Sacram Scripturam in multis locis ita eſſe profundã, difficilem, & obſcuram, vt ſine interpretatione intelligi non poßit.*

Difficilis eſt Scriptura, vt excitet legẽtium induſtriam.

*A*VGVSTINVS *de vera relig. cap. 17.* Si in Scriptura ſacra tantùm eſſent, quę facillimè intelligerentur, nec ſtudiosè quæreretur, nec ſuauiter inueniretur veritas. Quæ *(vt alio in loco idem aſſerit Auguſtinus)* in ſacrę Scripturæ libris certa ſemper eſt, nec vſquã deeſſe poteſt: etſi non facilè propter magnitudinem rei, intellectus quærentibus occurrat.

Veritas in diuinis Scripturis ſemper certa.

*I*DEM *lib. 2. de doctrina Chriſtiana ca. 6.* Ita obſcurè quædam dicta ſunt, vt denſiſſimam caliginem obducant. Quod totum diuinitùs prouiſum eſſe, nõ dubito,

Scriptura eſt obſcura, ne facilitate nimia vileſcat.

bito, ad edomãdam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata plerunque vileſcunt. Magnificè igitur, & ſalubriter Spiritus ſanctus, ita Scripturas ſanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret; obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de obſcuritatibus illis eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.

NOT. Fons omniũ hæreſũ Scriptura non bene intellecta.

IDEM in tractat. ſuper Ioan. 18. Neque enim natę ſunt hæreſes, & quædam dogmata peruerſitatis, illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè: & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur.

V. *Non iuxta proprij ingenij intelligentiam, ſacram Scripturam eſſe legendam.*

Idem repetit Clemens Epiſt. 5.

CLEMENS *lib. 10. recognitionum ſeu Petrus apud Clementem.* Obſeruandum eſt, vt lex Dei, cùm legitur, non ſecundùm

proprij

proprij ingenij intelligentiam legatur. Sunt enim multa verba in ſcripturis diuinis, quę poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque ſponte pręſumpſit, ſed fieri non oportet: Non enim ſenſum, quē extrinſecùs attuleris, alienum, & extraneum debes quęrere, quē ex Scripturarum authoritate confirmes; ſed ex ipſis Scripturis ſenſum capere veritatis. Et ideò oportet ab eo intelligentiam diſcere Scripturarum, qui eam à Maioribus, ſecundùm veritatem ſibi traditam, ſeruat, vt & ipſe poſſit ea, quæ rectè ſuſcepit, cōpetenter aſſerere. *Hæc Petrus.*

Scripturarū intelligētia à quibus diſcenda.

VI. *Regula vbi, & quibus modis quærenda ſit vera Scripturæ ſacræ interpretatio.*

STAPLETONVS *in demonſtrat. Principiorum lib. 10. ca. 11.* Illa ſacræ Scripturæ interpretatio, quam Eccleſia Catholica, vel per miniſterium Epiſcoporum atque Paſtorum; vel in Conciliis ſiue generalibus, ſiue particularibus poſteà appro-

approbatis; vel in Decretis Romanorum Pontificum; vel denique in publico religionis vſu & praxi; aut ipſam & tradit & pręſcribit:aut ab aliis traditam verbo vel facto approbat,ſola eſt certæ & infallibilis authoritatis: & huiuſmodi, quam in dogmate controuerſo, ſolam amplecti & ſequi, tùm tutò poſſumus, tùm neceſſariò debemus; aliâ omni interpretatione excluſa atque damnata, quæ illi directè aduerſatur. *Hæc ſingula proſequitur ibi Stapleton:*

VII. *Sacram Scripturam iuxta eũ ſenſum intelligendã, explicandamq́ eſſe, quẽ in cõmuni Doctorũ conſenſu tenuit ac tenet ſancta mater Eccleſia.*

Clemens *lib. recognit. 10. Epiſtola 5.* Conſilium dedit, vt,cùm lex Dei legitur, non ſecundùm ingenij proprij intelligentiã legatur,ſeu doceatur: Svnt enim mvlta in Scriptvris divinis, qvæ poſſvnt ad evm

Lex DEI quomodo legenda.

EVM SENSVM TRAHI, QVEM VNVSQVISQVE SIBI PRÆSVMIT. Et ideò Scripturarum intelligentiam oportet, *inquit*, ab eo diſcere, qui eam à maioribus ſecundùm veritatem ſibi traditam ſeruat.

AVGVSTINVS *de baptiſ. contr. Donatiſt. lib. 7. c. 53. Tom. 7. Et contr. Creſco. lib. 1. c. 33.* Nobis tutum eſt, in ea (*quæſtione quadam obſcura*) non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt; id autem fiducia ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti, vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.

IDEM *de vtilitate credendi c. 17. Tom. 6.* Si vnaquæque diſciplina, quanquam vtilis & facilis vt percipi poſſit, Doctorem aut Magiſtrum requirit: quid temerariæ ſuperbiæ plenius, quàm diuinorum Sacramentorum libros, & ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere, & incognitos velle damnare?

Temeraria ſuperbia incognita damnare.

VIII.

VIII. *Hæreticos non eſſe admittendos ad diſputationem de Scripturis, tũ quòd orthodoxis tãtùm competit Scripturarum poſſeſſio; tùm quòd ex congreſſibus iſtis plus mali, quàm boni oriri ſoleat.*

TERTVLLIANVS *de præſcriptionibus hæreticorum*. Hæretici non Chriſtiani nullum ius capiunt Chriſtianarum literarum, ad quos meritò dicendum eſt; qui eſtis, quandò & vnde veniſtis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique, Marcion, iure Syluam meã cędis? Qua licentia, Valentine, fontes meos tranſuertis? Qua poteſtate, Apelles, limites meos commoues? Quid hîc cæteri ad voluntatem veſtra ſeminatis & paſcitis? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, habeo origines firmas ex ipſis authorib⁹, quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum: Sicut cauerunt teſtamento ſuo,

Hæretici nullum ius habent Scripturæ.

ſuo; ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæredauerunt ſemper, & abdicauerunt vt extraneos, vt inimicos. Vnde autem extranei & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diuerſitate doctrinę, quam vnuſquiſque de ſuo arbitrio, aduersùs Apoſtolos aut protulit, aut recepit?

Hæretici ab Apoſtolis ex hæreditati Vt Extranei & inimici.

IDEM *de præſcriptionibus hæreticorum.* Scripturas obtendunt, & hac audacia ſua ſtatim quoſdam mouent; in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Hunc igitur potiſſimùm gradum obſtruimus, non admittendi eos ad vllam de Scripturis diſputationem; ſi hæ ſunt illæ vires eorum, anne eas habere poſſint, diſpici debet, cui competat poſſeſſio Scripturarum; ne is mittatur ad eas, cui nullo modo competit &c.

Quid proſit congreſsio ſcripturarũ.

DEINDE, quoniam nihil proficiat congreſſio Scripturarum, niſi planè vt aut ſtomachi quis ineat euerſioné, aut cerebri. Iſta hæreſis non recipit quaſdã

Scri-

Scripturas; & ſi quas recipit ADIECTIONIBVS ET DETRACTIONIBVS AD DISPOSITIONEM INSTITVTI SVI INTERVERTIT, & ſi recipit, non recipit integras; & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertit &c. Hæretici Scripturas interuertũt.

QVID promouebis exercitatiſſime Scripturarum, cùm, ſi quid defenderis, negetur: è diuerſo, ſi quid negaueris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione: nihil conſequêris, niſi bilẽ de blaſphematione. Ille verò, ſi quis eſt, cuius cauſa in congreſſum deſcendis Scripturarũ, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem an magis ad hæreſes deuerget? hoc ipſo motus, quòd te videat nihil promouiſſe æquo gradu negandi & defendendi, diuerſa parte ſtatutum, certè de pari altercatione incertior diſcedet, neſciẽs quam hæreſim iudicet. Hæc vtique & ipſi habent in nos retorquere. Neceſſe eſt enim & illos dicere à nobis potiùs adulteria Scripturarum, & expoſitio- Hæretici ſemper in contrarium nituntur. Cùr nihil proſit cum hæreticis diſputare.

num mendacia inferri; qui proinde ſibì defendant veritatem.

ERGO non ad Scripturas prouocandum eſt; nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parum certa. Nam etſi non ita euaderet conlatio Scripturarum, vt vtramque partem parem ſiſteret; ordo rerum deſiderabat illud priùs proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt: quibus competat fides ipſa, cuius ſint Scripturę: A quo, & per quos, & quandò, & quibus tradita ſit diſciplina, qua fiunt Chriſtiani. VBI enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum.

Diſciplina fidei Chriſtianæ indicium veritatis.

IX. *Quo pacto hæretici ſub diuinæ Scripturæ prætextu, errores ſuos palliare, atque defendere conentur.*

VINCENTIVS *Lyrinen. aduer. hær. c. 35.* Hîc fortaſſe aliquis interroget, an & hære-

hæretici diuinæ Scripturæ teſtimoniis vtantur? vtuntur planè & vehementer quidẽ, nã videas eos volare per ſingula quæq; Sancta legis volumina; per Moyſis, per Regnorum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud ſuos, ſiue alienos; ſiue priuatim, ſiue publicè; ſiue in ſermonibus, ſiue libris; ſiue in cõuiuiis, ſiue in plateis: nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam Scripturę verbis adumbrare conẽtur. Lege Pauli Samozateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomij, Iouiniani reliquarumque peſtiũ; cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non noui aut veteris teſtamenti ſententiis fucata & colorata ſit. *Vtuntur & hæretici diuinę Scripturæ teſtimoniis.*

Sed tanto magis cauendi & pertimeſcendi ſunt, quantò occultiùs ſub diuinę legis vmbraculis latitant. Sciunt enim, fœtores ſuos nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur; atque idcirco eos cœleſtis eloquij velut quodam aromate aſpergunt; vt *Hæretici tãtò magis timendi, quãtò occultiùs latitant.*

ille, qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula.

Simile. ITAQVE FACIVNT, quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, priùs ora melle circumliniũt; vt incauta ætas, cùm dulcedinem perſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiã iis curæ eſt, qui mala gramina & noxios ſuccos, medicaminum vocabulis præcolorant: vt nemo ferè, vbi ſupra ſcriptum legerit, remedium ſuſpicetur venenum.

Aliud ſimile.

X. *Quomodò etiam Diabolus diuinæ legis exemplis vti ſoleat.*

SED DICET aliquis; vnde probatur quòd Sacræ legis exemplis Diabolus vti ſoleat? Legat Euangelia, in quibus ſcribitur: Tunc aſſumpſit eum Diabolus, id eſt, Dominũ ſaluatorem; & ſtatuit illum ſupra pinnam templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim, quòd angelis

Matth. 4.

Scriptum eſt enim:

ſuis

ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis, in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Quid hic faciet miſellis hominibus, qui ipſum Dominũ Maieſtatis ſcripturarum teſtimoniis appetiuit? Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorſum. Quare? Scriptum eſt enim, inquit, &c. Pſal. 90. Scriptum eſt enim.

Magnopere nobis doctrina loci iſtius attendenda atque retinenda eſt, vt tãto Euangelicæ authoritatis exemplo, quãdò aliquos Apoſtolica ſeu Prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, Diabolum per eos loqui, minimè dubitemus. Nam ſicut tunc caput capiti; ita nunc quoque membra membris loquũtur; membra ſcilicet Diaboli, membris Chriſti: perfidi, fidelibus: ſacrilegi, religioſis: hæretici poſtremò Catholicis. Chriſti exẽplo inſiſtendum. Catholici mẽbra Chriſti. Hæretici mẽbra Diaboli.

Sed qvid tandem dicit? Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorſum. Hoc eſt, filius eſſe vis Dei, & hæreditatem regni cœleſtis accipere, mitte te deorſum, id eſt, ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ, quę Quid ſit deorſum mittere.

etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione demitte.

Ac ſi quis interroget quempiam hęreticorum, ſibi talia perſuadentem; vnde probas, vnde doces, quòd Eccleſiæ Catholicæ vniuerſalem, & antiquam fidem dimittere debeam? Statim ille; Scriptum eſt enim: Et continuò mille teſtimonia, mille exempla, mille authoritates parat, de Lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis; quib. nouo & malo more interpretatis, ex arce Catholica, in hæreſeos barathrum infœlix anima præcipitetur.

Hæreſes ex Scripturis malè explicatis ac intellectis.

XI. *Quî reſiſtendum ſit fallaciis Diaboli, & diſcipulorũ eius; dùm Scripturas allegant.*

Quæſtio.

SED DICET aliquis: Si diuinis eloquiis, ſententiis, promiſſionibus, & Diabolus & diſcipuli eius vtũtur, quorũ alij ſunt Pſeudoapoſtoli & Pſeudoprophetæ; & Pſeudomagiſtri, & omnes ex toto hæretici; quid facient Catholici homines, & matris Eccleſię filij? quonam

nam modo in Scripturis ſanctis veritatem à falſitate diſcernent?

Hoc scilicet facere magnoperè curabunt, quod in principio commonitorij iſtius ſanctos & doctos viros nobis tradidiſſe ſcripſimus; vt diuinum Canonem ſecũdùm vniuerſalis Eccleſiæ traditiones; & iuxta Catholici dogmatis Regulas interpretentur: In qua item Catholicæ Apoſtolicæq; Eccleſię ſequantur neceſſe eſt vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Reſponſio.

Et si quandò pars contra vniuerſitatem; nouitas, contra vetuſtatem; vnius vel paucorum errantium diſſenſio, contra omniũ vel certè multò plurium Catholicorum conſenſionem rebellauerit; præferant partis corruptioni, vniuerſitatis integritatem: in qua eâdem vniuerſitate, nouitatis profanitati antiquitatis religionem; itemque in ipſa vetuſtate. Vnius ſiue paucorum temeritati, primùm omnium generalia, ſi qua ſunt, vniuerſalis Concilij decreta præponant. Elegans oppoſitio.

Quomodo exurgẽtium hæreticorũ errores facilè deprehendantur.

TVNC deinde, ſi id minus eſt, ſequamur, quod proximum eſt, multorum atque magnorum conſentientes ſibi ſententias Magiſtrorum: quibus, adiuuãte Domino, fideliter, ſobriè, ſollicitè obſeruatis, non magna difficultate noxios quoſque exurgentium hæreticorum deprehendemus errores.

DE TRADITIONIBVS.

CAPVT VIII.

I. *Cùm ſit perfectus Scripturarum Canon, ſibiq́; ad omnia ſatis ſupérque ſufficiat; quid opus eſt, vt ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur authoritas?*

Quæſtio.

VINCENTIVS *Lyrinenſis aduerſ. hæreſ.* Hîc forſan requirat aliquis; Cùm ſit perfectus Scripturarũ Canon, ſibiq; ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid

quid opus eſt, vt ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur authoritas?

Qvia videlicet Scripturam ſacram pro ſua altitudine non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt; ſed eiuſdem eloquia aliter atq; aliter, alius atque alius interpretatur; VT PENE QVOT HOMINES SVNT, TOT ILLIC SENTENTIÆ ERVI POSSE VIDEANTVR. Aliter namq; illam Nouatianus; aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius; aliter Apollinaris, Priſcillianus; aliter Iouinianus, Pelagius, Cœleſtinus; aliter poſtremò Neſtorius. Reſponſio.

Atqve idcircò multum neceſſe eſt, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. Propheticæ & Apoſtolicę interpretatiõis linea ſequenda.

II. *Traditiones eãdẽ vim obtinere, quã Sacræ habent literæ.*

Chry-

CHRYSOSTOMVS *in Epiſt.2.ad Theſſalonicenſes homil. 2.* Hinc patet, *inquit*, quòd non omnia per Epiſtolam tradiderunt, ſed multa etiam ſine literis: eêdem verò fide digna ſunt tam iſta quàm illa: itaque traditionem quoq; Eccleſię fide dignã putamus. TRADITIO EST, NIHIL, QVÆRAS AMPLIVS.

Multa ſine literis tradita.

AVGVSTINVS *ad Ianuarium Epiſt. 118. Tom.2.* Illa autem, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, QVORVM EST IN ECCLESIA SALVBERRIMA AVTHORITAS, commendata atque ſtatuta retineri.

BASILIVS *lib.de Spiritu ſancto cap.27.* Dogmata, quæ in Eccleſia ſeruantur, ac prædicantur, partim ex ſcripta doctrina habemus; partim ex Apoſtolorum traditione ad nos delata, in myſterio recepimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicam ſaltem

Eccle-

Eccleſiaſticorum iurium experiētiam habet. Si enim adgrederemur non ſcripto proditas conſuetudines, veluti nō magnam vim habētes, reiicere; imprudentes etiam ipſis principalibus Euangelij partibus damnū inferremus; imò potiùs ipſam Euāgelij prædicationem, ad nudum nomen contraheremus. Veluti verbi gratia, vt eius, quod primum & communiſſimum eſt, primam mentionem faciam.

Hæretici Euāgelium ad nudum nomen contrahunt.

I. Figura crucis ſignare eos, qui in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſpem habent, quis ſcripto docuit?

Signo crucis vti.

II. Ad orientem conuerſos eſſe nos, dum oramus, quæ Scriptura docuit?

Ad orientē orare.

III. Inuocationis verba, dum oſtenditur Euchariſtia, & poculum benedictionis, quis Sanctorum ſcripto nobis reliquit? non enim his contenti ſumus: quorum Apoſtolus aut Euangelium mentionem facit; ſed & antè, & pòſt alia quædā dicimus, VELVT MAGNVM ROBVR AD MYSTERIA HABENTIA, ex doctrina nō ſcripto ꝓdita, aſſumpta.

Euchariſtiæ adoratio.

IIII. Be-

Benedictio aquę & olei. IIII. Benedicimus aquam baptiſmatis, & oleum vnctionis; inſuperque ipſum, qui baptizatur, ex quibus ſcriptis? nonne à tacita & arcana eruditione?

Vnctio olei. V. Ipſam verò olei illitionem, quæ doctrina ſcripta docuit?

Imerſio baptizandor. VI. At ter mergi hominem, vnde eſt?

VII. Reliqua item, quæ circa baptiſmum fiunt, & renunciare Sathanæ, & Angelis eius, ex qua ſunt Scriptura? nonne ex hac non publicata, & arcana doctrina, quam in minimè curioſo ac ſolicito ſilentio patres noſtri conſeruarunt? Renunciare Sathanæ.

NOT. RECTE illi, vtpote docti MYSTERIORVM REVERENTIAM AC AVTHORITATEM SILENTIO CVSTODIRI.

CONCILIVM *Nicæn. Act. 1.* Qui doctrinas ſanctorum Patrum & traditionem Catholicæ Eccleſiæ contemnit, Anathema ſit. Anathema.

IDEM *Act. 6.* Magnam ſanè ſecuritatem in eo conlocamus, quòd nulla recen-

recentia inuenta ad rem noſtram probandam inquirimus; ſed Apoſtolicis & Patrum doctrinis; item Eccleſiaſticis conſtitutionibus adquieſcentes his noſtra confirmamus. Quib⁹ rebus Catholica dogmata cõfirmentur.

III. *Euangeliſtas in ſcribendo Euangelio magna ex parte traditionem ſecutos.*

AVGVSTINVS *de Conſenſ. Euangeliſt. lib.1. cap.1. Tom.4.* Apoſtoli non ſolùm ea, quæ ex ore Chriſti audita, vel ab illo ſub oculis ſuis operata, dicta & facta meminerant; verùm etiam, quæ priuſquam illi per diſcipulatum adhęſerant, in eius natiuitate, vel infantia, vel pueritia diuinitùs geſta, & digna memoria, ſiue ab ipſo, ſiue à parentibus eius, ſiue à quibuſlibet aliis certiſſimis indiciis & fideliſſimis teſtimoniis requirere, & cognoſcere potuerunt, impoſito ſibi Euangelizandi munere, generi humano annunciare curarunt.

IIII. *Quo*

IIII. *Quo iudicio Traditiones cognoſcantur eſſe Apoſtolicæ; & quæ conſuetudinis vis ſit.*

AVGVSTINVS *lib.4.de baptiſ.contr. Donatiſt.cap.24. Tom.7.* Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec cōciliis inſtitutum; ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum, ſanctiſſimè creditur.

Traditio Apoſtolica.

IDEM *Epiſt.86.ad Caſulan.presbyt.To.2.* In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, MOS POPVLI DEI, VEL INSTITVTA MAIORVM PRO LEGE TENENDA SVNT. De quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore ſermocinationis, cùm certa documenta nulla veritatis inſinuet: vtique cauendum eſt, ne tempeſtate contentionis, ſerenitas charitatis obnubiletur.

Mos populi & inſtituta maiorū pro lege habenda.

V. *Re-*

V. *Regula ſaluberrima, quæ traditiones & conſuetudines piè in Eccleſiis retineri & obſeruari poſsint.*

AVGVSTINVS *Epiſt. 119. cap. 18. ad Ianuar. Tom. 2.* Miror ſanè, quid ita volueris, vt de iis, quę variè per diuerſa loca obſeruantur, tibi aliqua ſcriberem; & cùm non ſit neceſſarium, & vna in his ſaluberrima regula retinēda ſit, VT QVÆ NON SVNT CONTRA FIDEM, NEQVE CONTRA BONOS MORES, ET HABENT ALIQVID AD EXHORTATIONEM VITÆ MELIORIS, vbicunq; inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolùm non improbemus; ſed etiam laudando & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas nō ita impedit, vt ampliùs detrimentum ſit.

SI ENIM eo modo impediat, vt maiora ſtudiorū lucra ſperanda ſint, quàm calumniatorū detrimenta metuenda; ſine dubitatione faciendū eſt, maximè

 illud,

illud, quod etiam de Scripturis defendi poteſt, ſicut de Hymnis & Pſalmis canendis, cùm & ipſius Domini & Apoſtolorum habeamus documenta, & exempla & præcepta, de hac re tam vtilia.

VI. *Conſuetudinem vniuerſalem eſſe traditionem Apoſtolicam.*

Tertvllianvs in li. de corona militis. Cōſuetudo, *inquit,* ſine dubio de traditione Apoſtolica manauit. Quomodò enim vſurpari poteſt, quod traditum priùs non eſt?

Avgvstinvs de Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 2. cap. 7. Multa non inueniuntur in literis Apoſtolorum, neque in Conciliis poſterorum; & tamen quia per vniuerſam cuſtodiātur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur.

VII. *Multas concluſiones de fide tenent Chriſtiani, abſque Scripturis.*

Avgv-

AVGVSTINVS *contra Creſcon.lib.1.c.33.* Quamuis huius rei certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum, etiam in hac re, à nobis tenetur veritas; cùm hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ; quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas. Quod placet Eccleſiæ, pro veritate habetur.

VIII. *Traditionibus Apoſtolorum cur tanta fides ſit adhibenda.*

IRENÆVS *lib.3.cap.3.* Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in Eccleſia, adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire; & habemus enumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum vſque ad nos; qui nihil tale docuerunt, neq; cognouerunt, quale ab his deliratur. Traditiones Apoſtolorũ omnib. manifeſtatæ.

ETENIM ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim, & latenter ab reliquis perfectos docebant; his vel maximè traderent ea, quibus etiam

ipſas Eccleſias committebant. Valde enim perfectos & irreprehenſibiles, in omnibus eos volebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum Magiſterij locum tradentes; quibus emendatè agentibus fieret magna vtilitas; lapſis autem ſumma calamitas.

Perfecti eſſe debent Apoſtolorũ ſucceſſores.

IX. *Traditionum non ſcriptarum eandem eſſe authoritatem, quæ eſt ipſius ſacræ Scripturæ.*

BASILIVS in lib. de Spiritu ſancto cap. 27. & 29. Nam ſi conſuetudines, *inquit*, & traditiones, tanquam non multum habentes momenti, conemur reiicere, quòd ſcripto proditæ nõn ſunt; neceſſe erit multa damnare; multa reiicere; improbare multa; multa abolere; plura tollere, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, & continentur, imò ipſam fidei prædicationem, totamque religionis Chriſtianæ formam, ad exiguas & tenues rerum anguſtias, & ad nudum nomen redigere & contrahere.

Ex traditionum contẽptu corruũt multa ad ſalutẽ neceſſaria.

X. *Exem-*

X. *Exempla traditionum non ſcriptarum.*

Idem. Nam quòd ſigno crucis vtimur; quòd ad Orientem verſùs precamur, noſtraſq́; preces effundim⁹: quòd conſecramus aquam baptiſmatis, & oleũ vnctionis: quòd homines immergimus: quòd in Baptiſmate Sathanæ renunciamus, & Angelis eius: quòd, cùm ostenditvr Panis Evcharistiæ, & poculum benedictionis, inuocationis verba proferimus; neque contenti quę commemorat Apoſtolus & Euangelium, verùm alia quoque anteà & pòſt dicimus, tanquam multum habentia momenti ad myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptum accepimus &c. nullo ſcripto tradita ſunt, & nuſquam iñ ſcripturis reperiuntur; neque earum traditionum, & conſuetudinis in Scripturis fit mentio; tamen nihilominus ex arcana, ſecreta, & tacita traditione, piè obſeruantur & retinentur, ac in Eccleſiis tanquam ad ſalutem promouendam, cuſtodiuntur.

Signum crucis. Orientẽ verſùs precari. Conſecratio aquę & olei. Immerſio. Sathanę abiuratio. Euchariſtiæ oſtenſio & adoratio. Traditiões multum momẽnti habẽt ad variã cognitionem. Multa ex arcana tradi-tione obſeruantur.

XI. *Alia id generis exempla plura ex Tertulliano.*

TERTVLLIANVS de Corona militis. Ergo quęramus, an & traditio non ſcripta, nõ debeat recipi? planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla prępiudicent aliarum obſeruationum; quas ſine vllius Scripturæ inſtrumẽto, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus.

Exemplorũ vtilitas.

DENIQVE vt à baptiſmate ingrediar, aquam adituri ibidem, ſed & aliquandò priùs in Eccleſia, ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes; quàm Dominus in Euangelio determinauit.

Abrenunciatio.

Trina immerſio.

INDE ſuſcepti, lactis & mellis concordiam prægustamus: exque ea die, lauacro quotidiano per totam hebdomadem abſtinemus.

Lactis & mellis prægustatio.

Abſtinentia à lauacro.

EVCHARISTIÆ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino etiam antelucanis cœtibus,

Euchariſtiæ vſus.

tibus, nec de aliorum manu quàm pręſidentium ſumimus.

Oblationes pro defunctis.

Die dominico non ieiunandũ, neq; geniculis adorandum.

Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus; Die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paſchæ, in Pentecoſten vſque gaudemus. Calicis aut panis etiã noſtri aliquid decuti in terrã anxiè patimur.

Frontem ſignaculo crucis terere.

Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, & ſedilia, quacunq; nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.

Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam inuenies: Traditio tibi prætendetur autrix; conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. Rationem traditioni, conſuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo, qui perſpexerit, diſces: interim non nullam eſſe credes, cui debeatur obſequium.

XII. *Traditionem, veluti depoſitum quoddam, Eccleſiæ committi.*

CLEMENS *Alexand. lib. 7. Stromatum.* Cognitio, quæ datur ex traditione per Dei gratiam, veluti depoſitum quoddam committitur iis, qui ſe ipſos doctrina dignos exhibuerint, ex qua elucеſcit charitatis dignitas, ex luce in lucem.

Traditio eſt quoddā veluti depoſitum.

XIII. *Traditione cognita, non conuenit amplius de re ſemel tradita dubitare.*

BASILIVS *contra hæreticos Sabellian. & Arrium.* Te pacatum reddat traditio, Dominus ita docuit; Patres obſeruauerunt; confirmauerunt martyres; ſufficiat dicere: Sic edoctus ſum.

DE

DE REGVLA FIDEI CATHOLICÆ.

CAPVT IX.

I. *Quid cuiq; tenendum ſit, atq; credendum.*

VINCENTIVS *Lyrinenſis aduer. profanas hæreſum nouitates.* In ipſa Catholica Eccleſia magnopere curandũ eſt, vt id teneamus, quod vbique; quod ſemper, quod ab omnibus creditũ eſt; hoc eſt etenim verè proprieq; Catholicum (quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit) ſed hoc ita demum fit; ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.

Catholicũ quod vbiq;, ſemper & ab omnibus ſeruatur.

I. VNIVERSITATEM hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia:

II. ANTIQVITATEM verò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibꝰ recedamus, quos

ſanctos Maiores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt:

III. CONSENSIONEM quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones, ſententiaſque ſequemur.

II. *Quis huius Regulæ ſit vſus per quæſtiones.*

1. Quæſtio. I. QVID igitur faciet Chriſtianus Catholicus, ſi ſe aliqua Eccleſiæ particula ab vniuerſalis fidei communione præciderit?

Reſponſio. RESPONSIO. Quid vtiq; niſi vt peſtifero corruptoq; membro, ſanitatem vniuerſi corporis anteponat?

2. Quæſtio. II. QVID ſi nouella aliqua contagio nõ iam portiunculam tantùm; ſed totã pariter Eccleſiã cõmaculare conetur?

Reſponſio. RESP. Tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorſus iam nõ poteſt ab vlla nouitatis fraude ſeduci.

3. Quæſtio. III. QVID ſi in ipſa vetuſtate, duorũ aut trium hominum, aut certè ciuitatis vnius,

vnius, aut etiam prouinciæ alicuius error deprehendatur?

RESPON. Tunc omninò curabit, vt paucorum temeritati vel inſcitię, ſi qua ſunt, vniuerſaliter antiquitus vniuerſalis Eccleſiæ præponat. Reſponſio.

IIII. QVID ſi tale aliquid emergat, vbi nihil huiuſmodi reperiatur? 4. Quæſtio.

RESP. Tunc operam dabit, vt collatas inter ſe Maiorum conſulat, interrogetque ſententias: eorum duntaxat, qui diuerſis licet temporibus & locis, in vnius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione & fide permanētes, magiſtri probabiles exſtiterunt: & quidquid nō vnus aut duo tātùm, ſed omnes pariter vno eodemq; conſenſu, apertè, frequēter, pſeueranter, tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognouerit, id ſibi quoq; intelligat abſq; vlla dubitatione credendum. Reſponſio. Catholica fides ſine vlla dubitatione credēda.

SED vt planiora fiant, quæ dicimus, exemplis ſigillatim illuſtranda ſunt, & paulò vberiùs exaggeranda, ne immodicæ breuitatis ſtudio rerum pondera orationis celeritate rapiantur.

III. *Exem-*

III. *Exemplum de vniuerſitate, vbi corrupto membro ſanitas vniuerſi corporis ſit oppoſita.*

Hæreſes furiæ.

TEMPORE Donati, à quo Donatiſtæ, cùm ſeſe multa pars Africę in erroris furias præcipitaret, cumque immemor nominis, religionis, profeſſionis vnius hominis ſacrilegam temeritatē Eccleſiæ Chriſti præponeret, tunc quicunque per Africam conſtituti, profano ſchiſmate deteſtato, vniuerſis mundi Eccleſiis adſociati ſunt, SOLI EX ILLIS OMNIBVS INTER SACRARIA CATHOLICÆ FIDEI SALVI ESSE POTVERVNT: egregiam profectò relinquentes poſteris formam; quemadmodum ſcilicet & deinceps bono more, vnius, aut certè paucorum veſanię, vniuerſorum ſanitas anteferretur.

Inter ſacraria Catholicæ fidei permanētes ſoli ſaluantur.

IIII. *Exemplū de antiquitate, vbi nouitatis fraudi, antiquitatis integritas ſit prælata.*

ITEM,

ITEM, quandò Arrianorum venenum, nõ iam portiunculam quandam; ſed penè orbem totum contaminauerat, adeò vt propè cunctis latini ſermonis Epiſcopis partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potiſſimùm in tanta rerum confuſione ſequendum foret; tunc quiſquis verus Chriſti amator & cultor exſtitit, antiquam fidem nouellę perfidiæ præferẽdo, nulla contagij ipſius peſte maculatus eſt.

V. *Exemplum de conſenſione, quomodo paucorum temeritati, vel inſcitiæ ſanctorum Patrum, & vniuerſalis Eccleſiæ decreta ſint præponẽda.*

SED IN hac diuina quadam confeſſionum virtute, illud eſt etiam nobis vel maximè conſiderãdum; quod tunc apud ipſam Eccleſiæ vetuſtatem, non partis alicuius, ſed vniuerſitatis ab iis eſt ſuſcepta defenſio. Neque enim fas erat, Nefas eſt hę reſes aſſerere.

erat, vt tanti ac tales viri vnius, aut duorum hominum errabundas, ſibiq; ipſis contrarias ſuſpiciones tam magno molimine adſererẽt; aut verò pro alicuius prouinciolæ temeraria quadam cõſpiratione certarent: ſed omnium Eccleſiæ ſacerdotum, Apoſtolicæ & Catholicæ veritatis decreta & definita ſectantes, maluerunt ſemetipſos, quàm vetuſtæ vniuerſitatis fidem prodere. Vnde ad tantam gloriam peruenire meruerunt, vt non ſolùm confeſſores; verùm etiam confeſſorum principes iure meritoque habeantur.

Potius eſt ſemetipſum quàm fidem prodere.

MAGNVM hoc igitur eorundem beatorum exemplum, planeque diuinum, & veris quibusq; Catholicis indefeſſa meditatione recolendũ: qui modum ſeptemplicis candelabri, ſeptena ſancti Spiritus luce radiantes, clariſſimam poſteris formulam præmonſtrarunt, quonam modo deinceps per ſingula quęq; errorum vaniloquia, ſacratę vetuſtatis authoritate, profanę nouitatis conteratur authoritas.

CVM

CVM ergo fidei Catholicæ Regula tribus conſtet partibus ſeu fundamentis, vniuerſitate, antiquitate & conſenſione, de his nunc ordine dicendum erit.

VI.

THOMAS Stapletonus in demonſtratione principiorum Theolog. lib. 7. c. 1. Ad hanc regulam id potiſſimùm pertinet, quod fidei Symbolũ vocamus, ab ipſis Apoſtolis in vnum collectũ, vt ait Ambroſius, non in charta & atramento ſcriptum, ſed (D. Hieronymo teſte) in cordibus fidelium inſcriptum, & ita inſcriptũ, vt Dominus noſter (quemadmodũ dicit Leo Papa) neminem vtriuſque ſexus in Eccleſia id voluerit ignorare. Et idcircò Symbolum iſtud, vocat Auguſtinus, & ante eũ Tertullianus, REGVLAM fidei.

Ambroſius Sermo. 38. Hier. in epi. ad Pāma de errorib. Ioānis Hieroſolimita. verſ. fin. Leo Pap. epiſt. 13. ad Auguſtam. Aug. in Enchiri. ca. 56. Tertull. de velādis virg.

SED latiùs adhuc patet Regula fidei, quàm Apoſtolorum Symbolũ: & eam omnem doctrinam ſignificat, quam Apoſtoli Eccleſiæ tradiderunt; & quæ in

REGVLA Catholicæ fidei.

in Eccleſia publicè ab omnibus recipitur; eſtq́; , vt ſcribit D. Auguſtinus, puſillis magniſque communis, perſeueranter in Eccleſia tenenda, ſi ab vnitate corporis Chriſti recedere nolimus.

Auguſtin. epiſt. 57.

VII. *Quid ſub hac regula contineatur.*

Origenes *in Proœm. librorum de Principiis. At hanc regulam vocat Eccleſiaſticam traditionem.* Cùm, *inquit*, multi ſint, qui ſe putent ſentire, quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diuerſa à prioribus ſentiant, ſeruetur verò Eccleſiaſtica prædicatio, per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſque ad præſens in Eccleſia permanens, illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione.

Traditio Eccleſiaſtica.

Per ſucceſſionis ordinē.

VIII. *Hac regula vna facilè omnes confutari hæreſes.*

Avgvstinvs *lib. de hæreſ. ad quod vult Deum.* Quid contra iſta Catholica ſentiat Eccleſia, ſuperfluè quæritur: cū propter

propter hoc ſcire ſufficiat eum contra iſta ſentire; nec aliquid horum in fide quenquam recipere debere.

Epiphanivs libro 2. contra hæreſ. Termini, *inquit*, nobis poſiti ſunt, & fundamenta, & ędificatio fidei, & Apoſtolorum traditiones, & ſacræ Scripturæ, & ſucceſſiones doctrinæ; & vndequaque veritas Dei munita eſt. Nemo ergo decipiatur nouis fabulis.

Idem contra Millenarios circa finem hæreſ. 77. Qui volunt tranſgredi terminos ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ſpem traditionis Propheticæ & Apoſtolicæ tùm fidei, tùm doctrinæ, ab vno argumento exigui ac breuis ſermonis ad multa vaniloquia, & periculoſas opiniones, & interminatas genealogias breui momento conuertentur. Quàm periculoſum ſit à fidei regula recedere.

IX. *Hanc regulam fidei ab Apoſtolis ſemper vt validam ad reuocandos vacillantes, fuiſſe commendatam.*

STAPLETON. *vbi ſuprà.* Hinc Apo-
Rom. 16. ſtolus monet Romanos, vt obſeruent eos, qui diſſenſiões & offendicula, præter doctrinam, quam ipſi didicerunt,
Coloſs. 1. facerẽt. Sic Coloſs. grauiſſimè obteſtatur, vt permaneant in fide tradita, fundati, & ſtabiles; quæ, *inquit*, per vniuer-
1. Tim. 6. ſum mundum prędicata eſt. Timotheũ ſeueriſſimè monet, vt depoſitum cuſtodiat, deuitans profanas vocum no-
2. Epiſt. c. 1. uitates. Et rurſus vt formam habeat ſa-
2. Epiſt. c. 3. norum verborum, quæ ab illo audiuit. Denique, vt permaneat in his, quæ didicerat, & credita ſunt illi.

Epiſt. 2. SIMILITER *& Ioan. Apoſtolus.* Si quis, *inquit*, venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne, Aue, ei dixeritis. Et, vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat. Sed ſeueriſſimè Paulus, idque
Galat. 1. repetendo, Galatas increpans, dicit: Si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Sic aberrantes corrigit, vt ad acceptam fidei
1. Ioan. 2. regulã reuocet. Et hoc eſt quod ſcribit
Tertul. li. 4. cont. Marci. Tertull. Galatas ad regulã fidei correctos eſſe.

X. *Qui-*

X. *Quibus veluti mediis hæc regula fidei hactenus in Eccleſia ſit conſeruata.*

STAPLETONVS *in demonſtrat. principiorum Theolog. lib. 7. ca. 1.* Vt fidei vnitas ſarta tecta conſeruaretur, multa olim media diuinitùs Eccleſię data ſunt.

PRIMO datus eſt Eccleſiæ Spiritus ſanctus, abundè effuſus in corda fidelium, non ſic veteri populo datus, qui diffuſa charitate in cordibus noſtris efficeret, vt ſeruetur vnitas ſpiritus in vinculo pacis. Tit. 3. Rom. 5. Epheſ. 4.

DEINDE ſingulis per orbem Eccleſiis conſtituti ſunt per ciuitates presbyteri & Epiſcopi, vt vno aliquo ad tempus vice Chriſti conſtituto, huic vniuerſa fraternitas obediret. Neq; enim aliunde nata ſunt ſchiſmata, & ortę hæreſes, *(ait Cyprianus)* quàm quod vni ſacerdoti Dei non obtemperatur: & de hoc vno ſummo ſacerdote, in ſingulis videlicet parœciis *(ait Hieronymus)* niſi exors quædam & eminens ei tribua- Tit. 1. Cypria. li. 1. epiſt. 3. & li. 4. epiſt. 9. Hiero. ad Euagr. Tõ. 2.

tur poteſtas, tot erunt in Eccleſia ſchiſmata, quot ſunt ſacerdotes.

RVRSVM, vt adhuc magis huic vnitati proſpiceretur, etiã vniuerſis Apo-
Luc. 22. ſtolis, ac toti Eccleſiæ vnus Petrus præficitur, caputq; omnium conſtituitur, vt vnitatis origo oſtendatur, & vna Ec-
Cyprian. in li. de vnitat. Eccleſiæ. Hieron. li. 1. cont. Iouini. cleſia monſtretur, *(ait Cyprianus)* vel *(vt Hieronymus)* quò ſchiſmatis tollatur occaſio.

XI. *In quibus potiſsimùm rebus Eccleſiæ vnitas conſiſtat, ac manifeſta appareat.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Nemo fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem perfida præuarica-
Epiſcopatus vnus. tione corrumpat. Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia quoque vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœ-
Simile. cunditatis extenditur; quomodò ſolis multi radij ſed lumen vnum; & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cùm de fonte vno

riui

riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Vnitas ſeruatur in origine.

Avelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: A fonte pręcide riuũ, pręciſus areſcet: ſic & Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totũ radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur; nec vnitas corporis ſeparatur; ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit; profluentes largiter riuos latiùs expandit, vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Multi radij lumen vnũ. Multi rami, arbor vna. Multi riui origo vna.

Illivs fœtu naſcimur; illius lacte nutrimur; ſpiritu eius animamur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica. Vnam domum nouit; vnius cubilis ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſeruat; hæc filios regno, quos generauit, aſſignat. In Eccleſia omne bonũ.

Extra Eccleſiam omnia mala. gnat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec pertinet ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti, Alienus eſt; profanus eſt; hoſtis eſt. Habere iam nõ poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem.

Extra Arcã Noæ ſaluus nemo. SI potuit euadere quiſquam; qui extra Arcam Noæ fuit; & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadit. Monet Do-
Matth. 12. minus, & dicit; Qui non eſt mecum aduersùs me eſt; & qui non mecum colligit, diſpargit. Qui pacem Chriſti & cõcordiam rumpit, aduersùs Chriſtum facit. Qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit. Dicit
Ioan. 10. Dominus; Ego & Pater vnum ſumus. Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu
Vnus Deus Eccleſia vna. ſancto ſcriptum eſt: Et hi tres vnũ ſunt; & quiſquam credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientẽ, ſacramentis cœleſtibus cohęrentẽ ſcindi in Eccleſia poſſe, & voluntatum collidentium diuortio ſeparari?

XII.

XII. *Quod regulæ huius ſit fundamentum.*

IRENÆVS *li.3.c.40.* In Eccleſia poſuit Deus Apoſtolos, Prophetas, Doctores, & vniuerſam reliquã operationem ſpiritus, cuius non ſunt participes oẽs, qui non currunt ad Eccleſiam, ſed ſemetipſos fraudant à vita per ſentẽtiam malam, & operationem peſſimam. Vbi enim Eccleſia, ibi & Spiritus; & vbi ſpiritus Dei, illic Eccleſia, & omnis gratia.

Spiritus ſanctus, fundamentum Eccleſiæ.

DE VNIVERSITATE DOCTRINÆ CHRISTIANÆ, SIVE DE VNIVERSALI COGNITIONE religionis verę, ſecunda regulę fidei parte, quæ Catholica dicitur Eccleſia.

CAPVT X.

I. *Illam ſolam veram eſſe fidem, veram doctrinã, veram religionem, quam paßim Catholica confitetur Eccleſia.*

Eccleſiæ Cathol. cõmunicatio omnibus neceſſaria.

AVGVSTINVS *de vera religione cap. 7.* Tenenda eſt nobis Chriſtiana religio, & eius Eccleſię cõmunicatio, quę Catholica eſt, & Catholica nominatur, nõ ſolùm à ſuis, verùm etiam ab omnibus inimicis; velint enim, nolíntue, ipſi quoq; Hæretici, & Schiſmatũ alumni, quandò non cum ſuis, ſed cum extraneis loquũtur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc nomine eam diſcernant, quo ab vniuerſo orbe nuncupatur.

IDEM de vera religione lib. 1. c. 5. Religio neq; in confuſione Paganorum, neque in purgamentis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum quærenda eſt; ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani, Catholici, & Orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes.

LACTANTIVS *de vera ſapientia lib. 4. ca. 30. in fine.* Sola igitur Eccleſia Catholica

lica eſt, quę verum cultum retinet. Hic eſt fons veritatis; hoc eſt domicilium fidei; hoc templum Dei, quô ſi quis nō intrauerit, vel à quo ſi quis exiuerit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt.

II. *Eccleſiam eſſe veluti quoddam depoſitorium doctrinæ Chriſtianæ.*

IRENÆVS *aduerſ. hæreſ. lib. 3. cap. 4.* Tantæ igitur oſtenſiones cùm ſint hæ, non oportet adhuc apud alios quærere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cùm Apoſtoli, quaſi in depoſitoriū diues, pleniſſimè in eam contulerint omnia, quæ ſint veritatis, vt omnis quicunq; velit, ſumat ex ea potum vitę. Hæc eſt enim vitę introitus, omnes autèm reliqui fures ſunt & latrones, propter quod oportet deuitare quidem illos, quę autē ſunt Eccleſiæ, cùm magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem.

III. *Quã Eccleſia in hac cuſtodia curam adhibeat, et quanta fide, atq; conſtantia ipſam tueatur veritatem.*

VINCENTIVS Lyrinen. aduerſ. profanas hæreſum nouitates. Chriſti verò Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in iis vnquam permittit, nihil minuit, nihil addit: nõ amputat neceſſaria, nõ apponit ſuperflua, nõ amittit ſua, non vſurpat aliena: ſed omni induſtria hoc vnum ſtudet, vt vetera fideliter, ſapienterq; tractando, ſi qua ſunt illa antiquitùs informata & inchoata, accuret & poliat; ſi qua iam expreſſa & enucleata, conſolidet firmet: ſi qua iam firmata & definita, cuſtodiat.

Eccleſia ſedula depoſitorum cuſtos.

IIII. *Cur Eccleſiæ tanta fides ſit adhibenda.*

AVGVSTINVS contra Creſconium lib. 1. c. 33. Facimus enim, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ; quam Scripturarum com-

commendat auctoritas. Vt quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit, in hac obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.

V. *Quæ res ad cognitionem veræ illius Eccleſiæ, quæ ſola veritatis veram continet regulam, potiſſimùm pertinere videantur.*

AVGVSTINVS in libro de vnitate Eccleſiæ tria inprimis inueſtigare videtur, quæ ad perfectam Eccleſiæ veræ demonſtrationē vehementer faciunt, videlicet vbi ſit, quæ ſit, & quibus cognoſcatur veluti ſignis.

VBI QVÆRENDA SIT ECCLESIA VERA, VT CERTO INVENIRI QVEAT.

CAPVT XI.

AVGVSTINVS *in libro de vnitate Eccleſiæ ca.2.* Inter nos autem & Dona-

Donatiſtas, quæſtio eſt, vbi ſit Eccleſia? Quid ergo facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri; an in verbis capitis ſui, Domini noſtri Ieſu Chriſti? Puto quòd in illius potiùs verbis eam quærere debemus, qui veritas eſt, & optimè
2.Tim.3. nouit corpus ſuum. Nouit enim Dominus, qui ſunt eius.

I. *In ſacris Scripturis Eccleſiam demonſtrari.*

IDEM *de vnitate Eccleſiæ cap.3.* Nolo humanis documentis, ſed diuinis oraculis ſanctam Eccleſiam demonſtrari. Si enim ſanctæ Scripturæ in Africa ſola deſignauerunt Eccleſiam, & in paucis Romæ Rupitanis, & Montenſibus, & in domo vel patrimonio vnius Hiſpanæ mulieris, quidquid de chartis aliis proferatur; non tenent Eccleſiam, niſi Donatiſtę. Si in paucis Mauris prouinciæ Cæſarienſis eam ſancta Scriptura determinat, ad Rogatiſtas tranſeundum eſt. Si in paucis Tripolitanis & Byzacenis & Prouincialibus, Maximinianiſtæ

niſtæ ad eam peruenerunt. Si in ſolis orientalibus, inter Arrianos, & Macedonianos, & Eunomianos, & ſi qui illic alij ſunt, requirenda eſt. Quis autem poſſet ſingulas quaſi hæreſes enumerare gentium ſingularum?

Si autem Chriſti Eccleſia, Canonicarum Scripturarum diuinis & certiſſimis teſtimoniis in omnibus gentibus deſignata eſt, quidquid attulerint, & vndecunque recitauerint, qui dicunt; Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic; audiamus potiùs, ſi oues eius ſumus, vocem Paſtoris noſtri dicẽtis; Nolite credere. Matth. 24. Illę quippe ſingulę in multis gentibus, vbi iſta eſt, non inueniuntur; Hæc autem, quę vbique eſt, etiam vbi illæ ſunt, inuenitur.

II. *Inuenitur autem, & probatur Eccleſia*

1. *Ex promiſſis ante legem.*

Stapletonvs *in Demonſtrat. li. 2. c. 1.* Ante diluuiũ perexigua erat de Chriſto

ſto mentio, & prædictio rara, ſcilicet in
Geneſ. 3. ſolis illis verbis: Ipſa conteret caput
Geneſ. 7. tuum. Noæ autem dixit Dominus: In-
Aug. li. 12. c. 5. cōt. Fauſtū Manich. & Hiero. in Dialog. cōt. Luciferian. gredere tu, & omnis domus tua in arcam; te enim vidi iuſtum coram me, in generatione hac. Ipſa autem arca in eo, quòd omnium animalium genera intra ſe contineret, omnes gentes ſignificabat, quas Eccleſia comprehendit.

POST diluuium totis trecentis annis, nempe vſque ad ætatem Abrahæ, nulla planè fit credentium, aut purè Deum colentiū euidens mentio. Non
Auguſt. de ciuitat. Dei lib. 16. ca. 2. quia toto illo tempore defuerint, ſed quia, ſi omnes commemorarētur, eſſet hæc magis hiſtorica diligentia, quàm prophetica prouidentia.

IN Abrahamo autem, ſicuti clariora leguntur promiſſa diuina de Chriſto: ſic euidentior incipit eſſe notitia ciui-
Auguſt. lib. de vnitat. Eccleſiæ c. 8. tatis Dei. Non tamen in ſolo populo nato ex carne Abrahæ, intelligendum
Galat. 3. eſt ſemen Abrahæ, quod eſt Chriſtus; ſed qui ex Spiritu ſancto renati Chriſtum ſequuntur.

EADEM promiſſio & Chriſti & Eccleſiæ facta eſt Iſaac filio Abrahæ, eiſdem planè verbis: & rurſum ad Iacob, ſed maiore paulò euidẽtia. Erit,inquit Scriptura,ſemen tuum ſicut puluis terræ: dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiẽ. De qua Auguſtinus: Date,inquit, mihi hanc Eccleſiam, ſi apud vos eſt: Oſtendite vos communicare omnibus gentibus, quas iam videmus in hoc ſemine benedici. Date hanc, aut furore depoſito accipite.

Geneſ. 26.
Geneſ. 28.
Auguſt. de vnitat. Eccleſiæ cap. 6.

2. *Ex lege.*

IAM verò data ipſa lege, magis per varias ceremonias & figuras innotuit Chriſtus; ipſe enim Moyſes Chriſtum prophetauit per figuras obſeruationũ carnalium, in tabernaculo, & ſacerdotio, & ſacrificiis, ac aliis myſticis, plurimiſque mandatis.

Auguſt. de ciuitat. Dei lib. 18. c. 11.

3. *Ex Pſalmis.*

IDEM in Pſal. 18. In omnem terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba

verba eorum. Rurſum: In ſole poſuit tabernaculum ſuum. Ideſt; in manifeſtatione poſuit ſanctam Eccleſiam ſuã, (*ait Auguſtinus*) non in occulto, non quę lateat, non velut operta, ne fortè fiat ſicut operta ſuper greges hæreticorum. Quid tu hæretice fugis in tenebras, q̃d latitare conaris?

Auguſt. in Enarr. eiuſdem Pſalmi.

PSAL.21. Conuertentur ad Dominũ vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium. Si dixiſſet Propheta, *inquit Auguſtinus*, fines terrę, nec adieciſſet, vniuerſi, dicerent Donatiſtæ: Ecce habemus fines terræ in Mauritania. Sed dixit Propheta. Vniuerſi fines terræ. O hæretice vniuerſi dixit; Quâ exiturus es, vt euadas quæſtionem? Non habes quo exeas, ſed habes quo intres.

Auguſt. in Enarrat.

PSAL.44. Pro fratribus nati ſunt tibi filij: Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Hæc eſt Catholica Eccleſia, *ait Auguſtinus*. Agnoſcãt, qui præciſi ſunt: Veniant ad vnitatem, adducantur in templum Reges. Templum ſuum

Auguſt. in Enarrat.

ſuum Deus vbique collocauit, vbique firmauit, ſuper omnem terram.

PSAL. 47. Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius. Hæc eſt ciuitas, *ait Auguſtinus*, in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt. Hęc eſt lucerna, quę ſub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata. Auguſtin. in Enarrat. Matth. 5.

PSAL. 49. Deus Deorum locutus eſt; vocauit terram, à ſolis ortu vſque ad occaſum: ex Sion ſpecies decoris eius. Quid hîc exurgunt Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, *ait Auguſtinus*, dicentes: Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic? Non audio oſtendentes partes: Deus Deorum totum mihi oſtendit. Auguſt. in Enarrat.

PSAL. 56. Exaltare ſuper cœlos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua. Cur Dominum Chriſtum exaltatum ſuper cœlos creditis, & eius gloriæ ſuper omnem terram non communicatis? Auguſt. de vnitat. Eccleſiæ c. 6.

ECCE manifeſta eſt in Pſalmis Eccleſia toto orbe diffuſa, ſuper quam requieſcit gloria Regis eius. Aug. Pſalm. 71. circ. finē.

4. *Ex Prophetis.*

*E*SAIAS *cap.1.* Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons, domus Domini in vertice montium: & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes; & ibunt populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Dei (QVI CHRISTVS EST) & ad domum Dei Iacob (quę eſt ECCLESIA) His verbis nõ numeroſam tantùm, ſed & conſpicuam fore Eccleſiam Chriſti prædixit. Quid enim, *ait Auguſtinus*, tam manifeſtum, quàm mons? Sed ſunt & mõtes ignoti, quia in vna parte terrarum poſiti ſunt. Iſte autem mons nõ ſic, ſed erit mons in vertice omnium mõtium, & fluent ad eum omnes gentes. Quis errat in hoc monte? Quos odium excæcauit, qui fratres non diligunt. Iſti ſe ſepararunt ab orbe terrarum.

Aug. tract. 1. in Epiſt. Ioan.

*I*DEM *cap. 49.* Ecce, & iſti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & iſti de terra Auſtrali. Et iterum: Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes

omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: quaſi alludens ad promiſſionem Abrahæ factã, vbi iubetur leuare oculos ſuos &c. Et paulò pòſt: Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ, hoc eſt, filij gentiũ: Anguſtus eſt mihi locus: fac ſpacium mihi vt habitem &c. Quibus ſanè verbis Eccleſiam Chriſti in illuſtri multitudine, non in obſcura paucitate poſitam deſcribit: adeoque numeroſam fore vaticinatur, vt vniuerſus quaſi orbis eam non capiat. Geneſ. 22. Stapleto. li. demonſtra. 1. cap. 3.

Esaiam ſequitur Hieremias cap. 17. Sedes gloriæ exaltata eſt ſanctificatio noſtra. His enim verbis docet illam Eccleſiam prædictam eſſe, quæ omnibus eminet, & apparet, *ait Auguſtinus.* Aug. contra Fauſt. Man. li. 13. ca. 13.

Ezechiel quoque de Chriſto & eius futura gratia prædicens, eam gentibus conſpicuam fore, his verbis docet: Erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus. Et ſcient gẽtes, quia ego Dominus ſanctificator Iſraël, quum fuerit ſanctificatio mea in medio eorum in perpetuum. Cap. 37.

Cap. 2. *NEC minùs perſpicuè Daniel*. Chriſtus enim lapis ille eſt exciſus de monte ſine manibus, qui factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram. Quod de Eccleſia prędictum & impletum eſſe docet Auguſtinus. Aug. in trac. 1. in Epiſtol. Ioan.

AGGÆVS cap. 1. Implebo domum iſtā gloria, & magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ pluſquā primæ. Quod de Eccleſia dictum eſſe Auguſtinus docet accuratè. De ciuitat. Dei lib. 18. cap. 45.

ABACVCH cap. 7. Operuit cœlos gloria eius; laudis eius plena eſt terra; ſplēdor eius, vt lux erit. Quod totum de Eccleſia dici demonſtrat Auguſtinus copiosè. Auguſt. de ciuit. Dei li. 18. c. 32.

NEC tacuit hoc Sophonias ca. 3. cùm ſcriberet: Tunc reddā populis labium erectum, vt inuocent omnes nomen Domini, & ſeruiant ei humero vno.

APERTIVS autem Zacharias cap. 9. Poteſtas autem eius à mari vſq; ad mare; & à fluminibus vſque ad fines terræ.

Cap. 1. *POSTREMVS Malachias vno & eodem ſpiritu cum cæteris deſcribens Iudaici populi dereli-*

derelictionem, ait de Eccleſia Chriſti: Ab ortu ſolis vſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur nomini meo oblatio munda.

5. *Ex Euangelio.*

STAPLETONVS *li.1.demonſtrat.c.4.* Quæ ergo Abrahæ, Iſaac & Iacob ante legem promiſſa ſunt; quę futura Pſalmi & Prophetæ creberrimè inculcabant, ipſa veritas dilucidè affirmat.

PRIMO enim Matthęi 5. quum multa diſcipulos ſuos in monte ſeorſim à turbis docuiſſet, ſic eos totius fidelium Eccleſiæ perſonam gerẽtes alloquitur: vos eſtis lux mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita.

DEINDE, quia multitudo conſpicua erat futura Eccleſia, controuerſias, quæ priuatim terminari non poterant, ad illam referri iubet. Si peccauerit, inquit, in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum: Si te non audierit, adhibe adhuc tecum vnum vel duos: Matth. 18.

Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Quo præcepto nihil vanius eſſet, ſi ipſa Eccleſia, quæ hîc adiri à fidelibus iubetur, occulta prorſus & incognita fidelibus futura eſſet, poſita vel in deſerto paucorũ, vel in multitudine incognita.

RVRSVM de Pſeudochriſtis & Pſeudoprophetis, id eſt hęreticis apertè admonens, eos à paucitate & latebris in
Matth. 24. primis cauendos docet. Si quis, inquit, vobis dixerit; Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic, nolite credere. Et iterum; ſi dixerint vobis, ecce in deſerto, quaſi vbi non eſt frequentia multitudinis, *ait Auguſtinus*, nolite exire. Ecce in penetralibus, quaſi in ſecretis traditionibus, atque doctrinis, nolite credere.

Aug. de vnitat. Eccleſiæ c. 20.

POSTREMO in nouiſſimis verbis ſuis, quę habuit in terris, vt notauit diligen-
Ibidẽ ca. 16. ter Auguſtinus, manifeſtam & copioſam demonſtrauit Eccleſiam, dicens iam iam ad Patrem aſcenſurus: Eritis
Act. 1. mihi teſtes in Hieruſalem, & in tota Iudæa, & in Samaria, & vſque ad vltimum terræ.

III. *Quo-*

III. *Quomodò impleta ſint veteris Teſtamenti vaticinia, quæ de Eccleſia prædicta fuerunt.*

*I*DEM. Eſt autem obſeruatione digniſſimum, vt hęc Saluatoris verba verbis propheticis aptè reſpondeant.

QVOD enim dixit Eſaias, de monte domus Domini futuro in vertice montium, & eleuando ſuper omnes colles, apertiùs dixit Chriſtus Apoſtolis præſentibus Eccleſiæ ſuæ primitiis: Non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita. Eſai. 2. Matth. 5.

QVOD dixit Dauid: Exaltare ſuper cœlos Deus, dixit Chriſtus: Oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam: Quod adiicit ſtatim Dauid; & ſuper omnem terram gloria ſua, adiecit ſtatim Chriſtus; & prædicari in nomine eius remiſſionē peccatorum per omnes gentes. Luc. 24.

QVOD dixit Dauid: Ex Sion ſpecies decoris eius: Et Eſaias; de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem; dixit apertè Chriſtus; Incipientibus à Hieruſalem. Et tunc hæc omnia dixit Chriſtus, quũ doceret diſcipulos, aperiens illis ſenſum vt intelligerent Scripturas, quomodo neceſſe eſſet omnia impleri, quæ ſcripta ſunt de illo in lege Moyſi, in Pſalmis & Prophetis.

Ibidem.

IIII. *Anacephaleoſis, ſeu breuis dictorum cõprehenſio ac concluſio.*

Eccleſia eſt fideliũ multitudo illuſtris & conſpicua.

Ex his omnibus vtriuſque inſtrumenti Scripturis, luce clariùs demonſtratur, veram Chriſti Eccleſiam multitudinem eſſe fidelium, non paucitatem: eamq; illuſtrem, non obſcuram: & vbiq; gentium diffuſam, non hîc aut illic concluſam.

QVÆ

QVÆ VERA CHRISTI SIT ECCLESIA ILLVSTRIS, ET PERSPICVA; IN QVA SOLA ſit vera fidei doctrina, & religio quærenda.

CAPVT XII.

I. *Ab ea Eccleſia ſumendum eſſe exordium, quæ eſt Catholica.*

AVGVSTINVS *de vtilitate credendi cap. 7.* Procul dubio à Catholica Eccleſia ſumẽdum exordium. Chriſtianorum enim cùm ſint hæreſes plures, atq; omnes ſe Catholicos velint videri; alioſq; præter ſe Hæreticos nominent; vna tamen eſt Eccleſia, vt omnes concedunt, ſi totum orbem conſideres, refertior multitudine: vt autem, qui nouerunt, affirmant, etiam veritate ſincerior.

II. *Quid ſit Catholicum.*

BEDA *in Comment. ſuper Cant. cap. 6.* Vnde Eccleſia ſit Catholica nuncupata

Lucas docet dicens: Eccleſiæ quidem omnes per totam Iudæam, & Galilęam & Samariam habebant pacem, & ædificabantur ambulantes in timore Domini &c. Quod enim vniuerſale hoc loco Latinè, hoc dicitur Græcè καθολικὸν. Vnde liquidò patet, quòd inde Catholica vocatur Eccleſia, quòd per totius mundi partes in vna pace, in vno timore Domini ædificetur, vna eademque ſancti Spiritus conſolatione repleatur.

Vniuerſale. Catholicũ.

III. *Ex eo, quòd Eccleſia dicitur Catholica, eam diſcerni ab omnibus falſis Eccleſiis.*

AVGVSTINVS de tempore Sermo. 131. & 181. Idcircò in Symbolo dicimus; Credo vnam Eccleſiam, id eſt, toto orbe diffuſam, quia diuerſorum hæreticorũ Eccleſiæ, ideò Catholicæ nõ dicuntur, eò quòd per loca, & per ſuas quæq; prouincias continentur. Hæc verò ab ortu ſolis vſq; ad occaſum vnius fidei ſplendore diffunditur.

IDEM

IDEM contra Epiſtolam fundamenti c.4. Non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic ſola Eccleſia Catholica obtinuit, vt cùm omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Heretici baſilicam oſtẽdere nõ poſſunt.

IIII. *Quomodò Eccleſia ſecundùm ſtatum noui teſtamenti deſcribatur.*

STAPLETONVS *Demonſtrat. lib.4. ca.6.* Plenisſima Eccleſiæ definitio ſeu deſcriptio.
Eccleſia Chriſti ſecundùm ſtatum noui teſtamenti, eſt multitudo collecta fidelium omnium Chriſti nomen profitentium, incipiens à Hieruſalem, indeque per vniuerſum mundum viſibiliter diſperſa: creſcens per omnes gentes; ſucceſſione & paſtorum & populorum perpetua: ſemper illuſtris & manifeſta: mixta bonis & malis; electis & reprobis: fide & Sacramentis ſancta; com-

1. Multitudo collecta.
2. Creſcẽs per oẽs gentes.
3. Perpetua.
4. Illuſtris & cõſpicua.
5. Bonis & malis mixta.

6. VNA. communione totius, vna: origine &
7. Apoſtolica. ſucceſſione, Apoſtolica; amplitudine
8. Catholica. & perpetuitate, Catholica; fidei propa-
9. Firma. gatione & conſeruatione, firma: vſque
10. Vſq; in finẽ duratura. in finem ſeculi duratura.

V. *Non ideò ſic deſcribitur Eccleſia, quòd eiuſmodi proprietates nobis ſint commodæ, ſed quòd Spiritus ſanctus talem promiſerit, & poſteà de facto exhibuerit.*

AVGVSTINVS *de vnitate Eccleſiæ ca. 16. contra Donatiſtas*. Vtrum ipſi teneant Eccleſiam, nõ niſi diuinarum Scripturarum Canonicis libris oſtendant; quia nec nos propterea dicimus nobis credere oportere, quòd in Eccleſia ſumus, quia ipſam, quam tenemus, commendauit Mileuitanus Optatus, vel Mediolanenſis Ambroſius, vel alij innumerabiles noſtræ communionis Epiſcopi; aut quia noſtrorum collegarum Conciliis ipſa prædicata eſt; aut quia per totum

tum orbem noſtra frequentatur communio; ſed quia talem Eccleſiam commendãt Scripturę diuinæ, in lege, Pſalmis, Prophetis, & Euangelio, quæ per orbem terrarum diffunderetur, & creſceret vſque ad meſſem, hoc eſt vſq; ad finem ſeculi.

Scripturæ demonſtrãt Eccleſiam.

VI. *Quomodò Eccleſia dicatur multitudo collecta.*

CHRYSOSTOMVS *Homil. 1. in prim. ad Cor. In verba illa: Eccleſia Dei, quæ eſt Corinthi.* Eccleſiam, *inquit*, Dei appellat, vt oſtẽdat, in vnum eam redigi oportere. Nam ſi Dei eſt, vna eſt: non Corinthi ſolùm, ſed vniuerſi orbis Eccleſia. Nomen enim Eccleſię non ſeparationem, ſed vnitatem & collectionem ſignificat.

VII. *Quomodò Eccleſia creuerit per omnes gentes.*

D. PAVLVS *& Barnabas ad Iudæos Act. 13.* Vobis oportuit primùm loqui verbum Dei: ſed quia repuliſtis illud, conuerti-

uertimur ad gentes. Sic enim præcepit
Iſai. 49. nobis Dominus dicens: Poſui te lumen
gentibus, vt ſis ſalus mea vſque ad vltimum
terrę. Quod quidem totũ quemadmodum
poſteà conſecutum ſit, & in omnem terram exiuerit ſonus eorum, *(vt Apoſtolus ipſe adhuc de ſuo tempore ſcripſerat)* tũ Acta & literæ Apoſtolicæ, tum tota reliqua hiſtoria Eccleſiaſtica demonſtrat.

VIII. *Quomodò Eccleſia ſit perpetua.*

TERTVLLIANVS *in libello de præſcript. hæreticorum.* Illis veritatem adiudicat, quicunq; in ea regula incedunt, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chri-
Epheſ. 4. ſto acceptam tradiderunt. Qui dedit Eccleſiæ ſuæ Paſtores & Doctores ad ædificationem Eccleſiæ, & cõſummationem Sãctorum, vt creſcamus in illo per omnia, donec occurramus omnes in vnitate fidei &c.

HIERONYMVS *in homil. de Paſtoribus.* Ecce Eccleſia Chriſti. Ecce grex Chriſti, tu vide, ſi ouis es: Non enim te latet

grex,

grex, qui vbiq; eſt. Non habebis, quem vis eſſe Paſtorem tuũ; non habebis inq̃, quod reſpondeas iudici tuo; neſciui, nõ vidi, non audiui. Quid eſt, quod non ſciſti? Nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Quid eſt, quod non vidiſti? viderunt omnes fines terrę ſalutare Dei noſtri. Quid eſt, quod non audiſti? In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Pſal. 18.

Pſal. 97.

Pſal. 18.

IX. *Quomodò Eccleſia bonis & malis ſit mixta.*

AVGVSTINVS *de fide ad Petrum ca. 43.* Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, arcam Dei eſſe Catholicam Eccleſiam, & intra eam vſq; in finẽ ſeculi frumento mixtas paleas contineri, hoc eſt, bonis malas ſacramentorum communione miſceri; & in omni profeſſione, ſiue clericorum, ſiue monachorum, ſiue laicorum, bonos eſſe ſimul & malos; nec pro malis bonos deſerẽdos, ſed pro bonis malos, in quantum exigit fidei, & charitatis ratio, tolerandos.

Area Dei eſt Eccleſia.

Mali ꝓpter bonos tolerandi.

X. *Quo-*

X. *Quomodò mali ſint in Eccleſia.*

AVGVSTINVS *in Canonicam Ioan. tractat. 3.* Mali Chriſtiani ſic ſunt in corpore Chriſti; quomodo humores mali; quandò euomũtur, tunc releuatur corpus; Sic & mali quandò exeunt, tunc releuatur *Eccleſia ſeu corpus Chriſti.*

XI. *Quomodò ſancta ſit Eccleſia.*

STAPLETON. *lib. Demonſtrat. 1. ca. 11.*

1. Propter fidem. Primùm itaq; propter fidem Eccleſia ſancta dicitur; eſt enim non niſi fideliũ congregatio. Et hoc ſenſu fideles olim quaſi proprio vocabulo ſancti ſunt nũcupati, vt propter fidem à cæteris fidelibus hoc nomine diſtinguerentur.

2. Propter Sacramenta. RVRSVM ſancta eſt Eccleſia propter ipſa Sacramenta, per quę Chriſtus eam ſibi deſponſauit, maximè per Baptiſmum dicente Apoſtolo: Chriſtum ſe tradidiſſe pro Eccleſia, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ. Ephe. 5.

POSTRE-

POSTREMO ſancta eſt, quia Chriſtus eam ſua gratia perpetuò ſanctificat, id eſt, vt ſancta ſit, ſuæ bonitatis dona ei inceſſanter ſubminiſtrat. 3. Propter ſanctificatiõnẽ.

XII. *Quomodò vna ſit Eccleſia.*

AVGVSTINVS contra Creſconium lib.1. ca.29. Vnus enim Deus, vna fides, vnum Baptiſma, vna incorrupta Catholica Eccleſia, non in qua ſola vnus Deus colitur; ſed in qua ſola vnus Deus piè colitur; nec in qua ſola vna fides retinetur, ſed in qua ſola vna fides cum charitate retinetur; nec in qua ſola vnus baptiſmus habetur, ſed in qua ſola vnus baptiſmus ſalubriter habetur. Epheſ. 4.

XIII. *Unde Apoſtolica dicatur Eccleſia.*

TERTVLLIANVS de præſcript. hæret. Et proinde Apoſtoli Eccleſias apud vnã quamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidiè mutuãtur, vt Eccleſię fiant. Ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ

Vide ſuprà de præcipuo Catho. fidei fundamẽto hoc eod. lib. per tot.

deputantur, vt ſoboles Eccleſiarum Apoſtolicarum.

XIIII. *Quomodò firma ſit Eccleſia.*

LVCÆ 22. Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum; ego autem rogaui pro te; vt nō deficiat fides tua; & tu aliquandò conuerſus, confirma fratres tuos.

1. TIMOTH. 3. Hæc tibi ſcribo, vt ſcias, quomodò oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.

AVGVSTINVS in Pſal. 47. Non inſultent hæretici per partes conciſi, non ſe extollant, qui dicunt: Ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic. Qui dicit ecce hîc, ecce illic, ad partes inducit. Vnitatem promiſit Deus, Reges in vnum collecti ſunt, non per ſchiſmata diſſipati ſunt, Sed fortè iſta ciuitas, quæ mundum tenuit, aliquando euertetur? Abſit. Deus fundauit eam in æternum. Si ergo Deus funda-

Vide de Symbol. li. 1. c. 5.

Pſal. 47.

fundauit in æternum, quid times, ne cadat firmamentum.

XV. *Prophetia quomodò Eccleſia ſit perpetuò duratura.*

ESAIAS ca. 54. Lætare ſterilis. Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerē vltrà aquas ſupra terram, ſic iuraui, vt non iraſcar tibi; Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent. Miſericordia autem mea non recedet à te; & fœdus pacis meæ non mouebitur.

XVI. *Eccleſiam errare non poſſe.*

AVGVSTINVS concione ad Catechum. cap. 20. Apud Catholicam Eccleſiam dilectiſſimi noueritis tãtùm eſſe veram fidem; germanam pacem; perpetuam ſalutem. Non enim in angulo eſt, ſed vbique tota eſt. Si quis ab ea diſceſſerit, atque hæreticorum errori ſe tradiderit, vt fugitiuus ſeruus iudicabitur, non vt filius adoptiuus: nec ad vitam æternã reſurget; ſed potiùs ad damnationem; quoniam bonis malisque pro-

mittitur reſurrectio. Omnes quidem
1.Cor.15. reſurgemus, ait Apoſtolus, ſed non omnes immutabimur. Et quid ꝓdeſſet, fratres mei, reſurgere, & non immutari?

XVII. *Extra Eccleſiam nulli ſpem certam ſalutis eſſe relictam.*

*A*VGVSTINVS *tractat. 27. in Euangel. Ioan.* Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quã ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius, non vegetatur
Rom. 8. ſpiritu eius. Quiſquis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.

*I*DEM *in ſermone ſuper geſtis Emeriti.* Extra Eccleſiam Catholicam, totum habere poteſt hæreticus præter ſalutẽ. Poteſt habere honorem ſecundùm Eccleſiaſticum ordinem; poteſt habere Sacramentũ; poteſt cantare, Halleluia; poteſt reſpondere, Amẽ; poteſt Euangeliũ tenere; poteſt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, fidẽ & habere,

&

& prædicare; ſed nuſquam niſi in Eccleſia Catholica ſalutem poterit inuenire.

XVIII. *In qua Eccleſia ſit permanendum.*

HIERONYMVS *aduersùs Luciferianos.* In illa permanendum eſt Eccleſia, quæ ab Apoſtolis fundata, vſque ad diem hanc durat. SIC vbi audieris eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino IESV Chriſto; ſed à quoquã alio nuncupari, vtpote Marcioniſtas, Valentinianos, Montenſes ſiue Compates; ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. Ex hoc enim ipſo, quòd poſteà inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicãt, quos futuros Apoſtolus nunciauit.

AVGVSTINVS de vtilitate credendi c.7. Vna eſt Catholica Eccleſia, cui hęreſes aliæ diuerſa nomina imponunt, cùm ipſæ ſingulæ propriis vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur.

DE VERIS AVT FALSIS VERÆ ECCLESIÆ NOTIS, EX DEMONSTRATIONE PRINCIPIOrum Thomæ Stapletoni inſignis Angliæ Theologi.

CAPVT XIII.

I. *Quàm Proteſtantium Theologi in aßignãdis Eccleſiæ notis varij ſint, & inconſtantes.*

IN hac re Proteſtantes nec inter ſe, nec ſibi ipſis conueniunt.

Luth. in tracta. de notis veræ Eccleſiæ. Tom. 7.

LVTHERVS Patriarcha cæterorum omnium, ſeptem ponit Eccleſiæ notas. 1. Primam notam ponit in verbo Dei, vt ibi vera Sancta & Catholica ſit Eccleſia, vbi verbum Dei prædicari, credi, lucere in confeſſione, ac vita & moribus exprimi videatur. Secundam, 2. ponit Baptiſmi Sacramentum. 3. Tertiam Euchariſtiæ Sacramentum. 4. Quartam, Claues Eccleſiæ. Quintam, Mini-

Notas Eccle. ſiæ Lutherus ponit

Miniſterium verbi. Sextam, orationes 5.
publicas, vt orationis Dominicę, & Pſal 6.
morum cantus publicos. Septimam, 7.
perſecutiones & afflictiones pati, excõmunicari, vocari hæreticos.

HAS ſeptem notas ad quatuor redigunt Magdeburgenſes, vt ex prima Lu- 1.
theri duas faciant, verbum Dei prædicatum, & verbum Dei lucens in confeſſione; tres medias in vnam coarctãt, 2.
legitimum ſcilicet Sacramentorum vſum, ſiue illa tria, ſiue plura aut pau- 3.
ciora ſint. Quarto & vltimo loco ponũt 4.
miniſterium verbi, & obedientiam erga illud. Sextam & Septimam Lutheri penitus reiiciunt.

Magdeburgenſes.

SED nec iſte numerus diu placuit aut omnibus. Itaque tria ſigna ponit Melanchthon in reſpõſione ad Articu- 1.
los Bauaricæ inquiſitionis. Doctrinam 2.
Euangelij incorruptam, vſum Sacramentorum legitimum, & obedientiam miniſterio debitam. Lux illa Confeſ- 3.
ſionis, quam poſt Lutherum retinent Magdeburgenſes, omittitur.

Melanchthon.

Prote-ſtantes cōmu-niter duas.

HODIE omnes Proteſtantes duas tantùm veras atque legitimas Eccleſiæ 1. notas eſſe volunt; ſcilicet puram Euan-2. gelij prædicationem; & rectum Sacramentorum vſum.

OBSERVA *autem hîc diligenter, quòd in tanta notarum varietate, nemo eorum aut* NOTA. *vnius, aut Sanctæ, aut Catholicæ, aut Apoſtolicæ meminerit; quumtamen Symbolum Conſtantinopolitanũ hæc omnia apertè complectatur.*

II. *Cur neque hæ duæ, eo ſenſu quo aduerſarij volunt, legitimæ ſint veræ Eccleſiæ notæ.*

Ratio prima.

His notis hæretici ſibi Eccleſiam vendicant.

OMNES enim hæretici ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, apud ſe eſſe veram Euangelij doctrinam, & rectum vſum Sacramentorum clamitârunt. At verò

Eccleſiæ notæ quales?

tales eſſe debent Eccleſiæ notæ, quas hæreticus ne prętexere quidem probabiliter poſſit. Alioqui nulla Eccleſiæ erit certitudo, quam tamẽ, iuxta Symbolum

bolum fidei, certiſſimam, ac omnibus perſpicuam eſſe profitemur.

Secunda ratio.

RVRSVM, hæc duo nō demonſtrant vbi ſit Eccleſia; Sed ipſa Eccleſia demonſtrat, vbi ſint hæc duo. Quæ enim ſit pura Euangelij prædicatio, & quis ſit rectus Sacramentorum vſus, Eccleſia Dei docet, atque oſtendit. Vt hic ordo ſeruaretur, dedit Deus Paſtores & Doctores, vt perueniāt omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei.

Hę duę notę non demonſtrant Eccleſiam.

Epheſ. 4.

Tertia ratio.

PRIVS nota clara, atque perſpicua eſſe debet Eccleſia, quæ ſit vera doctrina. Siquidem notior eſſe is debet, apud quem aliquid quæro, quàm id ipſum, quod quæro; niſi fruſtrà velim quęrere; aut nunquam quęrendi finem facere.

Notior eſt Eccleſia quā doctrina.

Quarta ratio.

PRÆTEREA hæ duæ notæ, veræ doctrinæ prædicatio, & rectus Sacramentorum vſus, aut largiſſimè hic ab

Duplex harum notarū intellectus.

hæreticis intelliguntur, aut ſtrictim & propriè. Si largiſſimè certè in ipſorum ambitu, ipſa quoque Eccleſiæ vnitas, & debita illi obediētia intelligetur. Nam & extra Eccleſiæ vnitatem non valet Sacramētorum vſus, nec prodeſt quidquam ad ſalutem. Sin verò propriè & ſtrictim has duas notas accipiūt, & ſeorſim ab Eccleſiæ miniſterio, vnitate, authoritate, cęterisq; dotibus & propriis, & peculiaribus, tunc profectò hæ notæ non conuertuntur cum Eccleſia, nec vbicunq; hæ duæ notæ ſunt, ſtatim eſt Eccleſia. Nam in omnibus ſchiſmaticis (vbi nullum aſſeritur hæreticū dogma) poteſt eſſe vera & ſana doctrina; rectus quoque Sacramentorum vſus; ſicut in Meletianis, in Luciferianis, in Donatiſtis, antequam in hæreſim illorū Schiſma creuiſſet, atque etiam in Audianis ſeu Audænis rem ſe habuiſſe hiſtoria Eccleſiaſtica demonſtrat. *

1. Largo modo, & continent ſub ſe ipſamquoq; Eccleſię vnitatem.

2. Propriè, & tunc nō conuertuntur cū Eccleſia.

*Nicephor. li. 11. ca. 14. Et Theodo. in Tripart. li. 7. c. 11. vbi Audæus & Audius vocari dicitur Anthropomorphitarū author.

Quinta ratio.

IAM verò, vt res hæc tota liquidiſſima fiat, vera Euangelij doctrina, & rectus

ctus Sacramentorum vſus propriè ac ſeorſim accepta, ſunt fructus & dotes Eccleſię, ſunt bona & beneficia per miniſterium Eccleſiæ nobis collata; non ſunt notę, quibus diſcernatur Eccleſia. Non enim quæcunque ſunt Eccleſiæ bona, ſtatim illius notæ ſunt. Eccleſia eſt ſancta, ſed per ſuam ſanctitatem non innoteſcit; Eccleſia eſt Chriſtiana, ſed per Chriſti nomen non innoteſcit; Eccleſia eſt vnius Dei cultrix, ſed non per vnius Dei cultũ innoteſcit. Sic Eccleſia eſt docta, nec tamen per doctrinam innoteſcit. Habet Sacramenta, habet Sacerdotes, habet templa; nõ tamen per hæc omnia innoteſcit, id eſt, ab hæreticis & ſchiſmaticis omnibus non diſtinguitur.

Hæ notæ propriè ſunt tãtùm fructus & dotes Eccleſiæ.

Sexta ratio.

FVIT olim Donatiſtarum hic error, vt dicerent, Catholicę Eccleſię nomen nõ ex totius orbis communione (quam pro certiſſima Eccleſię nota Auguſtinus poſuerat, & ex Scripturis probauerat) ſic dictum eſſe, ſed ex obſeruatione pręceptorum

Circa has notas committitur error Donatiſtarum.

ptorum omnium diuinorum atque Sacramentorum; quod aliis verbis hodie dicunt hæretici, ex vera Euangelij doctrina, & recto Sacramentorum vſu.

Octaua ratio.

Adeò ſunt incertę, vt interdum inueniantur extra Eccleſiam.

IAM verò adeò ſunt hæ incertæ, & inſtabiles Eccleſiæ notæ, vt non ſolùm extra veram Eccleſiam paria interdum ſint Sacramenta; par & eadem doctrina, vt iam dictum eſt; ſed etiam prætereà intra ipſam veram Eccleſiam non præluceat ſemper omnibus, nec illuſtris aut manifeſta ſit quibuſuis ipſa vera doctrina, & rectus Sacramentorum vſus; ideoque pro notis & ſignis Eccleſiam quęrenti demonſtrantibus haberi non poſſint.

Nec intra Eccleſiã omnibus perſpectæ.

III. *Quæ D. Auguſtini hac de re ſit ſententia.*

*A*VGVSTINVS *contra Creſcon. lib. I. c. 20.* Inuenimus eundem Deum (quem & Chriſtiani Catholici colunt) extra Eccleſiã ab ignorantibus coli, & nec ideò fieri, vt non ipſe ſit Deus. Inuenimus etiam

Probatio eius quod octo rationibus explicatum eſt.

etiam eos, qui non pertinent ad membra Eccleſiæ eandem fidem confiteri, nec ideò fieri, vt nõ ſit vna fides; Sic etiã cùm inuenimus eundem baptiſmum ab eis, qui ſunt contra Eccleſiam, in baptizandis hominibus obſeruari, non ideò non eſſe ipſum baptiſmum exiſtimare debemus. Fortaſſe ad hoc dicas, fieri nõ poſſe, vt extra Eccleſiam idem ipſe vnus Deus colatur, aut eadem fides, qua confitemur Chriſtum filium Dei, vnde Petrus beatus eſt appellatus, Matth. 16. etiam in eis, qui non ſunt in Eccleſia, reperiatur. Hoc ergo reſtat, vt probẽ. Habes in hoc ipſo B. Pauli Sermone, quem ſuprà ex Actis Apoſtolorum cõmemoraui, Act. 17. quum de Deo loqueretur, quia inſcriptũ in ara inuenerat: Ignoto Deo; quem vos, inquit, ignorantes colitis, hunc annuncio vobis.

IDEM *in Pſal. ſuper illa verba; Inter multos erant mecum &c.* Baptiſmum, *inquit,* habebamus vtriq;: in eo erant mecum. Alia probatio. Euangelium vtrique legebamus; erant in eo mecum. Feſta martyrũm celebrabamus:

bamus; erant ibi mecum. Paſchę ſolennitatem frequētabamus, erant ibi mecum; ſed non omninò mecum. In ſchiſmate non mecum, in hæreſi non mecum. In multis mecum, in paucis non mecũ. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis proſunt multa, in quibus mecum. *Et paulò pòſt.* In omnibus Sacramentis mecum, in vna charitate non mecum.

IIII. *Octaua ratio. Quòd Proteſtantium notæ, neq; ipſorum iudicio ſunt certæ.*

Hæretici tādem ad vnā notā redeūt æquè incertam.

TANDEM eô Proteſtantes redeunt, vt ſcriptum Dei verbum ſit verę Eccleſiæ nota; & ibi ſit Eccleſia, vbi ſolum ſcriptum Dei verbum ſonat. Cuius ſanè ſententiæ multiplex eſt inſania.

Reprobatur 4. rationib.

1.

Incerta eſt hæc nota.

PRIMVM, nullus eſt controuerſiarum in religione exit[9], ſi hoc obtineat. Nam vel de ſcripto verbo Dei nō conſtat, dū varij hæretici varias ſacræ Scripturę Partes eradunt; vel de intelligentia ſcripti verbi diſceptatur. Neq; enim

ait

ait Auguſtinus, omnes hæretici Catholicas Scripturas legunt; nec ob aliud ſunt hæretici, niſi quòd Scripturas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem peruicaciter aſſerunt. Et, non de Scriptura, *ait Hilarius*, ſed de intelligentia hęreſis oritur; ſenſus, non ſermo fit crimen. *Idem copiosè ſcribit Tertullianus in libello de præſcript. hæret.*

Aug. de Geneſ. ad liter. lib. 7. cap. 9.

Hilar. lib. 1. de Trinit.

2. Dubia eſt.

DEINDE, ſi ſcriptum verbum eſt nota viſibilis Eccleſiæ, cùm ſcriptum verbum ſit dubium, anceps, obſcurum, controuerſum: quantò magis erit Eccleſia?

3. Nimiùm generalis eſt.

RVRSVM ſcriptum verbum plerique & hodiè & olim hæretici complectuntur, legunt, audiunt, venerantur; ergo tot erunt Eccleſiæ, quot ſchiſmata, & hæreſes Chriſtianorum.

4. Inualida & abſurda eſt.

PRÆTEREA nemo inter Chriſtianos tam idiota eſt, qui non cognoſcat, videat, colatque Eccleſiam. Contrà, maximus eorum numerus eſt, qui nec ſcriptum verbum vnquàm legerunt,

nec

nec doctrinam ex verbo colligere norunt, nec Sacramentorum naturas & rationes ſciunt. Ergo ſi per verbum innoteſcit Eccleſia, ignotum per ignotius innoteſcit.

V. *Eccleſiam ſic debere deſcribi, vt ab omnibus cognoſcatur.*

Hæreticorũ notæ materiam rixandi præbent.

Stapletonvs *in demonſtratione principiorum lib.4.ca.6.* Conceditur ſanè internoſci poſſe veram Eccleſiam à falſa per veram doctrinam, in qua colligitur, & qua nunquam carere poteſt; ſed non id cuiuis obuium & expeditũ eſſe: paucorum hoc, & nõ niſi perfectorum atque ſpiritualium, id eſt, Eccleſię Magiſtrorum eſſe: litigandi ſemper, & rixandi materiam ex tali diſcrimine relinqui.

Qværitvr autem hîc talis Eccleſiæ deſcriptio ſeu definitio, quæ eam omnibus, non ſolùm ſapientibus, & eruditis: ſed etiã rudibus ipſis, & imperitis fidelibus, imò infideli quoq; ipſi conſpicuam reddat, cognituq; facilem &c.

A ſa-

A sapientibus igitur Eccleſia Chriſti cognoſcitur quidem per ſanam doctrinam, & rectum Sacramentorum vſum; ab imperitis autem fidelibus, qui de doctrina ipſa in ſuis cauſis, principiis, & mediis conſiderata iudicare non poſſunt, & ab ipſis quoque infidelibus, qui parum, aut nihil de Eccleſię doctrina norũt, per externam faciem, & multitudinem populorum credentium, & Paſtorum. Debet autem Eccleſia cognoſci non ſolùm à peritis; ſed etiam ab imperitis, ideoque ſic definiri, vt ab vtriſque cognoſci queat.

Alio modo à ſapientib. cognoſcitur Eccleſia quã ab imperitis.

VI. *Eccleſiam, vt corpus, ſubſiſtere immediatè per Paſtores, non per ipſam fidem.*

Deinde, colligitur ſanè Eccleſia in vera fide ac religione, neque ea carere poteſt: Sed Eccleſia vt corpus, non per ipſam religionem, aut fidem ſubſiſtit proximè, aut conſeruatur immediatè (licet in vnoquoq; Eccleſię membro hoc verum ſit) ſed ſubſiſtit, conſer-

Eccleſia ſubſiſtit per Paſtores, Doctores & Magiſtros.

uatur, & operatur per huiuſ corporis capita Paſtores, Doctores & Magiſtros. Per quos ſanè Paſtores legitimè miſſos, tu à ſchiſmaticorum & hæreticorum factionibus, tum etiam multò magis à ſecta Mahometana (cuius ſucceſſionē, durationem, & amplitudinem Proteſtantes hodiè quaſi quiddam Catholicę ſimile obiiciunt) aut alia quacunque infidelium multitudine, quantumcunque numeroſa, & annoſa, facillimè diſcernitur.

VII. *Quales debeant eſſe notæ Eccleſiæ.*

DEBENT ergo Eccleſiæ notæ huiuſmodi aſſignari, quæ illam non ſolùm à Paganis, & Iudęis; ſed etiam (idque potiſſimùm) ab hæreticis & ſchiſmaticis omnibus clarè diſtinguant.

VIII. *Quæ ergo certiſſimæ ſint Eccleſiæ veræ notæ.*

OMNIS ferè Eccleſiam Dei rectè cognoſcendi ratio, atque ſcientia ſiue doctri-

doctrina, conſiſtit in tribus illis notis, quibus perfectam fidei Catholicæ REGVLAM contineri docet Vincentius Lyrinenſis: Vniuerſitate videlicet locorum; temporum antiquitate, ſiue perpetuitate; & ſanctorum Patrum ſiue Paſtorum & Doctorum, atque adeò populorum & gentium penè omnium conſenſione.

AC de vniuerſitate quidem, ſiue de multitudine iſta omnium fidelium in vera fide, & recto Sacramentorum vſu collecta, illuſtri quoque, & conſpicua, dictum eſt hucuſque pro ſuſcepta compendij ratione vtcunque ſatis. De cæteris nunc dicenda ſunt breuiter illa tantùm, quæ ex Patribus illis paucis, quos hoc loco potiſſimùm ſecuti ſumus, colligere licuit; ſi priùs etiã de Oecumenicis Conciliis, quæ ipſam Eccleſiam velut in ſpeculo repræſentare videntur, pauca quædam referamus.

DE CONCILIIS OECVMENICIS, QVÆ CATHOLICAM REPRÆSENTANT Eccleſiam.

CAPVT XIIII.

I. *Quid Eccleſia Catholica Cõciliorũ Decretis eniſa fuerit.*

VINCENTIVS *Lyrinenſis aduerſ.hæreſes.* Denique quid vnquam aliud Cõciliorum Decretis eniſa*(Eccleſia)*eſt, niſi vt,quod anteà ſimpliciter credebatur,hoc idem poſteà diligentiùs crederetur ? quod anteà lentiùs prædicabatur, hoc idem poſteà inſtantiùs prædicaretur ? quod anteà ſecuriùs colebatur, hoc idem poſteà ſollicitiùs coleretur?

Hoc, inquam,ſemper,neque quicquam prætereà, hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum ſuorum Decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi vt, quod priùs à Maiorib⁹ fortè, ſua

ſola

ſola traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris etiam per Scripturæ chirographum conſignaret; magnam rerum ſummam paucis literis comprehēdendo, & plerunque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei ſenſum, nouæ appellationis proprietate ſignando.

II. *Conciliorum quanta ſit authoritas.*

Avgvstinvs *in Epiſt. 118. ad Ianuar. ca. 1.* Illa, quę non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus (quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur) datur intelligi vel ab Apoſtolis, vel plenariis Cōciliis: qvorvm est in Ecclesia salvberrima avthoritas, commendata atque ſtatuta retineri.

Gregorivs *Magnus lib. 1. Epiſt. 24. ad Patriarchas.* Sicut ſancti Euangelij quatuor libros; ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor: Nicenum ſcilicet, in quo peruerſum Arrij dogma deſtruitur. Conſtantinopolitanum quoq;, in quo Eunomij, & Mace- donij

Conciliorū Decreta ſicut Euāgelia veneranda.

I. II. Quatuor Cōcilia.

III. donij error conuincitur. Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impie-
IIII. tas iudicatur. Chalcedonenſe verò, in quo Eutychetis, Dioſcorique prauitas reprobatur, tota deuotione cõplector, integerrimaque approbatione cuſtodio; quia in his velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit. *Et paulò pòst:*

Quiſquis aliud ſapit, quàm Cõcilia, Anathema ſit.

CVNCTAS verò, quas præfata veneranda concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur, amplector; quia dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſoluere, quos religant; aut ligare, quos ſoluunt. QVISQVIS ERGO ALIVD SAPIT, ANATHEMA SIT.

III. *Definitioni Concilij legitimi adquieſcendum eſſe.*

AVGVSTINVS Epiſt. 152. ad populum factionis Donatianæ circa initium. Nolite ergo eſſe ingrati tantæ miſericordiæ Dei, quæ per illam diligentiam vobis miniſtrata eſt. NVLLA EXCVSATIO

De Cõciliorum Decretis ampliùs dubitare ne fas.

IAM

iam remansit. Nimiùm dura, nimiùm diabolica ſunt hominum corda, quæ adhuc tantæ manifeſtationi veritatis obſiſtunt.

DE ANTIQVITATE, SIVE TEMPORVM VNIVERSITATE, ET PERPETVA populorum & Paſtorum ſucceſſione, ſecunda non tantùm Eccleſiæ ſed etiam religionis, & fidei Catholicæ nota.

CAPVT XV.

I. *In religionis diſsidio ſemper ad antiquam fidem eſſe recurrendum.*

Hilarivs *ad Conſtantium Auguſt. li.* 2. Quod hyeme vndoſo mari obſeruari à nauigãtibus maximè tutum eſt, vt naufragio deſæuiẽte, in portum, ex quo ſoluerant, reuertantur, vel in- cautis SIMILE. Aliud.

cautis adoleſcentibus cõuenit; vt cùm in tuenda domo ſua mores paternę obſeruantiæ tranſgreſſi, profuſa libertate ſua vſi ſunt, iã ſub ipſo patrimonij amittendi metu ſolus illis ad paternam conſuetudinẽ neceſſarius & tutus recurſus ſit; ita inter hæc FIDEI NAVFRAGIA, cœleſtis patrimonij iam penè profligata hæreditate, TVTISSIMVM NOBIS EST, PRIMAM ET SOLAM EVANGELICAM FIDEM CONFESSAM IN BAPTISMATE, INTELLECTAMQVE RETINERE: nec demutare, quod ſolum acceptũm, atque auditum habeo benè credere: nõ vt ea, quæ Synodo Patrum noſtrorum continentur, tanquam irreligiosè & impiè ſcripta damnanda ſint; ſed quia per temeritatem humanam vſurpantur ad contradictionem; quòd ob hoc ſub nomine nouitatis Euangelium negaretur impericulosè, tãquam ſub emendatione innouetur.

Hæreſes fidei naufragia.

Tutiſsimũ eſt ad primã fidem refugere.

QVOD EMENDATVM EST, SEMPER PROFICIT, vt dum omnis emendatio diſplicet, emẽdationem omnem

Emendatio.

emen-

emendatio conſequuta condemnet; ac ſi iam, quidquid illud eſt, non emendatio aliqua ſit emendationis, ſed cœperit eſſe damnatio.

II. *Traditam ſemel, & acceptam antiquitùs credēdi regulam diligenter eſſe retinendam; quæ prohibet religioni aliquid addere, mutare, & detrahere.*

Vincentius *Lyrinenſis aduerſ. hæreſ.* Quę cùm ita ſint, iterum atque iterum eadem mecum reuoluens, & reputans, mirari ſatis nequeo tantam quorūdam hominum veſaniam; tantam excæcatæ mentis impietatem; tantam poſtremò errandi libidinē; VT CONTENTI NON SINT TRADITA SEMEL ET ACCEPTA ANTIQVITVS CREDENDI REGVLA, ſed noua, ac noua indiem quærant, ſemperque aliquid geſtiant religioni addere, mutare, & detrahere. Errandi libido.

Cœleſte dogma ſemel reuelatũ eſſe ſufficit.

QVASI nõ cœleſte dogma ſit, QVOD SEMEL REVELATVM ESSE SVFFICIAT, ſed terrena inſtitutio; quæ aliter perfici, niſi aſſidua emendatione, imò potiùs reprehenſione non poſſet; cùm
Prouer. 22. diuina clament oracula: Ne transferas terminos, quos poſuerũt Patres tui. Et:
Eccleſ. 8. Super iudicantem ne iudices. Et: Scin-
Eccle. 10. dentem ſepem, mordebit eum ſerpẽs.

ET ILLVD Apoſtolicũ, quo omnes omnium hęreſeωn ſceleratę nouitates, velut quodam ſpiritali gladio ſæpe trũcatæ, ſemperq; truncandæ ſunt. O Ti-
1. Tim. 6. mothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocũ nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quã quidam promittentes circa fidem exciderunt.

ET POST hæc inueniuntur aliqui tanta inueteratæ frontis duritia, tanta impudentiæ incude; tam adamantinæ pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cœleſtiũ molibus non ſuccumbant; tantis ponderibus non fatiſcant; tantis malleis nõ conquaſſentur; tantis poſtremò fulminibus non conterantur.

HILA-

HILARIVS ad Conſtant. Auguſt. Recognoſce fidem, quam olim, optime ac religioſiſſime Imperator, ab Epiſcopis optas audire, & non audis. Dum enim à quibus ea requiritur, ſua ſcribunt, & non, quæ Dei ſunt, prædicant; orbem ęternum erroris, & redeuntis in ſe ſemper certaminis circumtulerunt.

OPORTVERAT enim humanæ infirmitatis modeſtia omne cognitionis diuinæ Sacramentum illis tantùm conſcientiæ ſuæ finibus contineri, quibus credidit: neque poſt confeſſam, & iuratam in baptiſmo fidem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quidquam aliud vel ambigere, vel innouare.

III. *Veram fidei doctrinam in illa tantùm eſſe Eccleſia, quæ populorum, atq; gẽtium conſenſione continetur.*

AVGVSTINVS li.2.cont.Parmenian. Cùm manifeſtũ ſit, & ipſa luce clarius, nos

nos cum tot innumerabilibus populis eſſe, & tot prouincias nobiſcum eſſe, iam videtis vos in parte vnius aut alterius regionis poſitos, & ab Eccleſia veſtris erroribus ſeparatos, fruſtrà vobis ſolis hoc nomen Eccleſiæ cum ſuis dotibus vendicare.

IIII. *Ex Epiſcoporum ſucceſſione facilè, & ſine periculo cognoſci poſſe, quæ vera ſit Eccleſia, & quæ doctrina Apoſtolica.*

IRENÆVS *lib.4.* Agnitio vera, eſt Apoſtolorũ doctrina, & antiquus Eccleſię ſtatus, in vniuerſo mundo, & charactere corporis Chriſti, ſecũdùm ſucceſſiones Epiſcoporũ; quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco eſt, Eccleſiam tradiderunt, quæ peruenit vſq; ad nos, cuſtodita ſine fictione, Scripturarum tractatione pleniſſima; neque ablationem recipiens lectio ſine falſatione, & ſecundũ Scripturas expoſitio legitima,

Antiquus Eccleſiæ ſtatus.

&

& diligens, & ſine periculo, & ſine blaſphemia; & præcipuum dilectionis munus, quod eſt precioſius, quàm agnitio; glorioſius autem quàm prophetia, omnibus autem reliquis chariſmatibus ſupereminens.

Charitas cęteris Eccleſię dotib⁹ precioſior.

V. *Succeſſoribus Apoſtolorum in fidei doctrina tutò credendum; reliquos verò, qui ab hac ſucceſsione ſunt alieni, vt hæreticos eſſe habendos.*

IDEM *lib.4.cap.43.* Quapropter eos, qui in Eccleſia ſunt, presbyteros obaudire oportet his, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum, ſecundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò, qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunq; colliguntur, ſuſpectos habere; vel quaſi hęreticos, & malę ſententiæ; vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi placentes; aut rurſus vt hypocritas,

Veri Eccleſię Patres q?

Falſi Doctores.

quæſtus

quæſtus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes.

VI. *Cùm de aliqua fidei doctrina oritur quæſtio, ad antiquiſsimas Eccleſias recurrendum eſſe.*

IRENÆVS lib.3.cap.4. Quid enim & ſi cui de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere, quod certum & liquidum eſt? Quid autem, ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiũt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charactere, vel atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem; & veterem traditionem diligenter cuſtodientes;

Ab antiquis Eccleſiis repetenda eſt veritas.

Item ab ordine traditionis.

tes;in vnum Deum credentes,fabricatorem cœli & terrę,& omnium,quę in eis ſunt, per Chriſtum Ieſum Dei filiū.

VII. *Antiquiorem doctrinam ſeruandam eſſe; nouam reiiciendam.*

TERTVLLIANVS *lib.4.contr. Marcionem*. Ego meum (*Euangelium*) dico verum, Marcion ſuum. Ego Marcionis adulterum affirmo, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, niſi temporis ratio, ei præſcribens authoritatem; quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem, quod poſterius reuincetur? In quantum enim falſum, corruptio eſt veri, in tantùm præcedat neceſſe eſt veritas falſum. *Et addit multa ſubiungens:*

Id verius quod prius & antiquiꝰ.

IN ſumma, ſi conſtat, id verius, quod prius; id prius, quod & ab initio; ab initio quod ab Apoſtolis; pariter vtique conſtabit id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolicas fuerit ſacroſanctum. *Et paulò pòſt:*

Id ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias ſanctum eſt.

HABET

HABET planè & illud (*Marcionis Euangelium*) Eccleſias, ſed ſuas, tàm poſteras, quàm adulteras, quarum ſi cenſum requiras, faciliùs Apoſtaticum inuenias, quàm Apoſtolicum, Marcione ſcilicèt conditore; vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt fauos & veſpæ; faciunt Eccleſias & Marcioniſtæ.

Euãgelium hæreticorũ Apoſtaticũ, non Apoſtolicum.

VIII. *Hæreticos Epiſcopis eſſe poſteriores, & tantò magis à vera via aberrare.*

IRENÆVS *li.5.ſect.2.* Omnes enim hi (*nēpe hæretici*) valdè poſteriores ſunt, quàm Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias; & hoc in tertio libro cum omni diligentia manifeſtauimus. Neceſſitatem ergo habent prędicti hęretici, quoniam ſunt cęci ad veritatem, alteram & alteram ambulare exorbitantes viã; & propter hoc inconſonanter, & inconſequenter diſperſa ſunt veſtigia doctrinæ ipſorum.

Hæretici ſunt cæci ad veritatem.

IX. *Hæ-*

IX. *Hæreticos à veritate diſcedentes non eſſe fide; ſed magis cōtemptu, et ſupplicio dignos.*

IDEM lib.4.cap.43. Omnes autem hi (*videlicet hæretici*) decidunt à veritate. Et hæretici quidem alienum ignem afferentes ad altare Dei, id eſt, alienas doctrinas, à cœleſti igne comburentur, quemadmodum Nadab & Abiu. Qui verò exurgunt contra veritatem, & alteros adhortantur aduersùs Eccleſiam Dei, remanent apud inferos, voragine terræ abſorpti; quemadmodũ qui circa Chore, Datan, & Abiron. Qui autem ſcindunt, & ſeparant vnitatem Eccleſiæ, eandẽ, quam Hieroboam, pœnam percipient à Deo.

Hæretici decidunt à veritate.

Hæreticorũ pœna ignis æternus.

X. *Quomodò hæc Apoſtoli verba: ô Timothee, depoſitum cuſtodi, &c. ſint intelligenda.*

VINCENTIVS Lyrin. aduerſ. hær. ca. 27. Sed operæ pretium eſt totum ipſum Apoſt. capitulũ diligẽtiùs pertractare.

O exclamatio præſcientis & prædolentis Apoſtoli.

O Timothee, *inquit*, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates. O exclamatio iſta, & præſcientiæ eſt pariter, & charitatis: præuidebat enim futuros, quos etiam prædolebat, errores.

Timotheꝰ, id eſt, vniuerſa Eccleſia vel corpꝰ prælatorũ.

QVIS EST hodiè Timotheus? niſi vel vniuerſa Eccleſia, vel ſpecialiter totum corpus præpoſitorũ, qui integram diuini cultus ſcientiam vel habere ipſi debent, vel aliis infundere?

Cuſtodiam adhibẽdam propter fures & inimicos, id eſt hęreticos.

QVID EST, depoſitum cuſtodi? Cuſtodi, *inquit*, propter fures, propter inimicos: ne dormientibus hominibus ſuperſeminent zizania ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminauerat filius hominis in agro ſuo.

Matth. 13.

Depoſitum, id eſt Catholicæ fidei talentum.

DEPOSITVM, *inquit*, cuſtodi. Quid eſt depoſitum? Id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inuentum; quod accepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenij, ſed doctrinæ: non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non author debes eſſe, ſed

cuſtos:

cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequẽs. Depoſitum, *inquit*, cuſtodi; Catholicæ fidei talentum inuiolatum, illibatumque conſerua.

QVOD TIBI creditũ eſt, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. AVRVM ACCEPISTI, AVRVM REDDE: nolo mihi pro aliis alia ſubiicias; nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramẽta ſupponas: NOLO AVRI SPECIEM; SED NATVRAM PLANE.

O TIMOTHEE, ô Sacerdos, ô Tractator, ô Doctor, ſi te diuinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, eſto ſpiritalis tabernaculi Bezeleel; pretioſas diuini dogmatis gemmas exculpe; fideliter coapta; adorna ſapienter; adiice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur, te exponente, illuſtriùs; quod antea obſcuriùs credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur; quod antè vetuſtas non intellectum venerabatur; eadem tamen, quæ didiciſti, ita doce, vt cùm dicas nouè, non tamen dicas noua.

Alluſio ad ea, quę habemus. Exod. 36.

Nouè non noua dicenda.

IDEM ibidem cap. 26. Deuita, *inquit*, profanas vocum nouitates: Non dixit antiquitates; non dixit vetuſtates; imò planè q̃d è contrario ſequeretur, oſtendit. Nam ſi vitanda eſt nouitas, tenenda eſt antiquitas: & ſi profana eſt nouitas, ſacrata eſt vetuſtas.

Oppoſitiões falſi nominis.

ET OPPOSITIONES, *inquit*, falſi nominis ſcientiæ. Verè falſum nomen apud doctrinas hæreticorum, vt ignorantia ſcientiæ, & caligo ſerenitatis, & tenebræ luminis appellatione fucētur. Quam quidam, *inquit*, promittentes, circa fidem exciderunt.

Hæretici nouam ꝓmittunt doctrinam.

QVID promittentes exciderunt? niſi nouam, neſcio, quam, ignotamque doctrinã? Audias enim quoſdam ipſorum dicere: Venite inſipientes & miſeri, qui vulgò Catholici vocitamini, & diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis antè ſeculis latuit, nuper verò reuelata & oſtenſa eſt; ſed diſcite furtim, atque ſecretim; delectabit enim vos.

Furtim & ſecretim docent.

ET ITEM: Cùm didiceritis, latenter docete; ne mundus audiat, ne Eccleſia ſciat; paucis namque conceſſum eſt; tanti myſterij capere ſecretũ. Nonne hæc verba ſunt illius meretricis, quę apud Salomonis Prouerbia vocat ad ſe prætereuntes viam, qui dirigunt iter ſuum? Qui eſt, *inquit*, veſtrûm inſipientiſſimus, diuertat ad me. Inops autem ſenſu exhortatur, dicens: Panes occultos libẽter attingite, & aquam dulcem furtim bibite. Quid deinde? At ille, *inquit*, neſcit quomodò terrigenæ apud eam pereant. Qui ſunt iſti terrigenæ? Exponat Apoſtolus: Qui circa fidem, *inquit*, exciderunt. Prouerb. 9.

XI. *Applicatio verborum Diui Pauli: Deuitans profanas vocum nouitates: ad Eccleſiæ Catholicæ doctrinam.*

IDEM ibidem cap. 33. Sed ad Apoſtolum redeamus; O Timothee, *inquit*, depoſitum cuſtodi, deuitans profanas

Hæreticus Vipera, Scorpio. Baſiliſcus. vocum nouitates; deuita, *inquit,* quaſi Viperam; quaſi Scorpionem; quaſi Baſiliſcum; ne te, non ſolùm tactu, ſed etiam viſu, afflatuque percutiant.

Deuitare. QVID eſt deuitare? Cum huiuſmodi nec cibum ſumere. Quid eſt deuita? 2. Ioan. Si quis, *inquit,* venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert.

Quę vera ſit doctrina. QVAM DOCTRINAM? niſi Catholicam & vniuerſalē, & vnam, eandemq́; per ſingulas ætatum ſucceſſiones, incorrupta veritatis traditione manentem, & vſque in ſecula ſine fine manſuram? Quid tum? Nolite, *inquit,* recipere eum in domum; nec, Aue, ei dixeritis: qui enim illi dicit, Aue; communicat operibus eius malignis.

Profanę nouitates. PROFANAS, *inquit,* vocum nouitates. Quid eſt profanas? quæ nihil habēt Sacri, nihil religioſi; ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei, penitùs extraneas. Profanas, *inquit,* vocum nouitates; vocum, id eſt, dogmatum, rerum, ſententiarum nouitates; quæ ſunt vetuſtati, quæ antiquitati contrariæ.

Vocū, id eſt dogmatum, rerū, ſententiarum.

QVÆ

QVÆ ſi recipiantur, neceſſe eſt, vt fides beatorum Patrũ, aut tota, aut certè magna ex parte violetur; neceſſe eſt, vt omnes omnium ętatum fideles, omnes ſancti, omnes caſti, omnes cõtinentes, virgines, omnes Clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tanta confeſſorũ millia, tanti martyrum exercitus, tanta vrbiũ, tanta populorum celebritas & multitudo, tot Inſulæ, Prouinciæ, Reges, Gentes, Regna, Nationes, totus poſtremò iam penè terrarum orbis, per Catholicam fidem Chriſto capiti incorporatus, tãto ſæculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſcîſſe quid crederet, pronuncietur.

Doctrina hoc tempore diligẽter attẽdenda.

XII. *Hæreticorũ falſa dogmata eſſe profanas illas nouitates; quas adeò cauẽdas eſſe Diuus Paulus, tam ſeriò Timotheo ſuo inculcauit.*

IDEM *ibidem cap. 43.* Profanas, *inquit*, vocum nouitates deuita; quas recipere

Nouitates vocũ' ſectari ſemper fuit hæreticum. atque ſectari nunquam Catholicorum; ſemper verò hæreticorum fuit. Et re vera, quæ vnquam hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? Quis vnquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe priùs ab Eccleſię vniuerſitatis & antiquitatis conſenſione diſcreuit? Quod ita eſſe luce clariùs exempla demonſtrant &c.

INNVMERA ſunt alia, quæ breuitatis ſtudio prætermittimus; quibus tamen cunctis ſatis euidenter, perſpicuéque monſtratur, hoc apud omnes ferè Hæreticorũ notæ. hæreſes quaſi ſolemne eſſe atq; legitimum, VT SEMPER PROFANIS NOVITATIBVS GAVDEANT; antiquitatis ſcita faſtidiant; & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent.

Catholicorũ propriũ. CONTRA VERO Catholicorum hoc ferè propriũ; depoſita ſanctorum Patrum, & commiſſa ſeruare; damnare profanas nouitates; & ſicut dixit, & iterum dixit Apoſtolus; Si quis annunciauerit, præterquam quod acceptum eſt; anathemare.

XIII.

XIII. *Quomodò liceat in religione aliqua ad meliorẽ profectum euehere.*

VINCENTIVS *Lyrinenſis aduerſ. hæreſ. cap.28.* Sed forſan dicet aliquis: Nullus ne ergo in Eccleſia Chriſti profectus habebitur religionis? Habeatur planè & maximus. Nam quis ille eſt tam inuidus hominibus, tam exoſus Deo, qui iſtud prohibere conetur? Sed ita tamẽ vt verè profectus ſit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in ſemetipſa vnaquæque res amplificetur; ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud transferatur.

De profectu religiõis Catholicæ.

Differentia inter profectum & permutationẽ religionis.

CRESCAT igitur oportet, & multùm, vehementerq; proficiat, tam ſingulorum, quàm omnium; tam vnius hominis, quàm totius Eccleſiæ ætatum ac ſæculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia; ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententia.

Creſcat intelligentia ſcientia, ſapientia Sed In eodẽ dogmate, ſenſu & ſententia.

XIIII. *Quæ in hoc profectu tenenda ſit ratio, atque regula.*

REGVLA. *IDEM.* Imitetur animarum religio rationem corporum; quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos abſoluant, & explicent; eadem tamen, quæ erant, permanent. Multum intereſt, inter pueritię florem, & ſenectutis maturitatem; ſed iidem tamen ſunt ipſi ſenes, qui fuerant adoleſcentes; vt quamuis vnius, eiuſdemque hominis ſtatus, habitusq́; mutetur, vna tamen nihilominus, eademq́; natura, vna, eademq́; perſona ſit. Parua lactantium membra, magna iuuenum; eadem ipſa ſunt tamen. Quot paruulorum artus, tot virorum; & ſi qua illa ſunt, quæ æui maturioris ętate pariuntur, iam in ſeminis ratione proſerta; vt nihil nouum poſteà proferatur ſenibus, quod non in pueris iam antea latitauerit.

Simile.

VNDE NON dubium eſt, hanc eſſe legitimam & rectam proficiendi regulam,

lam, hunc ratum atque pulcherrimum creſcendi ordinem; ſi eas ſemper in grandiorib. partes ac formas numerus detexat ætatis; quas in paruulis Creatoris ſapientia præformauerat.

QVOD SI humana ſpecies in aliquam deinceps, non ſui generis, vertatur effigiem; aut certè addatur quidpiam membrorum numero, vel detrahatur; neceſſe eſt, vt totum corpus, vel intercidat, vel prodigioſum fiat; vel certè debilitetur.

ITA etiam Chriſtianæ religionis dogma ſequatur has decet profectuum leges, vt annis ſcilicet, conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumq; permaneat; & vniuerſis partium ſuarum menſuris, cunctiſque quaſi membris ac ſenſibus propriis plenum atque perfectum ſit: quod nihil prætereà permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam ſuſtineat definitionis varietatem. Applicatio ſimilitudinis.

XV. *Ca-*

XV. *Catholici profectûs exemplum.*

EXEMPLI GRATIA. Seuerunt maiores noſtri antiquitùs in hac Eccleſiaſtica ſegete triticeæ fidei ſemina: iniquum valdè, & incongruum eſt, vt nos eorum poſteri pro germana veritate frumenti, ſubdititium zizaniæ eligamus errorem. Quin potiùs hoc rectum & conſequens eſt, vt PRIMIS ATQVE EXTREMIS SIBIMET NON DISCREPANTIBVS, de incremētis triticeę inſtitutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus; vt cùm aliquid ex illis ſeminum primordiis acceſſu temporis euoluatur, & nunc lætetur, & excolatur; nihil tamen de germinis proprietate mutetur; addatur licet forma, ſpecies, diſtinctio; eadem tamen cuiuſque generis natura permaneat.

ABSIT etenim, vt roſea illa Catholici ſenſus plantaria, in carduos, ſpinaſque vertantur. Abſit, inquam, vt in iſto ſpiritali Paradiſo, de cinnamomi & balſami

ſami ſurculis, lolium repentè atq; aconîta proueniant.

QVODCVNQVE igitur in hac Eccleſia, Dei agricultura, fide Patrum ſatum eſt; hoc idem filiorum induſtria decet excolatur, & obſeruetur; hoc idem proficiat & perficiatur. Eccleſia Dei Agricultura.

XVI. *Quàm è contra in religionis cauſa ſit periculoſa, atque adeò pernitioſa, vel minimæ partis abdicatio, mutatio, aut abolitio.*

FAS EST etenim, vt priſca illa cœleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurẽtur, limentur, poliantur: Sed nefas eſt, vt commutentur; nefas, vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidẽtiam, lucem, diſtinctionem; ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem. Quæ ſumma ſit Catholici profectus. NOTA.

NAM

Impiæ fraudis licentia.

NAM ſi ſemel admiſſa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere, quantum excindendæ atque abolendæ religionis periculum conſequatur. Abdicata etenim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia & alia, iam quaſi ex more & licito abdicabuntur. Porrò autem ſingulatim partibus repudiatis, q̄d aliud ad extremum ſequetur, niſi vt totum pariter repudietur?

Quæ mala ſequãtur licentiam ſectarum.

SED ET è contra; ſi nouitia veteribus; extranea domeſticis; & profana ſacratis admiſceri cœperint; & proſerpat hic mos in vniuerſum, neceſſe eſt, vt nihil poſthac apud Eccleſiã relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrũ, nihil immaculatum;, ſed ſit ibidem deinceps impiorum, ac turpium errorum lupanar, vbi erat ante caſtæ & incorruptę ſacrariũ veritatis. Sed auertat hoc à ſuorum mentibus nefas diuina pietas; ſitque hic potiùs impiorum furor.

Apud hæreticos impiũ hęreſum lupanar.

CON-

CONTRA PROFANAS FALSORVM DOGMATVM NOVITATES.

CAPVT XVI.

I. *Quàm grauis, & perículoſa ſit antiquæ fidei cum noua religione commutatio.*

VINCENTIVS *Lyrinenſis aduerſ. hæreſes.* Magno igitur metu nobis immutatæ fidei ac temeratæ religionis piaculum pertimeſcendum eſt, à quo nos, nō ſolùm conſtitutionis Eccleſiaſticę diſciplina, ſed etiam cenſura Apoſtolicæ deterret authoritatis. Scitum etenim cūctis eſt, quàm grauiter, quàm ſeuerè, quàm vehementer inuehatur in quoſdam beatus Apoſtolus Paulus, qui mira leuitate, nimiùm citò tranſlati fuerant ab eo, qui eos vocauerat in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium, quod non eſt aliud; qui coaceruarant ſibi

Immutatæ fidei piaculum quanto perè ſit extimeſcēdum.

Galat. 1.

1.Ti.4. ſibi Magiſtros ad ſua deſideria, à veritate quidem auditũ auertentes, conuerſi verò ad fabulas; habentes damnatio-
1.Ti.5. nem, quod primam fidem irritam feciſſent.

QVOS deceperant ij, de quibus ad
Rom.16. Romanos fratres ſcribit idem Apoſtolus: Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam ipſi didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis, huiuſmodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri; & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Qui intrant per do-
2.Ti.3. mos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis; ſemper diſcẽtes, & ad ſcientiam veritatis nunquam peruenientes.

VANILOQVI & ſeductores, qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia.
Tit.1. Homines corrupti mente; reprobi circa fidem, ſuperbi, & nihil ſcientes; ſed languentes circa quæſtiones, & pugnas verbo-

verborum, qui veritate priuati ſunt; Tit. 3.
exiſtimantes, quæſtum eſſe pietatem: 1.Ti.6.
ſimul autem & ocioſi diſcunt circuire
domos: non ſolùm autem ocioſi, ſed 1.Ti.5.
& verboſi, & curioſi, loquentes, quę nō 1.Ti.1.
oportet. Qui bonam conſcientiam re- 1.Ti.2.
pellentes, circa fidem naufragauerunt.

QVORVM profana vaniloquia mul-
tùm proficiunt ad impietatem, & ſer- Proficere ad impietatē.
mo eorum vt cancer ſerpit. Benè au-
tem quod de iis item ſcribitur: Sed vl- 2.Ti.3.
trà non proficiunt; inſipientia enim
eorum manifeſta erit omnibus, ſicut &
illorum fuit.

HILARIVS ad Conſtantium Auguſtum.
Periculoſum nobis admodum, atque
etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exi- Tot fides, quot voluntates.
ſtere, quot voluntates; & tot nobis do-
ctrinas eſſe, quot mores: & tot cauſas
blaſphemiarum pullulare, quot ſunt
vitia; DVM AVT ITA FIDES SCRIBVN-
TVR, VT VOLVMVS; AVT ITA VT
VOLVMVS INTELLIGVNTVR. Et cùm
ſecundùm vnum Deum & vnum Do-
minum, & vnum baptiſma, etiam fides

ee vna

vna ſit, EXCIDIMVS AB EA FIDE QVÆ SOLA EST: & dum plures ſunt, ad id cœperunt eſſe, ne vlla ſit.

CONSCII ENIM nobis inuicem ſumus, poſt Niceni conuentus Synodum, nihil aliud quàm fidem ſcribi. Dum in verbis pugna eſt, dum de nouitatibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de authoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe cœpit: PROPE IAM NEMO CHRISTI EST. Incerto enim doctrinarum vento vagamur, & aut dum docemus, perturbamus, aut dum docemur, erramus.

II. *Quis ſit intellectus verborum D. Pauli: Etiamſi Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus &c.*

VINCENTIVS Lyrinenſ. Cùm ergo tales quidam circumeuntes prouincias

& ciuitates,atq; errores Venalitios circumferendo etiam ad Galatas deueniſſent, cumque his auditis Galatæ nauſea quadam veritatis affecti, Apoſtolorũ, Catholicæque doctrinæ manna reuomentes, hæreticæ nouitatis ſordibus oblectarentur, ita ſeſe Apoſtolicæ poteſtatis exercuit authoritas, vt ſumma cum ſeueritate decerneret: Sed licet nos,*(inquit)* aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus; anathema ſit. Venalitij errores.

QVID eſt, quod ait? Sed licet nos. Cur non potiùs; Sed licet ego? Hoc eſt, etiamſi Petrus, etiãſi Andreas, etiamſi Ioannes, etiamſi poſtremò omnis Apoſtolorum chorus, euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus, anathema ſit. Tremẽda diſtrictio; propter adſerendam primæ fidei tenacitatem, nec ſibi, nec cæteris Apoſtolis pepercisse parum eſt.

ETIAMSI Angelus, *inquit*, de cœlo euangelizet vobis, præterquam quòd euangelizauimus; anathema ſit. Non

ſuffecerat ad cuſtodiam traditæ ſemel fidei, humanę conditionis commemoraſſe naturam, niſi angelicam quoque excellentiam comprehendiſſet. Licet nos, *inquit*, aut Angelus de cœlo.

Angeli peccare nō poſſunt.

NON quia Sancti, cœleſteſque Angeli peccare iam poſſint, ſed hoc eſt, quod dicit: Si etiam, *inquit*, fiat, quod non poteſt fieri, quiſquis ille traditam ſemel fidem mutare tẽtauerit, anathema ſit, &c.

ADNVNCIARE ergo aliquid Chriſtianis Catholicis, pręter id, quod accepcrũt, nunquam licuit, nuſquam licet, nunquam licebit, & anathematizare eos, qui annuncient aliquid, præterquã quod ſemel acceptum eſt, nunquam non oportuit, nuſquam non oportet, nunquam non oportebit.

III. *Quæ, & quanta ex nouellis adinuentionibus proueniant mala, & incommoda.*

VINCENTIVS *Lyrinenſis aduerſ. hæreſ. ca.6.* Cuius quidem temporis periculo, ſatis

ſatis ſuperq; monſtratum eſt, quantum inuehatur calamitatis, nouelli dogmatis inductione. Tunc ſiquidem non ſolùm paruæ res, ſed etiam maximę labefactatę ſunt. Nec enim tantùm affinitates, cognationes, amicitiæ, domus: verùm etiam Vrbes, Populi, Prouinciæ, Nationes, vniuerſum poſtremò Romanorum Imperium funditùs cōcuſſum, & emotum eſt.

NAMQVE cùm profana ipſa Arrianorum nouitas, velut quædam Bellona aut Furia, capto priùs omnium Imperatore, cuncta deinde palatij culmina legibus nouis ſubiugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit vniuerſa miſcere, atque vexare, priuata ac publica; ſacra, profanaque omnia, nullum boni & veri gerere diſcrimen; ſed quoſcunque collibuiſſet, tanquam de loco ſuperiore percutere.

TVNC temeratæ coniuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, monaſteria demolita, diſturbati Clerici, Verberati Leuitę, acti in exiliū Sacerdotes,

Nouitates vocũ' ſectari ſemper fuit hæreticum.

atque ſectari nunquam Catholicorum; ſemper verò hæreticorum fuit. Et re vera, quæ vnquam hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit? Quis vnquam hæreſes inſtituit, niſi qui ſe priùs ab Eccleſię vniuerſitatis & antiquitatis conſenſione diſcreuit? Quod ita eſſe luce clariùs exempla demonſtrant &c.

Hæreticorũ notæ.

INNVMERA ſunt alia, quæ breuitatis ſtudio prætermittimus; quibus tamen cunctis ſatis euidenter, perſpicueque monſtratur, hoc apud omnes ferè hæreſes quaſi ſolemne eſſe atq; legitimum, VT SEMPER PROFANIS NOVITATIBVS GAVDEANT; antiquitatis ſcita faſtidiant; & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent.

Catholicorũ propriũ.

CONTRA VERO Catholicorum hoc ferè propriũ; depoſita ſanctorum Patrum, & commiſſa ſeruare; damnare profanas nouitates; & ſicut dixit, & iterum dixit Apoſtolus; Si quis annunciauerit, præterquam quod acceptum eſt, anathemare.

XIII.

XIII. *Quomodò liceat in religione aliqua ad meliorẽ profectum euehere.*

Vincentivs Lyrinenſis aduerſ. hæreſ. cap.28. Sed forſan dicet aliquis: Nullusne ergo in Eccleſia Chriſti profectus habebitur religionis? Habeatur planè & maximus. Nam quis ille eſt tam inuidus hominibus, tam exoſus Deo, qui iſtud prohibere cõnetur? Sed ita tamẽ vt verè profectus ſit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in ſemetipſa vnaquæque res amplificetur; ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud transferatur.

De profectu religiõis Catholicæ.

Differentia inter profectum & permutationẽ religionis.

Crescat igitur oportet, & multùm, vehementerq; proficiat, tam ſingulorum, quàm omnium; tam vnius hominis, quàm totius Eccleſiæ ætatum ac ſæculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia; ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententia.

Creſcat intelligentia ſcientia, ſapientia Sed In eodẽ dogmate, ſenſu & ſententia.

XIIII. *Quæ in hoc profectu tenenda ſit ratio, atque regula.*

REGVLA. *I*DEM. Imitetur animarum religio rationem corporum; quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos abſoluant, & explicent; eadem tamen, quæ erant, permanent. Multum intereſt, inter pueritię florem, & ſenectutis maturitatem; ſed iidem tamen ſunt ipſi ſenes, qui fuerant adoleſcentes; vt quamuis vnius, eiuſdemque hominis ſtatus, habitusq; mutetur, vna tamen nihilominus, eademq; natura, vna, eademq; perſona ſit. Parua lactantium membra, magna iuuenum; eadem ipſa ſunt tamen. Quot paruulorum artus, tot virorum; & ſi qua illa ſunt, quæ æui maturioris ętate pariuntur, iam in ſeminis ratione proſerta; vt nihil nouum poſteà proferatur ſenibus, quod non in pueris iam antea latitauerit.

Simile.

VNDE NON dubium eſt, hanc eſſe legitimam & rectam proficiendi regulam,

lam, huncratum atque pulcherrimum creſcendi ordinem; ſi eas ſemper in grandiorib. partes ac formas numerus detexat ætatis; quas in paruulis Creatoris ſapientia præformauerat.

QVOD SI humana ſpecies in aliquam deinceps, non ſui generis, vertatur effigiem; aut certè addatur quidpiam membrorum numero, vel detrahatur; neceſſe eſt, vt totum corpus, vel intercidat, vel prodigioſum fiat; vel certè debilitetur.

ITA etiam Chriſtianæ religionis dogma ſequatur has decet profectuum leges, vt annis ſcilicet, conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumq; permaneat; & vniuerſis partium ſuarum menſuris, cunctiſque quaſi membris ac ſenſibus propriis plenum atque perfectum ſit: quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam ſuſtineat definitionis varietatem. Applicatio ſimilitudinis.

XV. *Ca-*

XV. *Catholici profectûs exemplum.*

EXEMPLI GRATIA. Seuerunt maiores noſtri antiquitùs in hac Eccleſiaſtica ſegete triticeæ fidei ſemina: iniquum valdè, & incongruum eſt, vt nos eorum poſteri pro germana veritate frumenti, ſubdititium zizaniæ eligamus errorem. Quin potiùs hoc rectum & conſequens eſt, vt PRIMIS ATQVE EXTREMIS SIBIMET NON DISCREPANTIBVS, de incremẽtis triticeę inſtitutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus; vt cùm aliquid ex illis ſeminum primordiis acceſſu temporis euoluatur, & nunc lætetur, & excolatur; nihil tamen de germinis proprietate mutetur; addatur licet forma, ſpecies, diſtinctio; eadem tamen cuiuſque generis natura permaneat.

ABSIT etenim, vt roſea illa Catholici ſenſus plantaria, in carduos, ſpinaſque vertantur. Abſit, inquam, vt in iſto ſpiritali Paradiſo, de cinnamomi & balſami

ſami ſurculis, lolium repentè atq; aconîta proueniant.

QVODCVNQVE igitur in hac Eccleſia, Dei agricultura, fide Patrum ſatum eſt; hoc idem filiorum induſtria decet excolatur, & obſeruetur; hoc idem proficiat & perficiatur. Eccleſia Dei Agricultura.

XVI. *Quàm è contra in religionis cauſa ſit periculoſa, atque adeò pernitioſa, vel minimæ partis abdicatio, mutatio, aut abolitio.*

FAS EST etenim, vt priſca illa cœleſtis Philoſophiæ dogmata proceſſu temporis excurētur, limentur, polian- tur: Sed nefas eſt, vt commutentur; nefas, vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidētiam, lucem, diſtinctionem; ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem. Quæ ſumma ſit Catholici profectus. NOTA.

NAM

Impiæ fraudis licentia.

NAM ſi ſemel admiſſa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere, quantum excindendæ atque abolendæ religionis periculum conſequatur. Abdicata etenim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia & alia, iam quaſi ex more & licito abdicabuntur. Porrò autem ſingulatim partibus repudiatis, q̃d aliud ad extremum ſequetur, niſi vt totum pariter repudietur?

Quæ mala ſequãtur licentiam ſectarum.

SED ET è contra; ſi nouitia veteribus; extranea domeſticis; & profana ſacratis admiſceri cœperint; & proſerpat hic mos in vniuerſum, neceſſe eſt, vt nihil poſthac apud Eccleſiã relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrũ, nihil immaculatum;, ſed ſit ibidem deinceps impiorum, ac turpium errorum lupanar, vbi erat ante caſtæ & incorruptę ſacrariũ veritatis. Sed auertat hoc à ſuorum mentibus nefas diuina pietas; ſitque hic potiùs impiorum furor.

Apud hæreticos impiũ hęreſum lupanar.

CON-

CONTRA PROFANAS FALSORVM DOGMATVM NOVITATES.

CAPVT XVI.

I. *Quàm grauis, & periculoſa ſit antiquæ fidei cum noua religione commutatio.*

VINCENTIVS *Lyrinenſis aduerſ. hæreſes.* Magno igitur metu nobis immutatæ fidei ac temeratæ religionis piaculum pertimeſcendum eſt, à quo nos, nō ſolùm conſtitutionis Eccleſiaſticę diſciplina, ſed etiam cenſura Apoſtolicæ deterret authoritatis. Scitum etenim cũctis eſt, quàm grauiter, quàm ſeuerè, quàm vehementer inuehatur in quoſdam beatus Apoſtolus Paulus, qui mira leuitate, nimiùm citò tranſlati fuerant ab eo, qui eos vocauerat in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium, quod non eſt aliud; qui coaceruarant ſibi

Immutatæ fidei piaculum quanto perè ſit extimeſcēdum.

Galat. 1.

1.Ti.4. ſibi Magiſtros ad ſua deſideria, à veritate quidem auditũ auertentes, conuerſi verò ad fabulas; habentes damnatio-
1.Ti.5. nem, quod primam fidem irritam feciſſent.

QVOS deceperant ij, de quibus ad
Rom.16. Romanos fratres ſcribit idem Apoſtolus: Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam ipſi didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis, huiuſmodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri; & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Qui intrant per do-
2.Ti.3. mos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis; ſemper diſcẽtes, & ad ſcientiam veritatis nunquam peruenientes.

VANILOQVI & ſeductores, qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia.
Tit.1. Homines corrupti mente; reprobi circa fidem, ſuperbi, & nihil ſcientes; ſed languentes circa quæſtiones, & pugnas verbo-

verborum, qui veritate priuati ſunt; Tit. 3.
exiſtimantes, quæſtum eſſe pietatem: 1.Ti.6.
ſimul autem & ocioſi diſcunt circuire
domos: non ſolùm autem ocioſi, ſed 1.Ti.5.
& verboſi, & curioſi, loquentes, quę nō 1.Ti.1.
oportet. Qui bonam conſcientiam re- 1.Ti.2.
pellentes, circa fidem naufragauerunt.

QVORVM profana vaniloquia multùm proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit. Benè autem quod de iis item ſcribitur: Sed vltrà non proficiunt; inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.

Proficere ad impietatē.

2.Ti.3.

HILARIVS ad Conſtantium Auguſtum: Periculoſum nobis admodum, atque etiam miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores: & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot ſunt vitia; DVM AVT ITA FIDES SCRIBVNTVR, VT VOLVMVS; AVT ITA VT VOLVMVS INTELLIGVNTVR. Et cùm ſecundùm vnum Deum & vnum Dominum, & vnum baptiſma, etiam fides

Tot fides, quot voluntates.

vna ſit, EXCIDIMVS AB EA FIDE QVÆ SOLA EST: & dum plures ſunt, ad id cœperunt eſſe, ne vlla ſit.

CONSCII ENIM nobis inuicem ſumus, poſt Niceni conuentus Synodum, nihil aliud quàm fidem ſcribi. Dum in verbis pugna eſt, dum de nouitatibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de authoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe cœpit: PROPE IAM NEMO CHRISTI EST. Incerto enim doctrinarum vento vagamur, & aut dum docemus, perturbamus, aut dum docemur, erramus.

II. *Quis ſit intellectus verborum D. Pauli: Etiamſi Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus &c.*

*V*INCENTIVS *Lyrinenſ.* Cùm ergo tales quidam circumeuntes prouincias &

& ciuitates, atq; errores Venalitios circumferendo etiam ad Galatas deueniſſent, cumque his auditis Galatæ nauſea quadam veritatis affecti, Apoſtolorũ, Catholicæque doctrinæ manna reuomentes, hæreticæ nouitatis ſordibus oblectarentur, ita ſeſe Apoſtolicæ poteſtatis exercuit authoritas, vt ſumma cum ſeueritate decerneret: Sed licet nos, *(inquit)* aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus; anathema ſit. Venalitij errores.

QVID eſt, quod ait? Sed licet nos. Cur non potiùs; Sed licet ego? Hoc eſt, etiamſi Petrus, etiãſi Andreas, etiamſi Ioannes, etiamſi poſtremò omnis Apoſtolorum chorus, euangelizet vobis, præterquàm quod euangelizauimus, anathema ſit. Tremẽda diſtrictio; propter adſerendam primæ fidei tenacitatem, nec ſibi, nec cæteris Apoſtolis pepercisse parum eſt.

ETIAMSI Angelus, *inquit*, de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus; anathema ſit. Non

ſatis ſuperq; monſtratum eſt, quantum inuehatur calamitatis, nouelli dogmatis inductione. Tunc ſiquidem non ſolùm paruæ res, ſed etiam maximę labefactatę ſunt. Nec enim tantùm affinitates, cognationes, amicitiæ, domus: verùm etiam Vrbes, Populi, Prouinciæ, Nationes, vniuerſum poſtremò Romanorum Imperium funditùs cõcuſſum, & emotum eſt.

NAMQVE cùm profana ipſa Arrianorum nouitas, velut quædam Bellona aut Furia, capto priùs omnium Imperatore, cuncta deinde palatij culmina legibus nouis ſubiugaſſet, nequaquam deinceps deſtitit vniuerſa miſcere, atque vexare, priuata ac publica; ſacra, profanaque omnia, nullum boni & veri gerere diſcrimen; ſed quoſcunque collibuiſſet, tanquam de loco ſuperiore percutere.

TVNC temeratæ coniuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, monaſteria demolita, diſturbati Clerici, Verberati Leuitę, acti in exiliũ Sacerdotes,

 opple-

oppleta Sanctis ergaſtula, carceres, metalla: Quorum pars maxima interdictis vrbibus protruſi, atque extorres, inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, ſiti affecti * contriti, & tabefacti ſunt.

* attriti

ATQVI HÆC omnia nunquid vllam aliam ob cauſam? nullam vtique niſi dum ꝓ cœleſti dogmate, humanæ ſuperſtitiones introducuntur, dum benè fundata antiquitas ſceleſta nouitate ſubruitur, dum ſuperiorum inſtituta violantur, dum reſcinduntur ſcita Patrum, dum conuelluntur definita maiorum, dum ſeſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſſimos limites profanæ, ac nouellæ curioſitatis libido non continet.

IIII. *Quomodò D. Ambroſius hæreſum acerbitatem deplorauerit.*

IDEM *cap.7.* Sed forſan odio nouitatis, & amore vetuſtatis hæc fingimus? Quiſquis hoc * æſtimat, beato ſaltem credat

* exiſtimat

credat Ambroſio; qui in ſecundo ad Imperatorem Gratianum libro, acerbitatem temporis ipſe deplorans ait; Sed iam ſatis, *inquit*, omnipotens Deus noſtro exitio, noſtroq; ſanguine, Confeſſorum neces, exilia Sacerdotum, & nefas tantæ impietatis eluimus. Satis claruit eos, qui violauerunt fidem, tutos eſſe non poſſe. In fin. c. vlt.

ITEM in tertio eiuſdem operis libro: SERVEMVS IGITVR, *inquit*, PRÆCEPTA MAIORVM; nec hæreditaria ſignacula auſi rudis temeritate violem⁹. Librum ſignatum illum propheticum, non Seniores, non Poteſtates, non Angeli, non Archangeli aperire auſi ſunt; ſoli Chriſto explanandi eius prærogatiua ſeruata eſt. Librum ſacerdotalem quis noſtrûm reſignare audeat, ſignatum à confeſſoribus, & multorum iam martyrio conſecratum? Quem qui reſignare coacti ſunt, poſteà tamen damnata fraude ſignarunt; qui violare non auſi ſunt, confeſſores & martyres extiterunt. QVOMODO FIDEM EORVM Cap. 7. Liber ſignatus.

POSSVMVS DENEGARE, QVORVM VICTORIAM PRÆDICAMVS.

V. *Quæ adhuc alia ex nouitatis ſtudio mala ſequantur, & incommoda.*

IDEM. Et re vera cùm quæque nouitas ebullit, ſtatim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearum; tunc ſine magno molimine excutitur ab area, quod nullo põdere intra aream tenebatur. Namque alij ilicò prorſus auolant; alij verò tãtummodò excuſſi, & perire metuunt, & redire erubeſcũt, ſaucij, ſemineces, ſemiuiui, quippe qui tantam veneni hauſerint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec viuere ſinat.

HEV miſeranda conditio, quantis illi curarum æſtibus, quãtis turbinibus exagitantur. Nunc etenim quâ ventus impulerit, incitato errore rapiuntur: nunc in ſemetipſos reuerſi, tanquam contrarij fluctus reliduntur; nunc temeraria præſumptione ea, quæ incerta viden-

videntur, approbant; nunc irrationali metu, etiam quæ certa ſunt, expaueſcunt: incerti quâ eant, quâ redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant.

QVÆ quidem dubij, & malè penduli cordis afflictio, diuinæ erga ſe miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant. Idcircò etenim extra tutiſſimum Catholicæ fidei portum diuerſis cogitationũ quatiuntur, verberantur, ac penè necantur procellis; vt excuſſa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ malè nouitatum ventis expanderant; ſeſeq; intra fidiſſimam ſtationem placidæ, ac bonæ matris reducant & teneant; atq; amaros illos, turbulentoſque errorum fluctus primitùs reuomant, vt poſſint deinceps viuę, & ſalientis aquæ fluenta potare.

Eccleſia Chriſti fidiſsima ſtatio.

DEDISCANT BENE, QVOD DIDICERVNT NON BENE: & ex toto Eccleſiæ dogmate, quod intellectu capi poteſt, capiant; quod non poteſt, credant.

NOTA.

DE SANCTORVM PATRVM CONSENSIONE.

CAPVT XVII.

I. *Quanto ſtudio ſemper ſancti Patres nouellis reſtiterint adinuentionibus.*

VINCENTIVS *Lyrin. aduerſ. hæreſ.* Neq; hoc ſanè nouũ: ſiquidem mos iſte ſemper in Eccleſia viguit, vt quò quiſque* florêret religioſior, eò promptiùs nouellis adinuẽtionibus contrairet. Exemplis talibus plena ſunt omnia. Sed ne longum fiat, vnum aliquod, & hoc ab Apoſtolica potiſſimùm Sede ſumimus: vt omnes luce clariùs videant, BEATORVM APOSTOLORVM BEATA SVCCESSIO quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſceptę ſemel religionis integritatem.

*Fortè foret

QVONDAM igitur, venerabilis memoriæ Agrippinus Carthagin. Epiſcopus,

pus, primus omnium mortalium contra diuinum Canonem, contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morẽ ac inſtituta maiorum rebaptizandum eſſe cenſebat. Quę pręſumptio tantum mali inuexit, vt non ſolùm hæreticis omnibus formam ſacrilegij; ſed etiã quibuſdam Catholicis occaſionem præbuerit erroris.

Agrippin. Carthagin. Epiſcopus, iterandi baptiſmi Authot.

Cvm ergo vndiq; ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua verſum Sacerdotes pro ſuo quiſq; ſtudio reniterentur, tunc beatę memoriæ Papa Stephanus, Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum cęteris quidem Collegis ſuis, ſed tamẽ pręcæteris reſtitit; dignũ, vt opinor, exiſtimãs, ſi reliquos omnes tantùm fidei deuotionę vinceret, quãtùm loci authoritate ſuperabat.

Stephan. Papa.

Deniqve in Epiſtola, quæ tunc ad Africam miſſa eſt, idem his verbis ſanxit; nihil novandvm, nisi qvod traditvm est. Intelligebat etenim vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem

Apud Cypr. li. 2. Epiſt. 7.

NOTA. nem pietatis admittere, niſi VT OMNIA, QVA FIDE A PATRIBVS SVSCEPTA FORENT, EADEM FIDE FILIIS CONSIGNARENTVR; noſque religionem, non quâ vellemus, ducere, ſed potiùs, quâ illa duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium Chriſtianę modeſtiæ & grauitatis, NON SVA POSTERIS TRADERE, SED A MAIORIBVS ACCEPTA SERVARE.

Pulchrè dictum.

QVIS ergo tunc vniuerſi negotij exitus? Quis vtique, niſi vſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, explorata nouitas.

II. *Sanctorum Patrum conſenſionem nullo modo vnquam deſtrui potuiſſe; ſed huius vi, hæreticorum pleróſque ad fidem Catholicam conuerſos eſſe.*

IDEM. Sed fortè tunc ipſi nouitię ad inuentioni patrocinia defuerunt. Imò verò tanta vis ingenij adfuit, tanta eloquentiæ

Hæreticorũ vis quanta.

quentiæ flumina, tantus adſertorum numerus tanta veriſimilitudo, tanta diuinæ legis oracula; ſed planè nouo ac malo more intellecta, vt mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſolam tanti moliminis cauſam ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata nouitatis profeſſio deſtituiſſet.

POSTREMO ipſius Africani Concilij, ſiue Decreti quæ vires? Donante Deo, nullæ; ſed vniuerſa tanquam ſomnia, tanquam fabulę, tanquam ſuperflua, abolita, antiqua, calcata ſunt.

ET: O RERVM mira conuerſio. Authores eiuſdẽ opinionis Catholici; conſectatores verò Hæretici iudicantur. Abſoluuntur Magiſtri, condemnantur diſcipuli; conſcriptores librorum filij regni erunt, adſertores verò gehenna ſuſcipiet. Nam quis illud Sanctorum omnium & Epiſcoporum, & Martyrum lumen, beatiſſimum Cyprianum, cum cæteris collegis ſuis in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto?

Mira conuerſio.

Catholici ſcriptores beati.

 Aut-

Aut quis contrà tam Sacrilegus, qui Donatiſtas, & cæteras peſtes, quæ illius authoritate Concilij rebaptizare iactitant, in ſempiternum neget arſuros eſſe cum Diabolo?

Hæretici damnati.

III. *Quonam modo hæreſes, prolatis veterum Magiſtrorum ſententiis concordãtibus deprehendantur & cõdemnentur.*

*V*INCENTIVS *Lyrinenſis.* Hîc iam conſequens eſſe videtur, vt exemplis demonſtrem, quonam modo profanæ hæreticorum nouitates, prolatis atque collatis veterum Magiſtrorum cõcordantibus ſibimet ſententiis, & deprehendantur, & condemnentur.

QVÆ tamen antiqua ſanctorum Patrum conſenſio, non in omnibus diuinę legis quęſtiunculis, ſed ſolùm certè præcipuè in fidei regula magno nobis ſtudio & inueſtiganda eſt, & ſequenda.

SED

Sed neqve ſemper, neq; omnes hæreſes hoc modo impugnandæ ſunt; ſed nouitiæ, recenteſq; tantummodò, cùm primùm ſcilicet exoriuntur, antequàm infalſarint vetuſtæ fidei regulas; ipſius temporis vetentur anguſtiis, ne priuſquam manãte latiùs veneno Maiorum volumina vitiare conentur.

Cæterum dilatatæ, & inueteratæ hæreſes, nequaquã hac via adgrediendæ ſunt, eò quòd prolixo temporũ tractu longa iis furandæ veritatis patuerit occaſio.

Atqve ideò quaſcunque illas antiquiores, vel ſchiſmatum, vel hæreſeωn profanitates, nullo modo nos oportet, niſi ſola, ſi opus eſt, Scripturarum authoritate conuincere, aut certè iam antiquitùs vniuerſalibus Sacerdotum Catholicorum Conciliis cõuictas, damnataſque vitare. Prima regula vt inueteratę hæreſes ſint adgrediendæ.

Itaqve cvm primùm mali cuiuſque erroris putredo erũpere cœperit, & ad defenſionem ſui quædam ſacræ legis verba furari, eaque fallaciter & frau- Regula ſecũda, vt nouis hæreſibꝰ ſit occurrendũ.

fraudulenter exponere: ſtatim interpretando Canoni Maiorum ſententiæ congregandæ ſunt, quibus illud quodcunque exurget nouitium, ideoque profanum, & abſque vlla ambage prodatur, & ſine vlla retractatione damnetur.

IIII. *Quorum Patrum ſententias ſequi oporteat.*

IDEM. Sed eorum duntaxat Patrum ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide & communione Catholica, ſanctè, ſapienter conſtanter viuentes, docentes, & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto fœliciter meruerunt.

Alia regula. QVIBVS tamen hac lege credendum eſt, vt quidquid vel omnes, vel plures, vno eodemq; ſenſu manifeſtè, frequenter perſeueranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur.

QVID-

QVIDQVID verò quamuis ille ſanctus, & doctus, quamuis Epiſcopus, quamuis Confeſſor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias, & occultas, & priuatas opiniunculas, à communis, publicæ ac generalis ſententiæ authoritate ſecretum ſit; nec cum ſummo ęternę ſalutis periculo iuxta ſacrilegam hæreticorum & ſchiſmaticorum conſuetudinem, vniuerſalis dogmatis veritate admiſſa, vnius hominis nouitium ſectemur errorem.

V. *Patrum conſentientes ſententiæ quantæ ſint authoritatis.*

VINCENTIVS Lyrinenſis aduerſ. hæreſes. Quorum beatorum Patrum ſanctum Catholicumque conſenſum, ne quis ſibi temerè fortè contemnendum arbitretur, ait in prima ad Corint. Apoſtolus: Et quoſdã quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, quorum ipſe vnus erat; ſecundò Prophetas, 1.Cor.12. Apoſtoli. Prophetæ.

Act.12. qualem in Actibus Apoſtolorum legi-
Doctores ſeu tractatores. mus Agabum; tertiò Doctores, qui tra-
ctatores nunc appellantur, quos hic idẽ
Cur Doctores interdũ dicãtur Prophetæ. Apoſtolus etiam Prophetas interdum
nuncupat, eò quòd per eos propheta-
rum myſteria populis aperiantur.

HOS ERGO in Eccleſia Dei diui-
nitùs per tempora & loca diſpenſatos,
Qui Catholicũ conſenſum cõtemnunt, Deum cõtemnunt. quiſquis in ſenſu Catholici dogmatis
vnum aliquid in Chriſto ſentiẽtes con-
tempſerit, non hominem contemnit,
Veridica vnitas. ſed Deum; à quorum veridica vnitate
ne quis diſcrepet, impẽſiùs idem teſta-
1.Cor.1. tur Apoſtolus, dicens: Obſecro autem
vos fratres, vt idipſum dicatis omnes, &
non ſint in vobis ſchiſmata; ſitis autem
perfecti in eodem ſenſu, & in eadem
ſententia.

QVOD ſi quis ab eorum ſententiæ
communione deſciuerit, audiet illud
1.Cor.14. eiuſdem Apoſtoli: Non eſt Deus diſ-
ſenſionis, ſed pacis: Id eſt, non eius, qui
à conſentiente vnitate defecerit, ſed
eorũ, QVI IN CONSENTIENDI PACE
PERMANSERINT: Sicut in omnibus,
inquit,

inquit, Eccleſiis Sanctorum doceo, id eſt, Catholicorum: quæ adeò ſanctæ ſunt, quia in fidei communione perſiſtunt.

Eccleſię Catholicæ vnde dicantur Sanctæ.

VI. *In rebus fidei, poſt Chriſtum, nulli ſoli eſſe credendum.*

Et ne quis forſitã, prætermiſſis cęteris, ſe ſolum audiri, ſibi ſoli credi arrogaret, paulò pòſt ait; an à vobis, *inquit*, verbum Dei proceſſit, aut in vos ſolos deuenit? Et, ne hoc quaſi perfunctoriè acciperetur, adiecit: Si quis, *inqt*, videtur Propheta eſſe, aut ſpiritalis, id eſt, ſpiritualium rerum Magiſter, ſummo ſtudio ęqualitatis & vnitatis cultor exiſtat. Vt ſcilicet, neqve opiniones svas cæteris præferat; et ab vniversorvm sensibvs non recedat.

Cvivs mandata qui ignorat, *inquit*, id eſt, qvi avt nescita non discit, avt scita contemnit, ignorabitur: hoc eſt, indignus habebitur, qui inter vnitos fide, & exæquatos hu-

militate diuinitùs reſpiciatur; quo malo neſcio, an quidquam acerbius cogitari queat.

VII. *Antiquos Patres, incorruptos eſſe iudices, in controuerſiis poſteriorum.*

Avgvstinvs *contra Iulian. Pelag. li. 2. prope finem Tom. 7.* Certè ipſe dixiſti, quòd omnes Iudices ab odio, amicitia, ira vacuos eſſe deceat, pauci tales potuerũt inuèniri. Sed Ambroſium alioſque Collegas eius, quos cum illo commemoraui, tales fuiſſe credendum eſt. Verùm etſi tales non fuerunt in his cauſis, quas ad ſe delatas, & inter partes cognitas, cùm hîc viuerent, ſuo iudicio definierunt, ad hanc tamen cauſam tales erant, quando de illa ſententias protulerũt, nullas nobiſcum vel vobiſcum amicitias vel attenderunt, vel inimícitias exercuerunt. Neque nobis, neque vobis irati ſunt, neque nos, neque vos miſerati ſunt.

Qvod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiſcum apud iſtos Iudices aliquid agebamus, & apud eos acta eſt cauſa noſtra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos ſententias recitamus, nōdum vobiſcum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus. NOTA.

VIII. *Ab Eccleſiæ Doctoribus petendam eſſe Scripturæ interpretationem.*

Avgvstinvs *de moribus Eccleſiæ Cathol. lib. 1. cap. 1. Tom. 1.* Quis mediocriter ſanus non facilè intelligat, Scripturarum interpretationem ab his petendam eſſe, qui earum Doctores ſe eſſe profitentur; fieriq́ue poſſe, imò id ſemper accidere, vt multa indoctis videantur abſurda, q̃, dum à Doctoribus expo nuntur, eò laudanda videantur clariùs, quò abiectiùs aſpernanda videbantur,

& eò accipiantur aperta dulciùs, quò clauſa difficiliùs aperiebantur.

IX. *Sanctos Epiſcopos hæreticorum profanis nouitatibus anteponendos.*

AVGVSTINVS in Præfatione libri 2. contra Iulianum. Quos, *inquit*, ſanctos Epiſcopos, qui Scripturas ſanctas ingenti gloria tractauerunt, oportet vt populi Chriſtiani veſtris profanis nouitatibus anteponant; eiſque potiùs eligant adhęrere, quàm vobis. *Hæc ille.* *Moxq́; ex Ambroſio, Cypriano, Nazianzeno, Chryſoſtomo, Hilario, Hieronymo, plurimis allatis ſententiis, qui illud Pauli: Non quod volo bonum, hoc facio &c. etiam de ſeipſo & homine iuſto intellexerunt, concludit.*

Refert Stapleton. lib. 10. ca. 14.

S. Patribus potiꝰ, quàm nouatorib. adhærendũ.

PROPOSVIMVS hîc, *inquit*, authoritatis molem Sanctorum, qui Epiſcopi ante nos fuerunt. Et paulò pòſt rationem ſubiungit: Quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.

X. *Av-*

X. *Auguſtinus & Hilarius ab Hæreticis prouocarunt ad ſanctos Patres.*

AVGVSTINVS contra Pelagianos, cùm anteceſſores ſuos in Eccleſia Dei Epiſcopos produxiſſet, Cyprianũ, Hilarium, Ambroſium, Chryſoſtomum, Gregorium, Baſilium & alios. Ego, *inquit*, à tenebris Pelagianis, ad hæc tam clara Catholica lumina prouoco. Tu reſponde quid facias, dic quô confugias? Ego à Pelagianis ad iſtos: tu abiiſtis ad quos? A tenebris ad lucem eſt confugiendum.

SIC & Hilarius contra eos, qui Nicenorum Patrum decreta violarent, & immutare nonnihil voluerunt. Cogitemus, *ait*, ſacerdotes ſanctos, & iam quieſcentes. Quid de nobis erit, qui eô rem deducimus, vt quia illi Epiſcopi non fuerunt, nec nos ſimus? Ordinati enim ab his ſumus ſucceſſores. In lib. de Synod. contra Arria. prope finem.

SIC etiam eruditè diſputat Socrates contra eos, qui à Nicenis Patribus ad alias poſteriores Synodos illis contrarias tranſire voluerunt. Ab illis, *inquit*, Eccleſ. hiſt. lib. 2. ca. 32.

Patribus Nicænis poſteriores omnes Epiſcopi ordinati ſunt. Quòd ſi illi Spiritum ſanctum non habebant, qui per ordinationem in vnumquemque deſcendit, nec iſti ſacerdotij functionem acceperunt. Quî enim accipere potuerunt, cùm daretur ab iis, qui tùm non habuerint?

XI. *Cauſæ, cur ſanctorum Patrum iudicium tantùm valeat in doctrina fidei.*

Lib. demonſtra. 7. c. 12. TRIBVS *ex cauſis id demonſtratur ab eruditiſſimo viro D. Thoma Stapletono.* Primùm, quia ſancti Patres, Epiſcopi aut Sacerdotes in Eccleſia fuerũt, ideoque quod de rebus fidei dogmaticè, & ex docendi propoſito atque inſtituto ſcribũt, etiam ex Epiſcopali chariſmate, & ſacerdotali authoritate ſcribunt, tanquam Eccleſię Magiſtri & Paſtores: vt ſi illi à fide publica aberrauerint, ſequatur, tot Eccleſias & greges dominicos, quot illi olim rexerunt, à fide quoque aberraſſe.

Hvc

HVC pertinet quod de Patribus olim ſcripſit S. Auguſtin'. Iſti Epiſcopi ſunt docti, graues, ſancti, in quibus inuenire non potes, quod ſpernas. Denique addit: Talibus Eccleſia plantatoribus, rigatoribus ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit. Contra Iulian. lib. 2.

SECVNDA ratio eſt, quia quę illi in quæſtione fidei tradunt, & loquuntur, ex fide Eccleſiæ, cuius membra erant, loquuntur: ideoque teſtes ſunt illius fidei, quæ illo tum loco ac tempore per Eccleſiam recepta erat. Et hæc ratio etiam ad alios quoſuis in Eccleſia Dei ſcriptores Catholicos, non Epiſcopos ſe extendit; ipſorumque authoritatem confirmat, quatenus teſtimonium adferunt publicæ fidei; vt in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum.

EIVSMODI exemplo iterum vſus eſt Auguſtinus contra Iulianum, cùm plurimos Patres allegaſſet. Hoc, *inquit*, probauimus Catholicorũ authoritate ſanctorum. Tales quippe ac tanti viri, ſecundùm Catholicam fidem, quæ Lib. 1.

vbique toto orbe diffunditur, hæc vera eſſe confirmant.

TERTIA cauſa, quę Patrum authoritatem neceſſariam facit, & iudicij Eccleſiaſtici firmum medium conſtituit, ea eſt; quòd eos pro Patribus, & Magiſtris, & luminibus Eccleſiæ, vniuerſa Chriſti Eccleſia ſemper ſuſcepit, & venerata eſt. Sic enim fit, vt eorum iudicium, totius Eccleſiæ ſit iudiciũ. Nam

Qui, cur ꝑ Patribus habendi.

quemadmodum veterum hæreticorũ ſcripta ideò omnia perierunt, nec illi ꝑ Patribus haberi potuerũt; quia Eccleſia Dei & ipſos, & ipſorum ſcripta damnauit, atq; aboleuit: ſic contrà ſanctorum Patrum ſcripta ideò ad nos vſq; peruenerunt, & ideò ipſi pro Patribus hodiè habentur, quia Eccleſia & ipſos, & ipſorum ſcripta conſeruauit, & approbauit.

Moral. lib. 20. ca. 7.

Ex cuius cauſę conſideratione Gregorius Magnus: Liquet, *inquit*, quòd Arrius, Photinus, Macedonius, multique his ſimiles, docendo atque ſuadendo conati ſunt Patres videri; ſed errores eorum ſancta vniuerſalis Eccleſia diſtri-

Hæretici ꝑ patrib⁹ fruſtrà haberi conati ſunt.

diſtricta ſeueritate diiudicans, eos inter cuſtodes gregis ſui non numerat, quos eiuſdem gregis vnitatem diſſipātes damnat.

XII. *Patrum teſtimonio qui carent, Iudæis ſimiles eſſe.*

Athanasivs in libello pro decretis Nicenæ Synodi. Ecce nos demonſtrauimus, iſtiuſmodi ſententiam à Patribus ad Patres, quaſi per manus traditam eſſe. Vos autem noui Iudæi & Caiphæ, quos verborum veſtrorum Patres ac Maiores demonſtrabitis?

XIII. *Ad fidem, & religionem Patrum, hæreticos, vt ſanentur, redire oportere.*

Avgvstinvs contra Iulian. Pelag. li. 1. c. 2. Tom. 2. Quod credunt *(Patres)* credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo; quod prædicant, prædico. Iſtis cede, & mihi cedes; acquieſce iſtis, & quieſcis à me. Poſtremò, ſi mihi per eos amicus fieri non vis, ſaltem peto, ne per

me

me illorum efficiaris inimicus. Sed quomodò non efficieris, ſi in iſto errore permanſeris? Quantò ergo melius, vt his accedas; ab illo (*Pelagio*) recedas.

EPILOGVS.

I. *Exhortatio à veteris inertiæ ſomno, ad obſeruantiam diuinorum præceptorum.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Excitemus nos, quantùm poſſumus, dilectiſſimi fratres, & ſomno inertiæ veteris abrupto ad obſeruanda, & gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales, quales eſſe nos ipſe pręcepit,
Luc. 12. dicens: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quandò reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit, & pulſauerit, aperiant ei. Beati ſerui illi, quos aduenieus Dominus inuenerit vigilantes.

ACCIN-

Accinctos nos eſſe oportet, ne cùm expeditionis dies venerit, impeditos nos & implicitos apprehendat. Luceat in bonis operibus noſtrum lumen & fulgeat; vt ipſum nos ad lumen claritatis æternæ, de hac ſæculi nocte perducat.

Expectemvs ſolliciti ſemper & cauti aduentum Domini repentinum, vt quandò ille pulſauerit, euigilet fides noſtra vigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata ſeruentur, ſi hæc monita & præcepta teneantur, opprimi dormientes Diabolo fallente nō poſſumus. Serui vigiles Chriſto dominante regnabimus.

II. *Diaboli tentationes vt vincamus, veſtigiis Chriſti vincentis inſiſtendum eſt; quod non fide tantùm, ſed etiam mandatorũ obſeruatione fieri poteſt.*

CYPRIANVS *de vnitate Eccleſiæ.* Immortalitate autem potiri quomodò poſſumus, niſi ea, à quibus mors expugnatur & vincitur, Chriſti mandata ſeruemus? Ipſo monente & dicente: Si vis ad vitam venire, ſerua mandata. Et iterum: ſi feceritis, quæ mando vobis, iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Hos deniq; fortes dicit, & ſtabiles; hos ſuper petrã robuſta mole fundatos: hos contra omnes tempeſtates, & turbines immobili & incõcuſſa firmitate ſolidatos. Qui audit, *inquit*, verba mea & facit ea, aſſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificat domum ſuam ſupra petram. Verbis igitur eius inſiſtere, QVÆCVNQVE ET DOCVIT ET FECIT, DISCERE, ET FACERE DEBEMVS.

Match. 19. / Ioan. 15. / Matth. 7.

Credere in Chriſtũ eſt facere quod is faciẽdum præcepit.

CÆTERVM, credere ſe in Chriſtum quomodò dicit; qui non facit, quod Chriſtus facere pręcepit? aut vnde perueniet ad præmium fidei, qui fidem nõ vult ſeruare mãdati? Nutet neceſſe eſt, & vagetur, & ſpiritu erroris arreptus, velut puluis, quẽ ventus excutit, ventiletur.

letur. Nec ambulãdo proficiet ad ſalutẽ, qui ſalutaris vię nõ tenet veritatem.

III. *Spei, & fidei noſtræ compendium in iuſtitiæ operibus, & mandatorũ obſeruatione conſiſtere.*

IDEM. Iuſtitia opus eſt, vt promereri quis poſſit Deum iudicem. Præceptis eius & monitis obtemperãdum eſt, VT ACCIPIANT MERITA NOSTRA MERCEDEM. Dominus in Euangelio, cùm ſpei & fidei noſtræ viam compendio breuitate dirigeret: Dominus Deus tuus, *inquit,* Deus vnus eſt, &: Diliges Dominum Deum tuum de toto corde Matth. 22. tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc eſt primum, & ſecundum ſimile huic: diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ,

VNITATEM ſimul & dilectionem magiſterio ſuo docuit; Prophetas omnes & legẽ pręceptis duobus incluſit. Quam

Heretici vnitatem non ſeruant.

Quàm verò vnitatem ſeruat; quàm dilectionem cuſtodit, aut cogitat; qui diſcordiæ furore veſanus Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, charitatem diſſipat, ſacramentum profanat?

MALVM hoc, fideliſſimi fratres, iam pridem cœperat, ſed nunc creuit eiuſdem mali infeſta clades, & exurgere ac pullulare plus cœpit hæreticæ peruerſitatis, & ſchiſmatum venenata pernities; quia & ſic in occaſum mundi fieri oportebat, prænunciante per Apoſtolum nobis, & præmonente Spiritu ſancto: In nouiſſimis, *inquit*, diebus aderunt tempora moleſta, & erunt homines ſibi placentes, ſuperbi, tumidi, cupidi, blaſphemi, parẽtibus inobedientes, ingrati, impij, ſine affectu, ſine fœdere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, ſtupore inflati, voluptates magis, quàm Deum diligentes, habentes deformationem religionis, virtutem autem eius abnegantes.

Ex

Ex iis ſunt, qui repunt in domos viduarum, & prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes, & nunquã ad ſcientiam veritatis peruenientes. Et quomodò Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi; ſic & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti ſenſu, reprobi circa fidem; ſed non proficient plurimùm. Imperitia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.

Adimplentvr quæcunq; prædicta ſunt, & appropinquante ſæculi fine, hominum pariter ac temporum probatione venerunt. Magis ac magis aduerſario ſæuiente error fallit, extollit ſtupor, liuor incendit, cupiditas excæcat, deprauat impietas, ſuperbia inflat, diſcordia exaſperat, ira præcipitat.

APPENDIX

DE PRÆSENTI ECCLESIÆ STATV.

I. *Piorum huius ſeculi Doctorum Threni aduersùs nouos Euangelicos, & ſectas eorum diſſectas.*

STANISLAVS *Hoſius Cardinalis in Confeßione Polon. c. 92.* Tu verò nunc ad illos verte oculos, qui nomẽ Euangelij prætendentes, vt erroris in eo ſui latebras conſtituant, ſe ab vna ſancta Catholica Eccleſia ſegregarunt: quantum inter eos & opinionum & animorum diſſidiũ? In quot miſeri ſectas ſunt diſſecti? Quanto ardore pugnant & digladiantur inter ſe?

IDEM cap. 45. Miſerandam certè apud eos videre licet Eccleſiæ faciem, non ſolùm quòd ſecùs in alia ciuitate doce-

doceṫur, quàm in alia, quodq́ue fidibus luditur, non fides vna retinetur; verùm etiam quàm in vna & eadem ciuitate aliud hic in templo, aliud ille è loco ſuperiore détonat: Huic ille Suuermerus, ille contrà huic Hæreticus eſt; atque ita præclarum iſtud (ſi Diis placet) Euangelium ſecum ipſum pugnat. Intereà verò ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Hic dicit: Ego ſum S. Lutheri: alius, Ego verò S. Zuinglij: alius, ego verò S. Caluini: alius, ego verò S. Balthaſaris Anabaptiſtæ: alius, ego verò S. Schuuenckfeldij: alius, ego verò Sanctorum omnium Suuermerorum. Sic huic ſanctum videtur, quod Lutherus: illi, quod Caluinus, vel alius quiſquam Hæreticorum ſcripſit.

Nunc fidib. luditur.

Verg. 2. Æn.

Ibidem cap. 25. Certè quot homines apud eos, tot eſſe propè de dogmatibus fidei ſententias, neque nobiſcum magis, quàm ipſos inter ſe digladiari & diſſidere videbis, vt nullum adferri certius erroris eorum argumētum poſſit.

Quot capita tot ſenſus.

Certiſsimū erroris argumentum.

gg 2 In

In vna domo duos aliquando reperire vix licet, qui ſibi inuicem ex omni parte conſentiant, quodque maiore etiam dignum eſt admiratione, aliud eos iiſdem de rebus hodiè, cras aliud ſentire videas.

Georgij Ducis Saxoniæ dictum.

HINC illud præclarè dictum à Chriſtiano & Catholico principe Georgio quondam Saxoniæ Duce commemoratur: Nam ſcire ſe quidem dicebat, quid hoc anno crederēt vicini ſui VVittenbergenſes; quid verò proximè in ſequenti anno credituri eſſent, ſe neſcire, quòd ſubinde dogmata ſua variarent. Indicant hoc non modò libelli eorum, verùm etiam ritus totius correcti, & mutati: Conati ſunt illi, alta ſapiendo, & humilibus non conſentiendo, turrim Babel extruere. Ecce autem quomodò depreſſit DEVS eorum arrogantiam. Quæ fuit aliquando terra vnius labij, tantam in ea nunc linguarum confuſionem factam eſſe cernimus, vt non modò mutuò ſe,

Rom. 11.
Geneſ. 11.
Confuſio Babylonica.

ſe, verùm etiam ipſi ſe non intelligant.

IDEM Hoſius in Confeſſione cap.92.
Quod imprecatur talibus regius Propheta Dauid: Præcipita Domine & diuide linguas eorum, quia vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate; Pſal.54.
nunquid iſtis non eueniſſe videtur? Per humiles Apoſtolos congregatæ fuerũt linguæ; per ſuperbos iſtos Pſeudoapoſtolos diuiſæ ſunt linguæ. Spiritus ſanctus congregauerat linguas; Spiritus ſuperbiæ diſperſit linguas. Cùm deſcẽdiſſet ſupra Apoſtolos Spiritus ſanctus, omnium linguis locuti ſunt, ab Act.2.
omnibus, qui conuenerant ex diuerſis orbis terrarum partibus, intellecti ſunt, & quæ diſperſæ linguæ fuerant, cùm Babel ædificaretur, in vnum omnes Geneſ.11.
congregatæ ſunt; nunc iſti ſe mutuò non intelligunt; & qui fuerant ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus per diuerſitatem linguarum multarum in vnitate fidei congregati, mirandum in mo-

Hæretici Sathanæ ſpiritu agitãtur. dum linguas eorum diſperſas videmus, vt eos agitari Sathanæ ſpiritu dubitandum non ſit.

IBIDEM cap. 52. Sic vbi fuit non ita pridem ſancta ciuitas Hieruſalem, cuius participatio in id ipſum, ibi nunc facta eſt Babylõ mater fornicationum, Pſal. 121. & abominationum; terra facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi. De vtraq; ciuitate ſic ſcribit venerabilis Beda: Benè Beda in c. 5. Marc. in Babylonis conſtructioné linguarum vnitas per ſpiritum ſuperbiæ ſciſſa, in Hieroſolyma eſt per gratiã ſancti Spiritus linguarum varietas adunata; & illa confuſio, hæc viſio pacis interpretatur; quia videlicet electos in pluribus linguis & Gentibus, vna fides ac pietas Fides vna. toto orbe pacificandos confirmat: reprobos autem plures ſectæ, quàm linguæ diſſociando confundunt. Fides diuerſa.

VVILHELMVS Lindanus Epiſcopus Ruremundan. in Apologetico ad Germanos in præfatione. Quàm ingens igitur &

acer-

acerbus multoque acerrimus ſit ille piorum omnium dolor atque luctus, qui ex funeſtiſſimo Germaniæ noſtræ patriæ dulciſſimæ, in fide Chriſti diſſidio indies acerbior gliſcens, pios illa pericula certoq; venientia flagella eminus conſpicatos tantùm non enecat: null⁹, cui vel vnciola Chriſtianę pietatis eſt reliqua, non videt; quo compuncti, miſereq; diſcrutiati cum Dauide ſubinde exclamare coguntur: Germaniæ luctus.

TV exurgens, Domine, miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus: Populũ enim tuum humiliauerunt, & veritatem tuam vexauerunt. Quaſi in ſylua lignorum ſecuribus exciderunt ianuas eius, in ſecuri & aſcia deiecerunt eam. Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui, dixerunt ſimul; Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra. Ad hæc ſuper populum tuum malignauerunt conſilium, & cogitauerunt aduerſùs Pſal. 101. Pſal. 93. Pſal. 73. Pſal. 82.

ſanctos, tuos, dicentes; Venite, diſperdamus eos de terra, & non memoretur nomen Iſraël vltrà.

QVIBVS threnis ſi vnquam locus fuit, hac longè infœliciſſima tempeſtate noſtra nunc vel inprimis eſt; à Chriſtianæ namque religionis incunabulis, haud triſtiorem imò truculentiorem equidem arbitror graſſatam eſſe Apoſtolicæ Eccleſiæ diuulſionem; aut funeſtiorem gregis CHRISTI diſperſionem, quam nunc miſera videt, atque perdolenter, ne dicam exitialiter, experitur noſtra Germania. *Et paulò pòſt:*

NVNC enim tempeſtatis, ſi quis ſibi perſuadeat, illos veniſſe miſeris mortalibus dies, ſpiritu DEI Chriſtianis prædictos, quibus Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui eſt Diabolus & Sathanas, olim ad annos mille per DEI Angelum in abyſſo ligatus, paruo tempore ſolueretur, non vſque adeò fortaſſis ſenſerit; Qui namque teterrimos noſtri

Apoc. 20. Serpens antiquus.

noſtri ſeculi repullulantes paſſim errores ſecum tacitus conſiderarit, agnoſcet perſpicuè, omnia ſerpentis illius antiqui venenata ſibila (vt hîc Atheiſtas taceam, Libertinos, aliosque Epicuri de grege porcos) pridem inceſto Arrij, Neſtorij, Eutychetis, Macedonij, Aërij, adeoq; inſani Manichæi ore in DEVM, in CHRISTVM, eiusq; Eccleſiam, in ſacra omnia, ſanctosq; effuſa, nunc Euangelij noui prætextu reuiuiſcere, inualeſcere, atque ab orco in orbem impiè ſimul & perniciosè reuocata, incredibili animarum clade graſſari.

II. *Quæ, & qualia in Germania ſint inter iſtos nouatores diſſidia.*

MARTINVS *Cromerus Epiſcopus VVarmienſis in colloqq. li. 1. altero Colloquio.* Certè non dabis mihi duos tractus, nec ſcio an duas ciuitates in Germania, per Hæretico diſſidia.

omnia conſentientes inter ſe de religione ac dogmatibus. Aliter VVittenbergæ multa ſeruantur & creduntur; aliter Ienæ; aliter Norinbergæ; aliter Auguſtæ; aliter Argentinæ; aliter Lipſiæ; aliter Tubingæ; aliter Magdeburgi; aliter in Vandalicis, & maritimis ciuitatibus; aliter in Pruſſia, atque ibi non vbique eodem modo, ſicut & in Saxonia, & apud Heluetios; aliter Geneuæ; aliter Tiguri.

Domeſticorum diſſenſio.

QVID dico de ciuitatibus? In vnaqualibet ciuitate, ſecus in hac, quàm illa parœcia; imò verò in ſingulis domibus diuerſæ ſunt religiones. Quin, quod maius eſt, in vna domo paterfamilias & inquilinus, pater & filius, ſocer & gener, mater & filia, vxor & maritus, fratresque germani inter ſe diſſentiunt; quamuis plerunque diſſimulent propter edicta & animaduerſiones magiſtratuum; in quibus ſunt iſti Pſeudoeuangelici multò vigilãtiores, quàm noſtri.

Hæretici Catholicis vigilantiores.

NEC

Nec mirum, quòd populi diſſentiunt, cùm & ipſi eorum Doctores, quilibet ſuo ſenſu de religione ſtatuentes, ſcripturamque interpretantes inter ſe δὶς διὰ πασῶν (quod dicitur) diſſideant. Nec profectò aliter ſentio, quàm DEVM confudiſſe non tàm linguas, quàm ſenſus & mentes eorum, vt ſe inuicem non intelligant; ſicut illi, qui olim turrim Babel ædificare orſi erant: quò non modò prudentes, verùm etiam idiotæ, & bardi cernant, & quaſi manu contrectent, iſtud eorum conſilium, doctrinamque ex DEO non eſſe, nec DEO placere.

Hæretici ſe inuicem nō intelligunt. Geneſ. 11.

III. *Quanti momenti ſint ea, de quibus Hæretici nunc temporis à ſe inuicem diſſident.*

CROMERVS *ibidem:* Neque verò exiſtimare debes, paruas eſſe, ac de eo,

quod

Hæretici, de ipſis capitibus religiõis diſsident.

quod pueri in faba ſe reperiſſe clamitant, hoc eſt, de rebus parui momenti controuerſias inter eos. Sunt de ipſis capitibus religionis. Quòd vel ipſa tam multarum tamque diuerſarum ſectarum nomina & capita ſatis euidenter oſtendunt: Neque enim de nihilo eſt,

Sectarũ nomina & capita.

quòd alij dicuntur Anabaptiſtæ, alij Sacramentarij, alij cœleſtes Prophetæ, ſiue Enthuſiaſtæ, alij Antinomi, alij Trinitarij, ſiue Trideitæ; ſed quòd ſinguli, vel in eo ipſo, vnde nomen habent, à Lutheranis, qui ſe Proteſtantes vocant, & à cæteris omnibus, qui vno nomine Euangelici dici volunt, ferè diſſentiant:

NEMPE Anabaptiſtæ, quòd paruulorum baptiſma efficax eſſe negant, atque ob id iterandum eſſe in adultis contendunt; Sacramentarij, quòd CHRISTI præſentiam à ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento excludunt;

ENTHV-

ENTHVSIASTÆ, quòd externa verbi DEI prædicatione, & ſacrarum Scripturarum lectione neglecta, emẽtitis reuelationibus diuinis nituntur.

ANTINOMI, quòd Moſaicam legem prorſus repudiant:

TRINITARII, ſiue Trideïtæ, quòd in DEO Trinitatem perſonarum, vnitatemque eſſentiæ explodunt, & ſolum Patrem ſiue DEVM Iſraël verè & propriè DEVM eſſe contendentes, ad Mahometanam impietatem, minùs diſſimulanter, quàm cæteri accedunt, atque adeò per diſtinctam trium diuinitatem tres Deos ſtatuentes, ad Gentiliſmum ductore Gentili defluunt; tametſi is dogma id Geneuæ abiurauit; ſed lingua modò; mens iniurata manet, vt ait ille. Gẽtiliſmus.

MITTO alias ignobiliores ſectas; quarum prodigioſas, & cũ ab his, quas modò recenſui, tũ ab aliis paſſim damnatas

natas impietates poſteà fortaſſis obiter attingam.

Refert Staphyl. in Apolog. in prin. 3. partis.

NICOLAVS *Gallus in Theſibus & Hypotheſibus ſuis extremo folio hunc in modum ſcribit:* Non ſunt leues inter nos concertationes de rebus leuibus, ſed de ſublimibus doctrinæ Chriſtianę Articulis, de lege & Euangelio, de Iuſtificatione & bonis operibus, de Sacramentis & vſu Ceremoniarum: nec vlla ratione componi & tranſigi poſſunt: Nam pleræq́; meræ ſunt contradictiones, quæ conciliari nequeant, vt legem in Chriſtiana Eccleſia prædicandam, & item non eſſe prædicandam: Iuſtitiam noſtram eſſe ipſam DEI eſſentiam in nobis, vel eius operationem, actionem & omiſſionem intra nos, vel obedientiæ illius imputationem extra nos; Sanguinem IESV CHRISTI neminem iuſtificare, &, quod Apoſtolus ait, iuſtificari nos in ſanguine ipſius; Bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem; neminem vnquam abſque

Hæreticorũ cõtradictiones inter ſe cõciliari nõ poſſe.

Rom. 5.

abſque operibus bonis ſeruatum eſſe; Impoſſibile eſſe abſque bonis operibus ſeruari; & è diuerſo, bona opera ad ſalutem non eſſe neceſſaria; vel vt Pſalmus habet; Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata; Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, qui non opera ſectatur, nec vlla habet, nec habere poteſt ad ſalutem; CHRISTVM eſſe & accipi corporaliter in cœna ſub pane & vino à credentibus, & incredulis; & rurſus, ſolùm ſpiritualiter eum illic eſſe, & à ſolis credentibus accipi.

Pſal. 31.

Rom. 4.

IIII. *Euangelicorum diſsidia de Confeſsione Auguſtana.*

CROMERVS *in Colloqq. libro primo altero Colloquio.* Confeſſionem Auguſtanam Lutherus initio non omninò probauit: licet à fideliſſimis tunc vel ſociis ſuis, vel mancipiis (vt ipſi

poſteà

poſteà confeſſi ſunt) conſcriptam. Argentinenſes quidem, & Conſtantienſes, & aliæ quædam Germanicæ ciuitates ei non ſubſcripſerunt initio, ſuamque & ipſæ ab illa diuerſam Carolo Imperatori, imperiique ordinibus exhibuerunt. Et nuper adeò Argentinenſes, cùm inter ſe de prædeſtinatione, & Euchariſtia diſſentirent, inſidioſa quadam, & Marpurgenſi nõ diſſimili conciliatione diſſidium ita ſopiuêre, vt ſolet ignis ſuperiniecto cinere; ſicilli etiã nunc Confeſſionem Auguſtanam nauci non faciunt: Oſiander autem indignabundus queritur, VVitembergę in eius verba iureiurando adigi futuros Profeſſores (quod fit & Roſtochij ad Cherſoneſum Cymbricam) & pro verbo DEI eam haberi. Quod & Ioannes Laſcus itidem queritur.

Argentinenſium cõſenſus.

Marburgẽſe conuenticulum.

Oſiand.

NEC ſanè obſcurè ita ſentire de ea vidētur VVeſtphalus & Nicolaus Gallus in quodam libello, quem inſcripſit germanicè, Wachterſtimme. Plerique ſane

Wachterſtimme.

ſanè omnes ſecundùm Apoſtolicas & Propheticas Scripturas, ac tria Symbola, proximam, & (vt ita dicam) irrefragibilem authoritatem ei tribuunt. Videtur tamen ea iam paſſim obſoleſcere; vel eo ſanè argumento, quòd eius fabricatores aliam pòſt ediderunt Concilio Tridentino offerendam; eamque non iam Auguſtanam, verùm Saxonicarum Eccleſiarum appellarunt: Quemadmodum & ij, qui ad Rhenum & Neccarum accolunt, ſuam, quæ nomine Ducis VVirtenbergenſis edita eſt. Et damnat eam, Auguſtanam inquam, erroris ipſe adſtipulator, imò aſſertor eius Tilemannus Heſshuſius.

Saxon. Eccleſiarum Confeſsio.

De Melanchthone aliorum iudicium.

Stancar. in Collat. doctrinæ Arrij & Philippi. Et de Trini. & mediatore ad Calui.

FRIDERICVS *Staphylus in defenſione aduersùs ædificatores Babylonicæ turris in fin. lib.* Si eos Articulos, de quorum corruptelis Vinarienſe ſcriptum nouem Euangelicas ſectas condemnat, ſuſtuleris ex Auguſtana Confeſſione, quot erunt reſidui? Ne vnus quidem.

Illyricus cõtra Melanchthonem.

Quid Illyricus in ſuo libro contra Melanchthonem? Profectò tot ille profert ex Philippi, aliorumque Adiaphoriſtarum libris errores atque hæreſes, vt Articuli Confeſſionis Auguſtanæ, non tam ab ipſo authore oppugnati, quàm omnes deleti videantur.

Bellum Hæreticorũ contra Confeſſionem Auguſtanam.

SI nullæ ſunt de fundamento diſcordiæ, quid ſcribit Gallus contra Maiorem? Quid Amſdorffius contra Melanchthonem? Quid viciſſim Mænius, Maior, Pfeffinger, Eberus cunctaque VVirtembergenſis Schola contra eoſdem? Qua de re Caluiniani dimicant cum Saxonicis Eccleſiis? Suuenckfeldiani quid? num lineas illi in Auguſtana Confeſſione commouent, an integras paginas.

De Iuſtificatione quatuordecim, opiniones.

ARTICVLVS de Iuſtificatione eſt haud dubiè non minima pars Auguſtanæ Confeſſionis; an non de eodem hoc inter Confeſſioniſtas varia diſcordiarum colluctatione decertatur? De hoc Oſiandrini contra vniuerſos, & hi viciſſim

ciſſim & contra illos; & contra ipſoſmet ſeſe. A quatuordecim Lutheranicis Eccleſiis petiuerat Dux Pruſſiæ iudicium de Oſiandrina huius Articuli doctrina. Singulæ Eccleſiæ reſcripſerunt principiò priuatim, poſteà publicè editis libris; ſed ita reſponderunt, vt plus ipſis inter ſe eſſet, quàm cum Oſiandris mutuæ diſſenſionis, dum quælibet Eccleſia ſuam obtruderet priuatam iuſtitiæ definitionem, nulla Catholicam, omnes contrariam. Verè ne hoc an falsò aſſeram, è libris hac de re euulgatis velim cognoſci. De eodem hoc Articulo quot errorum taxat Illyricus Melanchthonem, in libro ſuo, quem Bericht/inſcriptum nuper emiſit? De Pœnitētia ſeptem recenſet grauiſſima errata; & hæc quidem ſingulorum Authorum ſingula. De Pœnitentia errores ſeptem.

ADEO manifeſtè iſta colluctantur hæreſium inter ipſas certamina, non ſolùm, vt paſſim in vniuerſo orbe horribiles digladiantium voces audiantur;

Communis nuncomniũ querela. verùm etiam, vt iam exteræ nationes inclament, nutare Germaniam, ruere Imperium, inſania noſtra Chriſtianum orbem in ſummum diſcrimen adduci.

V. *Quomodò Sectarum ſingularum Doctores ipſi inter ſe diſſentiant.*

CROMERVS *vbi ſuprà*. An non maximi, quæſo, momenti hæc ſunt & ipſa religionis noſtræ capita? An non ſumma autem contentione, & quaſi pro aris & focis, pro his atq; aliis etiam dogmatibus, inter ſe & cum Lutheranis digladiantur, non modò ſectatores, & vulgus ignobile, ſed ipſi etiam ſectarum duces?

De Anabaptiſtis iudicium aliorũ. ANABAPTISTAS quidem acerrimè inſectatur Lutherus: itemque Bullingerus, & alij quidam, libris contra ipſos editis, damnatque eos veluti Hæreticos; damnat & ipſa Auguſtana

Confeſſio. Et Lutherani etiã & Sacramentarij publicè tanquam peſtes eos è rebuſpublicis ac ditionibus ſuis exterminant.

IDEM Lutherus contra cœleſtes quoque Prophetas, qui primi ab eius Euangelio, Thoma Muntzero authore, deſciuêre, duos libros ſcripſit.

Luther. ad duos plebã. Bullin. adu. Anabaptiſt. De Enthuſ. ſiue Suuenc.

MELANCHTHON autem, & Flaccius nominatim Suuenckfeldium, ducem eorum, ſeductorem vocitant.

Melanch. in præfat. epiſt. ad Som. Flacc. de 50. error. Suuẽc.

OPPVGNAT Lutherus etiam Antinomos: itemque Sacramentarios, & horum authores Carolſtadium, Zuuinglium, & Bucerum; & hæreſeos eos, ac diabolicam (hoc enim verbo is vtitur) eorum doctrinam damnat; licet vtrique, imò & Anabaptiſtæ, & Oſiandrini ab ipſo orti eſſe videantur, & ipſi ad earum ſectarum authores profiteantur, quemadmodum priùs dixi.

Luther. de Cœn. Chriſti. & in epi. ad Alb. Mar. & ad Argin. & cont. Art. Louanien.

NEC aliter de iiſdem Sacramentariis ſentiunt rigidiores Lutheri diſci-

puli, Illyricus, Nicolaus Gallus, Amſdorffius, Ioachimus VVeſtphalus, & multi alij ſanctione Comitiorum Imperialium Auguſtanorum anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi octaui aſtipulante.

Ioach. Vveſtphal. contra mẽdacia Laſci.

EXTANT ſcripta VVeſtphali contra Caluinũ, & contra mendacia Ioannis à Laſco.

Illyricus cõtra paruũm Catechiſm. Caluini.

EXTAT & Illyrici libellus germanicus editus contra paruum Catechiſmum Caluinianorum; quo nouem eorum inſignes errores damnantur, ipſique Spiritus vertiginis vocantur, & infernale, ac pluſquam Diabolicum fermentum in Eccleſiæ religionem diffundere memorantur.

De Luthero & Lutherãnis aliorum Hæreticorũ iudicium. Caluinus in defenſione ſanæ doctrinæ & in admonitione Ioach. Vveſtphal.

VICISSIM autem hos, Lutheranos inquam, acerrimè exagitat, & pro Hæreticis damnat Caluinus. Zuuinglius etiam ipſi Luthero hæreſeos crimen impingit, & manifeſtum ac publicum ſacræ Scripturæ corruptorem, & adulteratorem eum eſſe pronunciat.

BVCE-

BVCERVS verò ita de eo ſcribit: Si exigit, ne quis à ſe vlla in re diſſentiat; probet ſe DEVM eſſe. Additque: In vertendis & explanandis Scripturis manifeſti ſunt, neque pauci eius lapſus. Bucerus.

TIGVRINI quidem plurimos eiuſmodi lapſus ipſius notarunt, & ipſum inſolentiæ, pertinaciæ & maligni ſpiritus arguunt. Tigurini.

VNIVERSE autem de Lutheranis ita ſcribit Oecolampadius; Speciem verbi DEI afferunt Lutherani; verbum DEI non afferunt; id quod Hæretici paſſim facere ſolent, omneſque volunt videri verbo DEI niti. Oecolam. in Dialogis cõtra Melanc. NOTA.

CALVINVS autem & Laſcus conqueruntur de acerba eorum Tyrannide, præ quorum iugo ferreo Papæ iugum videatur fuiſſe ligneum.

IAM verò Suuenckfeldius Antichriſtos ipſos appellat, quemadmodum ipſi memorant. Ferturq; is etiam, Illyri. de ſo. erro. Suuẽck feld.

Smalcaldenſiũ iudiciũ. Sleidan. in commenta. 1540. Sleidano teſte, refutationem Auguſtanæ Confeſſionis ſcripſiſſe; quanquam ea fortaſſis edita non eſt.

Luther. in epiſt. ad Melanchthon. QVID ego hîc ipſorum inter ſe Anabaptiſtarum, & Sacramentariorum in complures ſectas diſſectorum diſſidia commemorem? Non ſunt ea vulgo incognita; ne Lutheranorum quidem, & Proteſtantium inter ipſos. *Et paulo pòſt:*

PORRO rigidi Lutherani Philippum Melanchthonem pro Sacramentario; Stancarus etiam pro Arriano damnat, & Antichriſtum Septentrionis, & perturbatorem totius Chriſtianiſmi appellat.

Nicol. Gall. in themate deprauatio. Aug. Cõfeſ. Adiaphoriſta. GALLVS autem Adiaphoriſmum eius, vitulo ab Aarone Hebræis excitato comparat, & longam errorum, ac idololatriarum telam ſecum trahere aſſerit.

Illyri. in lib. Bericht. ILLYRICVS verò damnat eum pro Apoſtata Lutheri, & adulteratore Augu-

guſtanæ Confeſſionis; quin etiam anathema eum, perinde ac Ethnicum & Publicanum pronunciauit, & omnes Adiaphoriſtas. Sic enim Sectatores eius VVirtenbergẽſes, & Lipſenſes appellat; qui viciſſim eum, & ſocios eius damnant.

Adiaphoriſtæ.

IPSE autem Melanchthon, cùm vbiquitatem corporis CHRISTI damnat (quod quidem facit ad Fridericum Palatinum Rheni ſcribens) Brentium ſuum damnat, qui eam cõtra Bullingerum adſtruit:

De Brentio Melãchthonis iudiciũ.

DAMNAT & Lutherum, & Brentium, & VVirtenbergenſem Confeſſionem, & Smalcaldicos Articulos, & Confeſſionem Auguſtanam, & ſeipſum denique, cùm in eodem reſponſo Bremenſes, & Heſhuſium nominatim damnat.

PORRO Vrbanus Regius formulas cautè ac citra ſcandalum loquendi de præcipuis Chriſtianæ doctrinæ locis

Vrbani Regij formulæ cautè loquẽdi.

conſcripſit. In quo quid aliud agit, quàm Pſeudoeuangelicorum iſtorum plerorumq́ue omnium doctrinam, atque temeritatem in nouandis non modò verbis, verùm etiam dogmatibus taxat.

VI. *Polonicorum Euangeliſtarum diſſidium.*

IBIDEM. Mitto noſtratium, ab externis quibuſdam erroribus & exulibus dementatorum, deteſtanda inter ipſos diſſidia, eò vſque progreſſa, vt ſe inuicem pro Hæreticis & Mahometanis condemnent; & nonnullos ex iis pro impiis ac trium Deorum cultoribus damnet non ſolùm Stancarus, verùm etiam communis eorum Magiſter Caluinus; cuius eos iam pudet, pigetq́ue.

Stancar. de Trinitat. & Mediato. Caluin in admonit. ad frat. Polon.

NEC ignorant ij, quale & quantum incendium ille per Theodorum Bezam, & alios emiſſarios ſuos his aliquot

Calui. cum Beza Galliæ turbator.

quot annis exuſcitarit in Galliis, & quòd eum perſtringat Ochinus in Dialogis ſuis, dum præmonet cauendum eſſe, ne quis in illis ſuis reformatis Eccleſiis exiſtat nouus Antichriſtus.

Ochinus in Dialog. ſuis.

FRANCISCVS quidem Balduinus & ipſe diſcipulus eius paulò antè apertè queritur de impotenti dominatu eius ac tyrannide.

De Caluin. aliorum ſententia.

VALENTINVS quoque Gentilis eum ſignificat, cùm queritur de nonnullis, qui ferro & igni diſputant. Nec multò pòſt apertiùs monet cultores eius, vt agnoſcant, illum hominem eſſe, neque id omne ſpiritum eſſe, quod ab illo ſcribitur, vel dicitur & agitur; denique quòd errare poſſit. *Et paulò pòſt addit:*

Gentilis in Confeſs. de Trinitat. & in protheſ.

QVOD ſi qui, vt Caluini famæ conſulant, reiecto DEI verbo, ex hominum decretis ſententiam ferent, vel ex hac hora de ea ſententia tanquam iniqua & in verũ DEVM contumelioſa ad

verè

In cenſura piarũ Eccleſiarum. verè liberum & Oecumenicum Concilium appello. Sic ille de Caluino; notatque in protheſibus permultos errores eius; quod Blandrata itidem ſe feciſſe profitetur, teſte Petro Martyre.

Petrus Martyr. Valentinus Gentilis. Et viciſſim autem vterque ab eo reprehenditur. Gentilis etiam ad abiurandum adactus eſt. Ita videlicet temerarij ſcrutatores Maieſtatis opprimuntur à gloria.

Stancar. de Trinitat. & mediat. STANCARVS verò negat ſcire Caluinum, quid ſcribat, aut de quibus affirmet; monetque omnes, vt caueant ſibi à libris eius, præſertim in Articulis de Trinitate, Incarnatione Mediatore, de Sacramento Baptiſmatis, de præſcientia, & prædeſtinatione; quia falſam, & prauam doctrinam habent.

Caluin. Ioſtit. c. 7. & 6. ET mox annotat horribilem, & Gẽtilianæ non diſſimilem, eius blaſphemiam, quòd CHRISTVS, cùm tradiderit regnum DEO Patri, quemadmodum ait Paulus, ſubiectus ipſe erit ſecun-

ſecundùm vtramque naturam. Addit mox & alteram è ſexto capite, quam nunc prætermitto.

IDEMQVE de ipſo Caluino, & Genuenſibus, atque Tigurinis ſcribit, eos eſſe publicos & manifeſtos Hæreticos, qui non ſemel Polonos ſcriptis & Epiſtolis ſuis ſeduxerint; conuincitque, eos eſſe Arrianos, Appollinariſtas, Eutychianos, Timotheianos, Acephalos, Theodoſianos, Gaianitas, Origenianos, Donatiſtas. Quin & ἀθέους eos vocat. Stancari de Genuen. & Tiguri. iudicium.

VICISSIM autem ipſe ab iis iuxta ac proteſtantibus pro Neſtoriano habetur & pelli iubetur. Ipſe quidem cum proteſtantibus & Lutheranis & Sacramentariis, ſe ſentire non diſſimulat. Caluin. in epi. ad frat. Polon.

QVASI verò inter illos conueniat. Re vera & ipſe diſcipulos poſt ſe cupit adducere. Sed non ſatis fœliciter hic ei cadit conatus; Præter, quod tamen luculen- Iudiciū piarum Eccleſ. de Caluinianis.

culentam pecuniam in alias vſus legatam, auertiſſe fertur.

Gentil. in Confeſs. de Trinit.

Valentinvs autem Gentilis cùm ſuis Trideitis queritur, ſe ab iis, qui ipſi manifeſtè Patrem & Filium negent, defectionis à Christi fide reum pronunciari. Ij ſunt autem Caluiniani, de quibus audiuiſti dudum & Stancari iudicium huic non diſſimile.

VII. *De Confeßionum Confuſione.*

Cromervs *in loco præmiſſo.* Mitto, eos, qui ſe partim Auguſtanam, partim Bohemicam Picardorũ, ſiue VValdenſium fratrum confeſſionem ſequi profitentur, & neq; cum ſuperioribus, neq; inter ſe conſentiunt.

Confeſsio Picard. Collat. in Bazez.

Mitto etiam Anabaptiſtas, qui & ipſi ad nos peruaſerunt; cum quibus & Picardi olim de rebaptizando ſe congruiſſe non diffitentur.

Et nunc Trideitæ nonnulli paruulorum Baptiſmum reiiciunt; nec diſſimulan-

mulanter id profitetur, quidam ad Vilnenſe conuenticulum ſcribens; cui poſteaquam medici mediam pertuderũt venam. Vt verbis Poëtæ eiuſdem vtar, quater vel quinquies mutauit religionem. *Iuuenalis.*

E CATHOLICO primùm proteſtans, ſeu Confeſſionis Auguſtanæ, deinde Melanchthonianus, poſteà Caluinianus, mox Seruettianus & Gentiliſta factus; neſcio, an etiam Picardus, Anabaptiſta & Suenckfeldianus; & vereor ne mox etiam Mahometanus vnà cum ſectatoribus ſuis fiat. *Poſt inſaniã quidam factus inconſtans Theologus.*

CHRISTIANI quidem certè ij, vel ſuo ipſorum iudicio, non ſunt, quamdiu non rebaptizantur; quandoquidem infantes, & non credentes baptizati ſunt: Quale baptiſma ipſi contra CHRISTI doctrinam & irritum eſſe aſſeuerant. *Hereſes Polonicæ.*

HVC accedit, quòd cum Iudæis & Mahometanis, imò impudentiùs iis & contumelioſiùs in diuinitate Trinitatem *Recutiti.*

tatem perſonarum & vnitatem eſſentię blaſphemant. Quin & circumciſionem, & ſabbathum nonnulli iam amplectuntur in Lituania.

Lituanici.

NEC deſunt, qui diuinitatem CHRISTI cum humanitate confundunt; & Spiritum ſanctum, imò CHRISTVM etiam DEI filium DEVM eſſe negant, aut certè diuerſa ab eo diuinitate prædìtum eſſe volũt. Quod quid eſt aliud, quàm duos, vel tres DEOS profiteri? Quod neque Turcæ, neque Tartari faciunt. Sacramentum quoque Euchariſtiæ, ſeu Cœnam dominicam non ſolùm præſentia CHRISTI cum Sacramentariis, verùm etiam omni virtute prorſus euacuant.

DENIQVE Enthuſiaſmum etiã amplectuntur, iubentesq; probare quemlibet ſpiritum & interpretationes Scripturæ, an ex DEO ſint, arbitrariam cuilibet fidem ſiue opinionem de dogmatibus relinquunt. Quæ omnia notauit quidam tabella vernaculo noſtro ſermone

Fides arbitratria.

mone in lucem edita. Mirum eſt autem quòd homo Caluinianus, & antea; ni fallor, Lutheranus, damnat probationem illam ſpirituum à ſuis præceptoribus exortam ac defenſam.

IN ſumma, Polonia cùm totos ferè ſexcentos (& germania pluſquam mille) annos firmiſſimum fuiſſet orthodoxę religionis domicilium & propugnaculum, nõ ita pridem ſentina hæreſeon facta, plena iam eſt, proh dolor, tetrarum & abominandarum ſectarum, quæ partim aliunde ad nos maxima licẽtia inuehuntur, partim apud nos ipſos naſcuntur nouæ quotidiè: Plerique enim omnes Diabolici iſti miniſtri è Caluini iuxtà, ac æmuli eius Gentilis ſententia negant, à Luthero omnem religionis ac dogmatum veritatem perſpectam, aut patefactam eſſe, grauesque in eius doctrina errores notant, ac tantùm nõ hæreſeos eum damnant. Polonia ſentina hæreſeon. Gentilis in Confeſs. de Trinitat. De Luthero Trinitariorum & Caluinianorũ iudicium.

NEQVE Melanchthonem in omnibus recipiũt; ac ne ipſum quidem Caluinum. Imò ſicut viperę præruptis matrum Hæretici viperæ.

trum vteris naſci feruntur; ſic ij præceptores hoſce ſuos immaniter, ſed non immeritò tamen proſcindunt; tantùm abeſt, vt eos verè pro Prophetis & veritatis vindicibus habeant; vulgò tamen eos plerunque pro talibus celebrant, eorumq́; authoritate, arbitratu ſuo abutuntur, quò faciliùs in animos imperitorum influant, & quod timeant turbã, cùm omnes habeant illos ſicut Prophetas, vt vtar verbis Euangelicis.

RE vera autem pleriq; ita ſe gerunt omninò, vt Hebræi quodam tempore, de quibus ſic habet liber Iudicum; In diebus illis non erat Rex in Iſraël; Sed vnuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Huiuſmodi eſt iſtorum Prophetarum & Euangeliſtarum conſenſus inter ipſos.

VIII. *Quòd hæc aliqui temerè conentur excuſare.*

FRIDERICVS *Staphylus in Epitome trimembris Theologiæ Lutheranæ in 3. part. libri circa fin.* Sed ecce res plena prodigij atque

atque miraculi: Nam etſi vniuerſo orbi iam innotuit, iſtos Prophetas tã fœda diſcordia ac furioſa ſe mutuò dilaniare; tamen ſi roges illos in conſeſſu Catholicorum, cur ſint ita in doctrina confeſſionis ſuæ diſcordes, negant illi confeſtim; imò aiunt contra ſe vnanimes Auguſtanam Confeſſionem amplecti, in fundamento conuenire, nihil eſſe inter ſe diſſenſionis.

Hæreticorũ fœda ac furioſa diſcordia.

O INCREDIBILEM impudentiam. Meridianus ſol tenebras iſtas coarguit; Præcipui Articuli Confeſſionis illius ſunt de perſona CHRISTI, de peccato, de libero arbitrio, de Iuſtificatione & iuſtitia DEI, de fide, ſpe & charitate, de pœnitentia, de bonis maliſue operibus, de Sacramentis atque horum numero, de Baptiſmo, de cœna Domini, de Eccleſia, & huius iuriſdictione, & ceremoniis, & multis aliis rebus prætereà.

Heretici fruſtra negant ſe diſcordes eſſe.

DE hiſce autem Articulis diſſidere, ſi id non eſt diſſidere in fundamento Chriſtianæ fidei, fateor equidem, me, quid Euangelicæ doctrinæ fundamen-

An Lutherani non diſsideant in fundamento Chriſtianæ fidei.

tum ſit non intelligere. At verò quid in hiſce iſtis Articulis Auguſtanæ Confeſſionis eſt, quod ipſi Confeſſioniſtæ non in mutua lite ponant, non controuertant, nõ rapiant iam in hunc, iam in illum ſenſum, modò album eſſe aſſerẽtes, modò nigrũ, modò quiduis aliud.

Modò albũ modò nigrum.

IX. *Quid ex hac tanta tamq́ furioſa Hæreticorum diſſenſione ominari liceat.*

LINDANVS *in præfatione Apologetici.* Nam incomparabili impetu ſimul & numero ad barbaricum, aut potiùs tragicum vnius Lutheri egregij Bellonæ antiſtitis boatum, priſcæ omnes hæreſes inſurrexêre, quaſi coniurati ad claſſica venti, qui domum illam Dei Euangelicam, in montibus Sion fundatam, nouo quidem motu, ſed fruſtraneo, vti etiã olim, funditùs conantur euertere.

Ad Lutheri bellonæ boatũ priſcæ hereſes ſunt reſuſcitatæ.

QVÆ tamen quia tam variis nunc aguntur ventis, mirificè contrariis, ſeſeque mutuò implacabiliter enecantibus, ſpem nobis parit bonam, haud diu iſtas

Euangelicorum peſtes nõ diu graſſaturas.

iſtas animorum peſtes, iuxta Ioannis Apoſtoli prophetiam ad ſeducendas Gentes,pióſue fallendos graſſaturas. Apocal. 10.

SICVT olim Romanum Imperium, regnante,aut potiùs in Gynecæis deliciante, atque in popinis helluante Galieno nequiſſimo Imperatore, triginta Tyranni inuaſêre;qui aut ſe ipſi aut ſeſe mutuò, aut ſui prætoriam cõficiebant, atque aconitorum in modum ſeſe ad hominis ſalutem enecantium, omnes ferè intra quadriẽnium miſerrimè perierunt; ita & nunc futurum ominari licet,quòd acerbiora inter noſtræ tempeſtatis hæreticos gliſcere indies videmus diſſidiorum implacabilia odia, plagasque ſibi mutuò infligere immedicabiles. Trebell. Pollio. Cuſpinian. Iacob. de Strad.

NICOLAVS *Amsdorffius, libro ſuo, cui titulum fecit, publica Confeſſio puræ doctrinæ Euangelij, & confutatio præſentiũ Suuermerorum vel factioſorum*. Res, *inquit*, nihilo fit melior, ſed indies deterior. Omnia nihil præ ſe ferunt aliud, quàm Euangelium apud nos peſſum iturum, Refert Staphyl. in Apol. 3. part. libri ſtatim ab initio.

NOTA. & locò Euangelij non niſi meros eoſdemq; egregios errores nos habituros, non quidē aliā ob cauſam, quàm quòd humanæ rationis prudentiæ, nō autem ipſius veritatis ſtudioſi ſumus.

HOSIVS *Cardinalis in Cōfeſſ.c.25.* Quis autem alius exitus eſt expectandus, niſi quem prędixit Propheta? Diuiſum eſt, *inquit*, cor eorum, nunc interibūt; cùm
Oſeæ 10. pręſertim à Chriſto quoque dictum ſit,
Luc.11. quòd omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur.

STAPHYLVS *in Apolog.part.3.* Atque vt rem in pauca cōferam, haud mediocris metus eſt, nos Germanos ampliſſimas iam præbuiſſe cauſas veteri illi cō-
Lactant.lib. 7.cap.16 plendi vaticinio, cuius Lactantius meminit, & plures alij, nempe Aquilonem
Rupert.Tuitien.ſuper c. 20. Apocal. Auſtro, & orientem occidenti dominaturum; ſicque Magos ab oriente, & Gog ab Aquilone venturos, Romanūque Imperium (quod etiamnum penes nos Germanos, quamuis admodum exhauſtum, & elanguidum eſt, ac velut tenui pendens filo) deuaſtaturos ac diſſipaturos. X. *Quæ*

X. *Quæ ſit faciliima verum à falſo diſcernendi ratio.*

STAPHYLVS *in præfatione trimembris Theologiæ.* Quocirca veritatē, bonumq; Catholicæ doctrinæ forſitan noſſe vis? Quęre conſenſum Catholicum, eumq; ſenſum ſequere atq; intellęctum Scripturæ ſacrę, qui vbiq; viget in Chriſtiano orbe, qui ſemper fuit inde ab Apoſtolicis temporibus.

Vbi conſenſus Catholicùs ibi veritas.

HÆRESIN ſcire vis? etiam vide, vbi in doctrina diſcordia, vbi hodie ſic, heri aliter, cras ſecùs de eodem quidem articulo, diuerſum tamen docetur, contrarium aſſeueratur, aliudq; alio loco, nec idem eodem aut diuerſo etiā tempore proferatur; Nec dubites, quin ibi, ſi hanc notam deprehenderis, te hæreſim omnino deprehendiſſe; ſin illam, veritatem doctrinæ Catholicæ.

Diſcordia certiſsima hæreſeos nota.

XI. *Tutiſsima Hæreticos ad Eccleſiam reducendi via.*

IDEM *in Apologiæ parte altera.* Neque enim vlla alia ratio eſt, hæreticos ad

rectam Eccleſię viam reducendi, quam vt ipſorum hæretica diſſidia ac deuia itinera, per quæ illi à Chriſtiana & Catholica vnitate ad ſciſſuras & ſchiſmata deducti ſunt, eis ob oculos reuocentur; aut certè ſi illi in ſuis erroribus ſint pertinaces, velintq́; perſeuerare, vt DEVS rogetur, ſpiritum vertiginis, qui iam inter eos eſt, quantùm velit, apud illos cõmorari ſinat; vti in plures illi factiones diſcindantur, ac diſſipentur, prorſusq́; profligentur & extirpentur: haud aliter atque illis, qui turrim ſtruxêre Babylonicam aliisq; paſſim ſectariis vſu venit: Quid enim hæreſes alias omnes perdidit, niſi mutua in ſe ipſos diſſenſio ac ſchiſmata?

Luther. in 9. Pſal. TESTATVR id Luther' ipſe: *Omne, inquit*, regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur: Nulli enim vnquam hęretici vel vi, vel arte ſupati ſunt; ſed ſuis ipſorũ mutuis digladiationibus. Neque Chriſtus alia ratione pugnat aduerſùm illos, niſi vt ſpiritum vertiginis & diſſenſionis immittat in illos; vti olim in Sichinitas,

Cãnon vt ſit cum hereticis diſputandum.

Iud. 9.

&

& ædificatores Babel; ac deinde in no- Geneſ. 11.
uo Teſtamento in Arrianos, Donati-
ſtas, Pelagianos &c. Quin & Iudæis ea,
quæ inter ipſos erat, diſcordia exitium
attulit: Nam, Hilario teſte, bellum Hę- Bellum Hæreticorũ pax
reticorum Eccleſiæ pax eſt; quòd ex il- Eccleſiæ.
lorum contentionibus etiam corpora-
lis eorum diſſipatio ſequatur.

XII. *Compendium veritatis.*

*V*INCENTIVS *Lyrinenſis de profanis hæreſum nouitatibus*. Dediſcant benè, quod didicerunt non benè; & ex toto Eccleſiæ dogmate quod intellectu capi poteſt, capiant; quod non poteſt, credant.

XIII. *Quæ in ſumma certiſsima ſit hæreſeos nota.*

*I*GNATIVS *ad Neronem*. Quiſquis dixerit præter illa, quæ ſtatuta ſunt, etiamſi fide dignus, etiamſi ieiunet, etiamſi virginitatem ſeruet, etiamſi ſigna faciat, etiamſi prophetet; lupus tibi cenſeatur ſub ouis pelle, ouium corruptionem moliens. Si quis neget crucē,

& paſſionē erubeſcat, eſto tibi ille tanquam aduerſarius; etiamſi minutatim diſpertiatur, quæ habet, bona pauperibus; etiamſi montes transferat; etiamſi combuſtioni corpus tradat, eſto tibi execrabilis & abominabilis.

MATTHÆI X.

ET quicunq; non receperit vos, neq; audierit ſermones veſtros, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorreorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.

IBID. XXIIII.

Ecce prædixi vobis.

ERRATA.

Folio 1. lin. 8. dele punctum. fol. 15. lin. 7. quam, lege quę. fol. 40. lin. 3. vt de, lege vide. fol. 51. lin. 17. lege confuſionem. fol. 74. in marg. per hæreticos. ibidem, excitantur. fol. 83. in marg. ibi, leg. ſibi. fol. 130. lin. 3. Marcioniſtas. fol. 134. in marg hæreticos. fol. 228. lin. 23. lege cruciarios exitus. fol. 234. lin. 18. quidem. fol. 240. lin. 19. repoſitum, leg. repetitū. fol. 242. lin. 11. monuerint. fol. 251. lin. 5. quæ, leg. qua. fol. 266. lin. 9. lege palam. fol. 267. lin. 6. ad iſta procedere. fol. 268. in marg. fidei. fol. 303. lin. 6. adulterum. fol. 305. lin. 3. paſſim, leg. poſſim. fol. 322. in marg exhæredati. fol. 332. lin. 4. eadem. fol 353. lin. 13. ſpem, leg. ſepem. fol. 368. lin. vlt. regis. fol. 383. lin. 18. leg. malos. fol. 402. lin. 4. tu, leg. tum.

TYPO-

TYPOGRAPHVS CANDIDO LECTORI.

NE QVA PAGELLA VACARET, LIBVIT HIS QVAEDAM ex D. Auguſt. li. de vtilitate credendi ad Honoratum apprimere.

EDam tibi, inquit, vt poſſum, cuiuſmodi via vſus fuerim, cũ eo animo quærerem veram religionem, quo nũc expoſui eſſe quærendam. Vt enim à vobis trans mare abſceſsi: iam cunctabundus, atque hæſitans, quid mihi tenendum, quid dimittendum eſſet. Quæ mihi cunctatio indies maior oboriebatur: ex quo illũ hominẽ, cuius nobis aduentus, vt noſti, ad explicanda omnia, quæ nos mouebant, quaſi de cœlo promittebatur, audiui: denique, excepta quadam eloquentia talẽ, quales ceteros, eſſe cognoui. Rationem ipſe mecum habui, magnamq; delibera-

Aug. lib. de vtilit. credẽdi ca. 8. quo Honoratũ ſuimetipſi9 exẽplo, quatenus veram religionem arripiat, hortatur.

Lib. 5. Confeſsionũ c. 8.

Ibid. cap. 3. & 6.

berationem, iam in Italia conſtitutus; non, vtrum manere in illa ſecta, in quam me incidiſſe pœnitebat: ſed quonam modo verùm inueniēdum eſſet, in cuius amorem ſuſpiria mea nulli meliùs, quàm tibi nota ſunt. Sæpe mihi videbatur non poſſe inueniri: magniq; fluctus cogitationū mearum in Academicorum ſuffragiū ferebātur. Sæpe rurſus intuens, quantùm poteram, mentem humanam tàm viuacem, tàm ſagacē, tàm perſpicacem, non putabam latêre veritatem, niſi quòd in ea quærendi modus lateret: eūdemq; ipſum modū ab aliqua diuina authoritate eſſe ſumendum. Reſtabat quærere, quęnā illa eſſet authoritas; cùm in tantis diſſenſionibus, ſe quiſque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis ſylua: cui demū

Ibid. cap. 6. 10. & 11.

inſeri

itineri multùm pigebat. Atq; inter hęc ſine vlla requie, cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Diſſuebam me tamē magis, magiſq; ab iſtis, quos iam deſerere propoſuerā. Reſtabat aūt aliud nihil in tantis periculis, quàm vt diuinā prouidentiā lachrymoſis & miſerabilibus vocibus, vt opē mihi ferret, deprecarer. Atq; id ſedulò faciebam: & iam ferè me commouerant nonnullæ diſputationes Mediolanēſis Epiſcopi: vt non ſine ſpe aliqua de ipſo veteri teſtamento multa quærere cuperem: quæ, vt ſcis, malè nobis cōmendata execrabamur. Decreueramq; tādiu eſſe catechumenus in Eccleſia, cui traditus à parentibus erā: donec aut inuenirem, quod vellem: aut mihi perſuaderem, non eſſe quęrendum. Opportuniſſimū ergo tunc me, ac Ibid ca. 13.

valdè

valdè docilem inuenire poſſet, qui poſſet docere. Hoc ergo modo & ſimili animę tuę cura ſit, diu quoq; te affectũ vides: & ſi eã ſatis tibi iactatꝰ videris, finemq; huiuſmodi laborib. vis imponere, ſequere viam Catholicę diſciplinæ: quæ ab ipſo Chriſto, per Apoſtolos ad nos vſq; manauit &ab hinc ad poſteros manatura eſt.

ATTENDE DILIGENTER
Candide Lector,

Et, qua ratione D. Auguſtinus ab impia Manichæorum ſecta conuerſus ſit, conſidera ſtudioſiùs, vt & tu conuertaris ab improbiſsimis Hæreticorũ dogmatibus, & amare tandem vel ſerò vnitatem Eccleſiæ incipias. Humanũ fuit errare, Diabolicum eſt per animoſitatem in errore manere. vt idẽ Aug. ait To. 10. de verb. Apoſtoli ſer. 22.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

9 - 9